WITZEL, Georg

Dn. Georgii Vvicelii Postilla, hoc est, enarratio Epistolarum et Evangeliorum de tempore et de sanctis per totum annum / latinè reddita per Gerardum Lorichium... -- Parisiis : Apud Guillielmum Desboys..., 1565

[7], [1] en bl., 360+ h., +8, a-z8, A-Z8+ ; 8°

Apostillas marginales

1. Año litúrgico-Sermones 2. Liturgi urtea-Sermoiak I. Lorich, Gerhard, trad. II. Postilla, hoc est, enarratio Epistolarum et Evangeliorum de tempore et de sanctis per totum annum III. Título

R-6476 Ejemp. falto de h. finales. -- An. ms. con firma autógr. en port.: "Expurgado conforme al expurgatorio de 1707, Fr. Joseph Ballesteros". -- Enc. perg.

DN. GEORGII VVICELII

POSTILLA,

HOC EST,

ENARRATIO EPISTOLARVM ET EVANGELIORVM DE TEMPORE ET DE SANCTIS

per totum annum, Latinè reddita per Gerardum Lorichium Hadamarienſem, Recognita per eundem & aucta, iamq; tertiò diligentiſsimè omnium excuſa.

Expurgado conforme al expurgatorio del 1583.
Fr. Joseph Ballester 1583

CVM VNIVERSIS QVÆ PRIORES habuerunt Editiones, videlicet gemina authoris præfatione, Indice locupletiſsimo, Sectionibus Lorichij ſuper Euangelia de Tempore & de Sanctis Latinitate per Bartholomæum Laurentem donatis.

PARISIIS,

Apud Guillielmum Desboys, via Iacobæa, ſub Sole aureo.

1565.



REVEREN-

DISS. IN CHRISTO PATRI AC ILLVSTRISSIMO PRINcipi & Domino, DN. Antonio electo Archiepiſcopo Colonienſi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, VVeſtphaliæ & Angariæ Duci, Legatoq́; nato, Domino ſuo benigniſsimo, S. P. D.



Quod Paulus Apoſtolus & idem clariſſimus Doctor Gentium, in Epiſtola Romanis olim inſcripta, ipſe de ſe commemorat, nimirùm cordi ſuo magnam triſtitiam continuúmque dolorem eſſe pro Iſraelitica gente, quam videlicet ingenti cæcitate percuſſam, & ab Euangelij cognitione per obſtinatam incredulitatem auocatam ſenſit: id piißimus quiſque ſibi his noſtris triſtiſſimis temporibus meritò vſurparit, quibus malitia ſupra malitiam in dies horaſque omnes accreſcit, dum nõ eſt qui faciat bonum, vt Pſaltes ait. Habuit & prior Eccleſiaſticorum ætas acutiſsimos cruciatus animi ſui, quum ederet miſerabiles Eccleſiæ planctus, quumque Onus eiuſdem Eccleſiæ inconſolabiliter deflereт. Habuit ſua itẽ vaticinia: (non laboro an hæc fuerint Aſtronomica ſeu Mathematica, certè Prophetica eſſe pleraque comperimus) de qua re alibi. Huc, huc inquam, pertinet Hieremiana illa Threnodia omnis, qua triſtiſsimus propheta quidem lamentabile regnum ſynagogæ deplorauit, ſed qua eadem Eccleſiaſtici Eccleſiæ ruinas ve-

ris deplorant lachrymis. Hæ voces lachrymosæ sunt: Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solennitatem: Omnes portæ eius destructæ, Sacerdotes eius gementes &c. Vox hæc vniuersæ deplorationis anacephalæosis est: Et egressus est à filia Zion omnis decor eius. Equidem hodiè tam video quàm audio, Religiosissimos quosque lamentari cum Propheta Dauide mœsto: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, & eiusdem Psalmi reliqua. Insuper cum eodem deploratore: Vt quid Deus repulisti in finem? Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ. Attamen non repellet in sempiternum Dominus. Quod hemistichium ex Hieremia meo ad alleuiandum mœrorem protulerim, si primùm nobis doleat, nedùm displiceat tot modis obscurata atque obfuscata Ecclesiæ facies. Ecclesiam amplectimur ac tenemus sancta quadam pertinacia, quantumlibet ea quæ Ecclesiæ propria haudquaquàm sunt, deflemus: idque Maiorum exemplo, quorum nonnulli vita potiùs quàm zelo carere potuerunt. Enimuerò non est quod quis hic quærat, ob quas res vel doleat cum Apostolo, vel fleat cum Propheta. Siquidem tanta totque inciderunt incommoda Rei Christianæ: Nisi forsan leue quiddam putes, Ecclesiam vnà cum Imperio Romano annis compluribus vsqueadeò fuisse afflictam, non tam ab aduenis, quàm ab incolis: atque hoc ipsum eò, vt quies nulla sit reliqua, nisi & alienetur Religio, & transferatur Potestas. Incolas, eos appello, qui è nobis egressi, ciuitatem Dei Caino furore horribiliter oppugnant, aliò non spectantes, quàm ad internecionem veteris Christianismi, tot seculis approbati. Hinc ex vno multa schismata, quæ licet diuersis inter sese pugnent opinionibus, tamen in hoc conspirarunt, vt vel arte vel vi sua Zion capiant, destruunt, subuertant. Hinc innumerabilia machinamenta, quæ ad coniurationes ac crudelissimas seditiones vsque processerunt. Verùm eiusmodi vt deflenda maximè sunt, ita dolenda etiam sunt, quæcunque nostra ex parte, iam mala committuntur, iam bona negliguntur. Heu, vt in profundum venit impietas huius seculi: Quàm imperiosè tenet arcem iniustitia Conqueratur Esaias suis verbis: Corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi. Tradita est veritas in obliuionem, & qui recessit à malo, prædæ patuit. Conqueratur Ozeas: Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum ac adulterium inundauerunt &c. Quæ sanè plena doloris sunt, & eadem

vltionis Diuinæ prouocamenta. Et quis omnium zelotarum satis plangat hodiè Religionis catholicæ contemptum pariter ac ludibrium? Hanc hæresis condemnat, plebs nostra non curat: inimicus irridet cultum Diuinum, amicus fastidit. Non est timor Dei ante oculos eorum, inquit Dauid. Indè nobis tot vitæ flagitia, quot vix vlla vidit ætas, ita vt, nisi per dexteram Excelsi immutemur, in Paganismum quendam videamur desinere. Satyricus hoc loco vociferari queat: Et quando vberior vitiorum copia? Hæccine porta viaque ad possessionem regni cælorum? Siccinè Sanctorum, quos veneramur, ad imitandum memores sumus? Propterea, dicit Hieremias, mœstum factum est in dolore cor nostrum, ideò obtenebrati sunt oculi nostri Cæterum inter tot onera, sub quibus pij homines gemere solent, non facilè occurrerit indesinentiùs deflendum, q[illegible] [illegible]. In alijs parùm necessarius vigilatur: hac in re vsqueadeò frugifera, tantùm dormitur. Quoties verò nos copiosissimum orthodoxæ concionis fructum nostro cum animo reputamus, atque tamen tantum Ecclesiæ, tamque sanctum officium aut intermitti vniuersum, aut perperam tractari videmus, non possumus summo animi cruciatu non torqueri. Si, qui lugẽt, beati sunt: credimus eum luctum pro domo Domini, nobis, non inutilem fore, quantumuis inde corpori huic incorruptibili, cum morbis præpropera quædam senectus accersatur. Mundus gaudebit, ait Dominus, vos autẽ contristabimini: nisi forte nulla tristitiæ causa subest. Atque hæc tanto vehementior est, quo exilior est solicitudo eorum, penes quos stat, ne quis impiè sacra nostra conspuat, néve Ethnicum hominem viuendo publicitùs agat. Quò vertas oculos, obsecro, vbi quod premat, quod ve angat, non reperies? Non hic repetam, qua licentia viuatur, & qua impunitate passim peccetur: considera mihi solum inscitiam populi planè dedecorosam: ea vnde, nisi è neglecta concione proficiscitur? Examen instituc, atque quid de religione singuli norint, explora: mirum, ni ad istã indignam nostro nomine ruditatem obstupescas. Spectant cæremonias, sed quia significationem illarum nesciunt, nihil ædificantur. Audiunt cantiones: verùm quia deest interpres, nihil afficiuntur, vtpotè rerum Ecclesiasticarum pudendum in modum ignari. Quomodo autem sciant ac intelligant sine Doctore? Et Doctor quo pacto indoctam plebem doceat, sine Primoribus qui illum habent constituere? Omnia certè ad ædificationem in Ec-

cleſia inſtitui & referri debent, niſi ab Apoſtolica palàm degenerare velimus. Si plebem clero amicam eſſe, ſi eandem in vnitate retinere, & ſacrarum rerum obſeruatione oblectare volumus, cumprimis erit neceſſe, vt animum adiiciamus ad paſcendum omnes Dominicas, ad erudiendum atque enucleándum, quicquid ad alendam pietatem conducere videbitur. Iuuentus Eccleſiæ inſita corpori, quid quæſo niſi praua, hoc eſt, pœnitenda, diſcit? Quid illa de rebus Diuinis nouit? Quid loquitur? Nihil didicit, nihil callet, quia deeſt catechiſta, cuius diligentia primordia Religionis noſtræ inculcari pueris quàm maxime oportuit. Nec eſt vt parentes arbitreris catechiſtarum ſubire munus, quippe quibus per domeſticas occupationes neque vacat, neque libet, neque ſi paruulos ſuos erudire parent poſſe videantur. Nam docere quæ ipſe nunquám didiceris, extremæ dementiæ fuerit. De ſeruitio quid ſuſpires aliud? Quot millia illorum hominum ex vtroque ſexu Deum & ea quæ Dei ſunt, vt curent, ne in montem quidẽ vnquàm venit? Inter hos qui orare norint, aut recitare ſymbolum fidei ſanctæ noſtræ, pauciſſimos inuenias. Vt hic taceam, quanto faſtidio hæc gens accedat Templa, & quanto tædio illic deſideat. Pedes dicas, non minùs ob ignorantiam, quàm pecuniæ vitæ gratia. In tanto Eccleſiæ deliquio, [redacted] ſemper ne exoculati erimus? Aut nondum ſatis iram Dei flagellantis ſumus experti? Quo ruimus maleſani, vt eo neglecto, quod vnum eſt neceſſarium, ad illa rabioſe feramur, quæ Philoſophi etiam reprehendérunt, tantum abeſt vt approbet Dominus, qui fons eſt vnicus vniuerſæ veritatis, pietatis ac honeſtatis? Iam in quos tantæ perditionis humanæ culpa deriuabitur? Sed cathedras, ait, curatas habent. Rectiſſime, ſi eadem ſolicitudine cæteris quoque per Diœceſes Eccleſiis proſpiciatur, ſique opus iſthuc vrgeatur ſedulò. Iſta profectò vox ſonat adhuc in auribus animíſque noſtris: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et, Docentes eos ſeruare quæcunque præcepi vobis. Quæ mandata niſi Eccleſiæ columina valide moueant, actum de ſalute communi fuerit. Turba vbique multa eſt ceu meſſis multa, cuius vtinàm denuò miſereatur Dominus Ieſus, nimirum quia fere ſunt ſicut oues non habentes paſtorem: Ita enim S. Marcus. Indignari ſolemus, quoties noſtri homines à toto ad patrem deſciſcunt, & eſſe ſchiſmatici malunt, quàm catholici, Et venit iſthuc ſæpenumerò vel ex inopia, vel ex frigore concionis in Eccleſia. Notum cuiuis eſt, quo aſſiduitate ſectæ ſuis præſint pulpitis, hoc agentes,

partim vt frequenter ſua prædicent, partim vt frequentiſſimis glorientur Auditoriis. Ad cuiuſmodi illecebras nè populus nondum deprauatus abducatur, ſolicitudine concionis Eccleſiaſticæ caueri debuit. vt vel in hoc negocio paria facere videamur. Populus ſitit Euangelium, ſed abſque iudicio. Poſtulat prædicationes, ſed plerunque adulteras. Eapropter Origenes ſup. Cant. Canticorum. Apud imperitos ac animales homines, pulchriora videntur ſophiſmata mendacij, quam dogmata veritatis. vt non ſit rectiſsimè ab Athanaſio ſcriptum, Iſtos qui Chore perſonam ſuſtinent, & ignem alienum imponere ſoliti, non veritatem ipſam, ſed veritatis ſimilitudinem ſequi. Quo vigilantius inſtabunt Antiſtites, vt non ſolum prædicetur ſolito frequentius, verum etiam vt Euangelium Saluatoris Domini̓que noſtri Chriſti Ieſu, ſine fermento humanæ rationis, & ſine cauponatione doceatur, vt ſpiritu zeloq́; vetuſtiſsimorum Doctorum doceatur, vt eorundem exemplis ac vitæ veſtigiis, qui docent, inſiſtant. Habemus catholici catholicum Chriſti Ieſu Euangelium, ita vt nobis ſchiſmaticum ſeu Neotericum quoddam Euangelion obtrudi neutiquam patiamur. Ego obedio, inquit ſanctus Bernardus, Euangelio, ſed non Euangelio ſecundum Petrum Abelardum. Mox idem: Tu nobis nouum condis Euangelium, ſed quintum Euangeliſtam Eccleſia non recipit. Hæc ille. Eadem mente nos, quæ purè Euangelica ſunt, conteſtamur, per quæ videlicet Religio vera creſcit, & metus cultusq́; Dei Seruatoris augeſcit. Verum hic querelarum plena cuncta ſunt, Non eſſe, non inueniri, qui cathedris Chriſtianis præficiantur: Deeſſe quidem minimè ſacerdotes, ſed inter hos vel nullos omnino aptos, vel certè pauciſsimos ad id ſacri Miniſterij elegi & ſegregari poſſe. Eo nimirum mœrer noſter atque luctus acerbior eſt. Sed nulli ego exprobrare aut opprobrare aliquid ſtatui, quod videam ex amarulentis dictis nihil vtilitatis naſci. Quin igitur huc omnes curæ poſthac conferuntur, vt Scholæ Theologicæ ferueant, in quibus Auditores Presbyteri ad pedes Prophetarum atque Apoſtolorum ſedeant, ibíque hauriant, quod docendis poſtea populis impertiant, cui ſanctiſsimo ſtudio prouentus aliquot vndecunque reciſi, iurè deſeruiant. Sic aliquanto melius collocabitur, quod Deo dicatum eſt, quam in res quaſdam infrugiferas. Sacer Ordo Liturgia ſola non nititur, ſed Myſteriorum reliquorum etiam Adminiſtratione & ſancti Euangelij adnunciatione, ad conſummationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Equidem nemini obſcurum eſt, quo hæc vergant tem-

pora. Aduersarij quas demiserant cristas surrigere cœperunt: Quo facis, quod nos catorthoses omnes non sanè prudenter abiicimus, præterquam quod moniteribus etiam asperi sumus: vndè multi verentur eam fore mutationem, quæ tendat ad extremum, quandoquidem tot contrariis ventis agitemur, nec dum appareat portus. Iam quanto satius fuerat, præuenire, quam præueniri, & exardescentem iram iusti Dei correctione mitigare, quam de causa tota periclitari? Proindè (vt vel sero ad institutum meum veniam) nè Presbyteris Ecclesiæ ad euangelizandum delectis, Homiliæ sacris literis communitæ desint, quidam è nostris solicitè curarunt: inter quos ipse infimi loci collaborator meam quoque operam præstiti, pro mensura gratiæ diuinitus acceptæ. Quas vero Homilias dictaui pluribus ante annis, dictaui tam iis qui è Laicis domi legant, quam Clericis concionaturis, si qui fortè meas chartas aliquid esse putant. Qualescunque tamen illæ prodierunt in lucem, in Latinum sermonem inter alios M. Gerardus Lorichius Hadamariensis, vir existimatione humana maior, vltro conuertere voluit, vt aliæ quoque nationes (quibus Germani barbari ferè sumus) huius elaborati operis seu domestica lectione fruerentur, seu prædicatione publica panegyres Christo, Christúmque & in Christum credentium sacratas erudirent pariter ac in Orthodoxæ Religione confirmarent. Cœperat Gerardus ille, beatæ recordationis, opus hoc Homiliticum ante septennium Latinè vertere: sed quoniam prior illa versio nonnullis in locis ab Archetypo discrepare videbatur, idq; cederet in fraudem aliquam Vuicelianæ nominis, commodum submonitus interpres, telam istam priorem re texuit, inq; veteri editione nouam condidit, siue addens quæ vspiam festinabundus omiserat, siue adimens, si qua ipse de suo, magis imprudenter, quam fraudulenter, adiecerat. Nam quæcunque vllo interpretum tempore, Originali meo Germanico minus corresponderint, mihi ceu Authori adscribi nolim: id quod non solum de Homiliis, sed de reliquis etiam vigiliis meis prenunciaro. Vt in præsentia de quibusdam Officinarum mendis sileam, quas tamen, si his funestissimorum bellorum atque tristissimarum ærumnarum tempestatibus superstes ero, magna ex parte repurgaturus sum, siquidem Lucubrationes vniuersæ in Tomos seu sectiones quasdam recudi cœperint.

Hanc igitur Translationem Gerardinam recognitam, locupletatam, & ad Exemplar primarium propius admotam, Reuerend. Archiepiscope, a[illegible]ue Illustriss. Princeps Elector, R. V. Celsitu-

dini nuncupare visum fuit, vt ei Primati, cui sane maius, multoq; augustius quiddam debebatur. Facere hoc, officium Gerardi interpretis quidem erat: verum quum ille extra corpus, veræ vitæ redditus sit, cogor ipse supplere locum, & interpretis ipsius vice fungi. Ad eam autem Operis egregij dedicationem inuitabat me tum Religionis amor, quo R. V. Celsitudinem capi audio, tum singularis quædam virtus, illaq; mens Heroica, qua etiam antecellit. Neque enim hic de decore Pontificio commemorandi locus est, deq; aliis ornamentis. Quin conuenire etiam arbitratus sum, vt Liber Prædicatorius Præsuli nuncuparetur, & Pastorale Pastori, vt non comminiscar, illi etiam Principi iure deberi labores Theologicos, qui Theologiam ipsam prouehit, qui ve literis rectioribus & fauet, & literatos fouet. Et quid magis congruit, quam vt Antistiti Colonienſi ceu proprium dicaretur, quod in inclyta feliciq; vrbe Colonienſi, apud Hæredes integerrimi viri Iohannis Quentelij, piæ memoriæ, nitidioribus formulis nunc cusum prodiit? Proinde supplex oro, vt R. V. C. hoc recens Homiliarum nostrarum Opus, Ecclesiæ [illegible] prognatum, vultu pacato atque animo sereniore accipiat. Ita enim futurum est, vt concionatores ac cooperarij, ad Regnum Dei, hoc libro lubentius vtantur in pascendo grege Christiano, cuius cura si quem non tangit, is Atheus, nedum ferreus sit oportet. Meminerimus, isthuc supremum esse mandatum Domini, videlicet de pascendo: & vnice necessarium, vt Maria Bethanica sedeat secus pedes Domini, ac audiat verbum ipsius. Hoc fundamento iacto superstruitur, quicquid ad ædificium absoluendum pertinet, ne non suum habeat & Martha locum. Horrendum est dictu, si quis audiat aut speculator cæcus, aut canis mutus, de cuius quippe manu se sanguinem pereuntium Animarum Dominus se requisiturum comminatur. Verum Episcopalis ac crebra visitatio tollere permulta potest, cuiusmodi hodie Matrem Catholicam prægrauant: atque hinc materia doloris Hieremiani, quem supra attigi. Plura tolleret synodus. Verum quid hæc valeat, quid efficiat, Marte furẽte? Regnum Mundi, Regno Dei semper obsistit, sed vix insanius vllo tempore, quam nostro isto, quo misere iactamur, quotquot œcumenicam communionem Sanctorum amplectimur, simul & Potestatem Roman. Cæsaris ordinariam comprobamus. Nolim iam ad querimonias particulares descendere: tanta quippe est vniuersalis plaga, quam eodem anno tot simul Nationes sufferunt. Deest nobis Drances, qui occlamet: Nulla salus bello: & Lucanus, qui mo-

tus ciuiles reprehendat. Ehen, si gladij in vomeres, & lanceæ in falces conflarentur. O mucro Domini, vsquequo non quiescis? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Sed si in mundo pressuram tantum habere nos oportet, id quod Saluator affirmat, affulgebit tamen dies expectatus quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis nostris. In ipso Rege Regum, qui hos Germaniæ motus vno, si velit, nutu sedare & tranquillitatem nobis pristinam reddere potest, valeat R. V. C. meq; in illorum ponat numero, qui Dignitati salutiq; Reipublicæ quam rectissime consultum volunt. Moguntiæ, vltimo Decembris, anno Christi 1556.

R. V. C.

Seruitor

Georgius Vuicelius

Senior.

LECTORI DE CHRISTO ET ECCLESIA OPTIME SENTIENTI, S. D.

TSi Postillam (ita enim vulgò vocant) in qua ego per Gerardum Hadamarium Latinè concionor, antehàc Coloniæ, dein Lutetiæ Typographorum opera prodijsse constat, eámque exactiùs recẽsere Interpres haud abnegaturus erat, si viuere contigisset, tamen quandò grauissimæ causæ inciderunt, cur stylum verteret, cœpit vir insignis interpretationem nouam meditari. Ob eam rem in Ringgauiam secessit, & in Monasterio Benedictino Montis sancti, Ioannis, totũ Opus recognouit, emaculauit ac adauxit, non minore sumptu, quàm rogatu clari viri Iohannis Quentelij: Cuius hæ

redes, consilio Arnoldi ac Iohannis Birckmannorum, videlicet Affinium, nunc hoc ipsum recognitum Homiliarum Orthodoxarum Opus de nouo imprimere, ac in manus Lecturorum edere operæpretium esse duxerunt. Quam vltimam Editionem ita mi Lector accipe, vt eam cui priores cedant. Nam si posteriora meliora esse solent, mirabor si hic diuersum reperis, sicq; te comparasse vnquam pœnituerit. Sed quorsum, ais, tot libris opus? Immo pluribus, quàm habes, opus tuis studiis est, nisi vel minus intelligas hoc quod agitur, vel simpliciter desipias. Quorsum asseruãtur in tot Ecclesiis Metropolitanis Bibliothecæ, non minus bonitate quàm antiquitate celebres? Quorsum tanta semper est honesta Bibliopolarum negociatio, si inutile est, plures habere libros? Muti Magistri illi quidem sunt, sed vnde cuiuis continget semper viua voce frui? Citra hos Magistros quid

in ſtudiis Theologicis profecere veteres? Et quo tandem ocio religioſiore tot tranſmittes vitæ tuæ dies? Compertum eſt, multos pœnitere, quòd rem familiarem in ſordidiſſima quæque impenderint: verùm quos pœniteat, emiſſe bonos libros, ac eoſdem bono cũ fructu euoluiſſe, nullos noui. Audiens ſapiens ſapiẽtior erit, inquit ſophus ille Slomo. Quid ni legens quoque vtpote cui nõ ſit audiendi copia? Ea profectò in re non aberrauit Libanius Sophiſta, cùm ad amicum ſuum Chironeũ ſcriberet de experitis à ſe libris, nempe Iliade ſimul & Odyſſea Homerica, ídq; in hãc fermè ſententiam, ſe quidem nõ paruam Librorum ſuppellectilem ſibi cõparaſſe: neque tamen vlli docto ſatis Librorũ poſſe ſuppetere, qui aliorũ ſcripta interpretaturus ſit. Hoc ſanè nos de Concionaturis accipimus, qui, niſi careant omni iudicio, plurimorum lectione ac intellectione Librorum perquam prompti ad Cathedrã

accedent. Primùm Biblijs ſacroſanctis probè ſolidati, deinde Scriptorũ Eccleſiaſticorũ labore perdocti, poſtremò linguarum etiam & Artium liberaliũ adminiculo adiuti. Spiritus ſanctus, ſupremus Doctor ac Magiſter eſt. Piè fatemur. Verùm Spiritus literam nõ reſpuit, qua nimirum ſcriptura ab ipſo Deo inſpirata, Eccleſiis iuxta ac Academijs ſuo quodã iure dominatur. Scribæ Iudaici libris olim vtebantur. Verum eſt, ſed lectis, non intellectis, quum velamen in lectione veteris teſtamenti nondum eſſet à cordibus eorum ſublatum, ſicuti ſanctus Paulus affirmat. Nos Chriſtiani Spiritu ductore legimus, ac eodẽ doctore, quæ legimus, intelligimus: atque illa omnia conferimus in vſum fraternitatis, quam ſanctus Petrus vt diligeremus, Apoſtolicè iuſſit.

Vale Lector, & quod Timotheo præcipitur, Attẽde lectioni, vnde temet & alios in Orthodoxa fide cõfirmabis. Iterũ Vale.

DOMINICA

PRIMA ADVENTVS,

FRatres, Scientes quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit. Abiiciamus ergò opera tenebrarũ, & induamur arma lucis. Sic vt in die, honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Rom. 13.

ANTELOQVIVM.

SAnctus Apostolus electum vas, quo nomen sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi gentibus proferatur, epistolam planè diuinam ad Romanos in tempore suæ scripsit peregrinationis. Romani verò erant ethnici, quibus præcipuè designabatur apostolus. Vndè etiam gentium apostolus dictus est. Epistola dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quod est, mittere. Est autem charta ea, qua absentes amicos de rebus nostris facimus certiores. aliâs dicitur literæ. Literas eas Græcè scripsit, propterea quòd tunc lingua ea omnium erat communissima. Mysterium obserua vocationis omnium gentium. Epistolam eam tanquàm ad nos scriptam, accipere debemus. Sumus enim ex ethnicis fideles. Sic verò Epistolas omnes huius Apostoli accipiamus, vt verum Dei verbum, Dei nimirùm spiritu scriptas. Vocatus apostolus, vas electionis, cooperarius Christi, minister spiritus & non literæ, dispensator mysteriorum Dei. Epistolæ eius ad Romanos & aliarum sectiones certæ, vulgò vocantur epistolæ per synecdochen. Argumentum epistolarum omnium, est fides per charitatem operans: talis nimirùm fides iustificat, beat, & meritis in cælo posthàc ditat. Non fides sola ab Apostolo docetur, sed & bonæ vitæ paræneses identidem inferuntur. nam & Euangelistarum scripta, ethologica planè existunt. Summa huius

Apostolũ Paulũ Græcè scripsisse.

Ethologia

ea omnis scriptura.

lectionis protreptica, hoc est, exhortatoria. Quasi dicat Fratres, qui vestra Christo nomina dedistis, qui Christi censemini nomine atque adeo Christiani, à Christi nonime vocamini, satagite vocationem vestram verè piam reddere. Alia religio, alia vita, & (vt Comicus ait) hæc dies aliam vitam adfert, alioſque mores poſtulat. Et ſcitum eſt hoc Apoſtoli 2. Cor. 5. Si quis eſt in Chriſto, noua creatura eſt. Vetera præterierunt, ecce noua facta ſunt omnia. Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum Ieſum. Item 1. Cor. 6. Hæc eratis quidem, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis, per nomen Domini Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri. Iterum Ephe. 4. Vos autem non ſic didiciſtis Chriſtum, ſi quidem illum a diſtis & in eo docti fuiſtis, quemadmodum eſt veritas in Ieſu, deponere iuxta priorem conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur iuxta cõ cupiſcentias erroris: renouari verò ſpiritu mẽtis veſtrę, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus eſt per iuſtitiam & ſanctitatem veritatis. Hæc omnia eò tendunt, vt nouæ vitæ nos admoneant, nè in vanum gratiam fidei receperimus: quoniam ſola ea fides, bonorum operum vacua, neque iuſtificat, neque beat. Nam quod Dionyſius ait, totus Chriſtianiſmus ſitus eſt in praxi. Debent ergò auditores euangelij, etiam effici factores. Neque enim abſurdum non eſſe non poterit, ſi ita euangelium receperimus, tanquàm Chriſtus ſaltem logodędalus & ſpermologus fuerit, nec in nos hoc iuris habeat, quod ethnicis philoſophis in ipſorum fuerat diſcipulos. Qui Pythagoricæ ſe manciparunt diſciplinę, mores priſtinos planè cogebantur abolere, & ad Pythagoræ præſcriptum, vitam ſuã per omnia formare. Profeſſioni Zenonis ſiue Diogenis qui ſe inaugurati conſtituerunt, planè item innouari oportuit. Hippocrates iureiurando diſcipulos ſuos obſtrinxit, ne aliter loquerentur, aut viuerent, atque ſibi ſuus præſcriberet præceptor. Hinc & doctrinæ philoſophicæ, tam diſciplinæ quàm præcepta vocãtur. Philoſophorum præceptis qui ſeſe ſubmittere grauabatur, ex illorũ ſcholis atque iatricis ſtatim explodebatur. Iudęi ſuos *Gerim* ſiue profelytos informantes, hoc præcipuè ſtuduerũt, vt legi eos prorſus ſubiicerẽt,

Terentius in Andria.

Chriſtianiſmus ſitus in praxi.

atque obaudientes dicto legis efficerent. Et Aegyptio Hierophãtæ indecẽs planè erat, aliter ſeſe gerere, atquè conſtitutiones & cõſuetudo ſacerdotum poſtulauit Aegyptiorũ: Veſtæ initiatæ virgines, impunè deæ eius ſacra haudquaquàm violabãt. Quo ergò ore Chriſti nos præcepta eludimus, per ſolius fidei prædicationẽ ea eneruantes? Qui baptizati ſumus, nónne olei regalis vnctione, vitæ regalis admonemur? Quorſum candidã induimus veſtẽ? nónne vt cãdidos mores, Chriſto dignos, perpetuè exprimere ſtudeamus? Nomina Chriſto dedimus, ciues, immò etiã filij, eccleſiæ effecti: par eſt ergò, vt Chriſtianæ politiæ aſſueſcamus. Audiatur hic diuus Petrus 2. cap. 1. Omni adhibito ſtudio ſubminiſtrate in fide veſtra virtutẽ, in virtute verò ſcientiã, in ſcientia verò tẽperantiam, in temperantia verò patientiã: rurſus in patiẽtia pietatem, in pietate verò fraternam dilectionẽ. Hæc cùm vobis adſint & exuberent, haud ocioſos nec in irritum laborantes efficiunt, ad Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionem. Nam cui nõ adſunt hæc, is cæcus eſt, & manu viam tentans, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum. Quid aliud hæc verba principis apoſtolorum ſibi volunt, niſi vt nos religioſæ vitæ admoneant? Senſus eſt: Gratis accepiſtis quo ad merita tendatis, vt ait Sanctus Ambroſius. Atque hęc ad prefationẽ. Sectionem ſi quis requirat, meminerit primò Apoſtolum nos cohortari ad feſtinam operis boni inchoationem, dicens, Scientes quia hora eſt &c. Secundò regalis virtutis, hoc eſt, præclari operis boni nos admonet, dicens: Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Tertiò alterum horum repetit, nempe mali declinationem: infert enim, Non in comeſſationibus & ebrietatibus, &c. Sequitur lectio. Textus:

Sacerdotes & reges in baptiſmo deſignati, nos geramus honeſtè oportet.

Scientes quia hora eſt iam nos de ſomno reſurgere. Ac ſi dicat: Scimus nonnihil quod ad rẽ plurimũ facit, vndè cautiores eſſe debebamus. Scimus tẽpus gratiæ eſſe p̃ foribus, iudicẽ adſtare deniq; ante ianuam. Epulũ gratiæ ſi dormitantes neglexerimus, iudici diſtricto ſocordiæ pœnã dabimus. De tẽpore iſtoc gratiæ audiamus Apoſtolũ 1. Tim. 3. Deus manifeſtatus eſt in carne: iuſtificatus eſt in ſpiritu: viſus eſt angelis: prædicatus eſt gentibus: fi-

des illi habita est in mundo: receptus est in gloria. Tit. 2. Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & iustè & piè viuamus in præsenti seculo. 2. Cor. 6. Eccè nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Nè quam vsquàm demus offensionem. Meminerimus temporis iactura nihil æquè esse perniciosum. Meminerimus occasionem fronte capillatam esse, retrò verò caluam. Ethnicorum Kæros, hoc est, occasio obseruanda, monente hoc philosophorum aliquo. Porrò nostrum Kæros, de quo Apostolus ait, tempus est gratiæ, quæ omnibus quidem patet omni tempore: sed vbi semel contemptim eam arcessas, in spiritum sanctum peccas, atque te gratia indignum efficis, atque adeò perdis. Mirum quàm hic nobis consentiant ethnici. Apostolus ait Eph. 5. Tempus redime. Philosophus quoque dicit, Nosce tempus. Et Dominus ait: Adhuc parùm lucis in vobis est, ambulate in luce dum lucem habetis. Dicis, quis hic stertit? Dormitat, qui suam vocationem non instat certiorem facere per opera quęcunque bona, per exercitium disciplinæ ecclesię, & quicquid id est religionis & pietatis. Hic Salomonis dictum locum habet: Noli diligere somnũ, ne te egestas opprimat. Item cap. 20. item cap. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Item Eph. 5. Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Non abludit hoc Poetæ:

occasio

Dormitãt in ecclesia supini, bonorũ operum negligentes.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto,

Nũc porrò vigilãtię ratione ex ipso Aposto. audiamus.

Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.

Maledicta requies, quæ nos æterna priuat requie.

Stulte, sopor nil est gelidæ nisi mortis imago.

Maledictus ergò somnus, qui nos in ęternam sopit mortem. Quis non execretur infernalem acediam? Quis non auscultet tanto Hippocrati, lethargo veteris Adami medenti? Audite fratres, Apostolica vniuersum mundum personat tuba. Non bellicum taratantara, sed pacificum alleluia. Propè salutem denunciat. Sol iustitiæ exortus est: gratia, pax, misericordia, redemptio, vita, salus, beatitudo, per Christum parta sunt omnibus in-

Christo piè viuentibus. Quid non fecit Emanuel noster, quo suam erga nos misericordiam egregiè declararet, in stuporem nobis, etiam angelis cæli? Eia fratres, si tantæ curæ Deo nostra est salus, quid nos supini stertimus? Videamus nè in nos dictum sit Pro. 1. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus vrbis portarum profert verba sua, dicens: Vsque quo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibũt scientiam? Conuertimini ad correptionẽ meam. En proferam vobis spiritum meum, & ostendam verba mea. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui adspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoquẽ in interitu vestro ridebo.* Nos nè tangat quod dicit Esa. 65. & Apostolus Ro. 10. Tota die extendi manus meas ad populum non audientem, & resistentẽ mihi*. Et hoc Mat. 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas * suas, & noluisti? Ne itaque contemptores contemnamur, auscultemus Apostolum. Propius est, ait, nostra salus, atquẽ credidimus. Iudæi in Mose salutem fuisse arbitrabantur, ethnici Ionibus suis salutem adscripserant suam. Moses est qui suos asseclas primus accusat. Ethnicorũ dij sunt maledicti cum cultoribus suis omnibus. Christus Iesus Mariæ filius, est nostra salus, de quo sic testificatur Petrus Act. 4. Non est in alio aliquo salus. Nec enim nomen aliud est sub cẽlo datum hominibus, in quo oportet nos saluos fieri. Veritas quoque negat se longè abesse, dicẽs Lu. 17. Regnum Dei est intra vos. Hoc est, Verbum Dei est in ore tuo & in corde tuo, Deu. 30. Ro. 10. Beatus qui intelligit. Sequitur:

* *Nosnè*

Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

Quod si nox præcesserit, quid in die salutis nostræ, blandicella & ea exitiosa quies furtim nostris subrepit ocellis? Noctem vocat Apostolus tempus ignorantiæ, quæ etiam sensus obtenebrauit (hoc est, corrupit) nostros, nè solem iustitiæ oculi intenderent nostri. De istac nocte audiatur Apostolus Ephes. 2. Et vos cum essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambu-

Nox tẽpus erat ignorantiæ.

lâstis iuxta seculum mundi huius, iuxta principem cui potestas est aëris, qui est spiritus nunc agens in filiis cõtumacibus, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentiis carnis nostrę, facientes quę carni & menti libebant: & eramus natura filij iræ, quem admodum & cæteri. Nox illa oculos mentis detinuit, nè salutis nostræ authorem nosceremus, vnum Deum in Trinitate, verbum incarnatum, Euangelium fidei & perfectæ religionis, &c. Nox illa Ethnicorum, crassa adeo fuit, vt Iudæos quoque sua vmbra obtenebraret. Pro temporis ratione dedit illis Deus legem, captui eorum aptam: sed lux illa comparata ad Euangelicum iubar, vmbra est & ænigma. Clara dies Christi, quam etiam in legis vmbra viderunt multi prophetę, quam ante legem contemplatus est pater noster Abraham. Dies autem illa est, in qua illuxit nobis oriens ex alto, in qua Sol iustitiæ cordibus nostris est exortus. Solis huius lampas illa, quæ Magos duxit ad Christi præsepium, adeo fuit iucunda: non ergo tristis poterit esse ipse Sol atque Oriés. Ignis Deus est, habitans ignem inaccessum. Petrę Christo ignem eum habemus commissum: beatus qui excutere nouit.

Dies Christi clara.

Abiiciamus ergo opera tenebrarum.

Iustificationis gradus.

Declinare malum nos noster hic admonet Apostolus, quod primus iustificationis est gradus, fidelibus prescriptus. Attende ordinem. Supra dixit, vigilate, hoc est, nè sitis acedioſi, nè torpeatis, sed estote succincti lumbis, sedulitatem exprimentes. Nunc monet vt torpore excusso, noctis opera quoque expungamus. Sunt autem noctis opera, ebrietas, luxus, libido, pecuniæ ardor, fastus, &c. Carnis fructus, sunt opera noctis. Vide 2. Cor. 12. Gal. 5. Apostolus non obscurè dicit 1. Cor. 15. Euigilate iusti, & nolite peccare. Quid aliud hic Apostolus sibi vult, nisi vt peccata, noctis opera esse ostendat? Hallucinatur, qui dicit: Mortui non resurgent: Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Præclarè item dictum est 1. Thessaloni. 5. Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Hoc est, qui ebrij sunt, ex nocte vitiorum hoc habent. Glos. Ord. ait: Nox, vitiorum habitus est. Tenebræ sunt infidelitas, Ioan. 3. Econtra: Fides est lux quæ facit

Noctis opera.

diem, hoc est, habitum virtutum. Dicunt impij intra se, non rectè cogitantes, Non est Deus: aut certè dicunt Deum hęc & illa vitia humana non respicere, immo dissimulare. Fingit homo sibi Deum, ✻quales ethnici habent, oculos habentes, & non videntes. Deus sacerdotum Baal edormiens crapulam, excitari non potuit, etiam maximis clamoribus. Dicis, quid hoc ad nos? Viderit quisque, an non talem sibi Deum fingat, si socors in tanta luce degat, si suam negligat salutem, dein si non strenuum se gerat Christi seruum, œconomum & militem. Dixerim ego, ita nos vitam in Cimeriis, immo Acherontiacis atque Tænariis tenebris degere, vt etiam ethnicis aliquando veniamus diiudicandi. Fatetur hoc ferè omnis, qui cordatior aliquâto est: sed qui se reformet, luce dignè componat, quotusquisque est?

Et induamur arma lucis.

Admonuit nos vigilantiæ, dein etiam exhortatus est ad expiationem sedulam vitiorum: nunc porro ad bonorum operum nos inuitat exercitia, vtique iustificantia: quia lucis sunt, & non tenebrarum. Receptum est Hagiographis, fidelibus duo hæc postrema fere commendare iũcta, Declinare à prauo, & præstare bonum. Partibus suis non satis perfungitur Legislator malum prohibens, nisi etiam bonum præscribat. Bonus legislator Esaias, dicens capite primo: Quiescite agere peruersè, discite benè agere. Item Amos 5. Odite malum, diligite bonum. Iterùm Esa. 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Apostolus quoquè ait: Qui furabatur iam non furetur: magis vero laboret, quod bonum est, vt habeat quod impertiatur non habenti, Ephes. 4. Hic schematicè ait: Abiicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Peccata vocat opera tenebrarum, quod infideles plerunque illis obnoxij existant: in quos princeps, cui potestas est caliginis, ius habet: vel quod instigante diabolo fiant. Dicitur enim diabolus Deus & princeps tenebrarum, Luc. 22. Ephes. 6. Dicuntur etiam peccata opera tenebrarum, quod in extremis tenebris eorum auctoramentum atque merces sit constituta, Matth. 22. & 25. Vel quod etiam ratio-

Tenebrarũ opera.

nis lumen ab illis abhorreat. De operibus hiſce ſic noſter loquitur Apoſtolus Eph. 5. Nè commerciũ habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum: quin ea potius arguite. Nam quæ ſecretò fiunt ab iſtis, turpe eſt vel dicere: ſed omnia dum produntur à luce, manifeſta fiũt. Ex operibus hiſce noctis ſinè negocio, quæ ſint arma lucis, deprehendes. Virtutum amor & exercitatio, lucis opera ſunt. Fides lux eſt: fructus fidei, radij ſunt lucis. Vndè Dominus ait apud Matth. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, &c. Modus hic loquendi non infrequẽs eſt apoſtolo Paulo Rom. 6. Nè accommodetis membra veſtra arma iniuſtitiæ peccato, ſed accommodetis voſmetipſos Deo, velut ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. 2. Cor. 6. Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. De diuina ea panoplia, hoc eſt, tota armatura, aliâs plura vides apud Apoſtolum. Hic obſerua, arma lucis ſingularem habere energiam, qua hæreticorum retundi poterit irruptio. Dicunt opera fidelium bona, eſſe peccaminoſa, quaſi lux & tenebræ ſibi conſentiant. Dein dicunt, charitatis & Eccleſiæ diſciplinæ exercitia, iuſtificationis rationem nullam habere, quaſi opera bona, arma lucis & arma iuſtitiæ non ſint: & delirus ſit Apoſtolus, ea arma iuſtitiæ vocans, etiam in membris noſtris, non ſolum corde & oculis, verùm etiam ore, lingua, manibus & pedibus, &c. Sed valeant hæretici. Audiat catholicus Apoſtolum inter filios Belial & tenebrarũ, & inter filios Dei & lucis diſcernere, vt quiſque videat, vitiorum authorem diabolum, ſtipendium eſſe iniuſtitiam & mortem: virtutum vero authorem eſſe Deum, auctoramentum eſſe iuſtificationis gloriam. De filiis lucis vide Apoſtolum Epheſ. 5. primæ Theſſaloni. capite quinto. Iterum atque iterum viderimus nos, qui ſemel ſumus illuminati, & qui guſtauimus donum cæleſte, participeſque facti ſpirituſſancti, nè prolabamur, rurſus ab integro crucifigentes nobiſmetipſis filium Dei, peccantes ſecuri, quaſi Chriſtus leno venerit in hunc mundum, & ſpiritum nequitiæ nobis pepererit: quod in ſpiritum eſt peccare: atque hoc peccatum eſt, quod denuò per pœnitentiam difficulter renouatur,

Lucis arma quæ.

Panoplia diuina.

Opera bona iuſtificare.

Hebr.6.Supereſt ergo,vt opera carnis mortificemus, & ſpirituſſancti in nobis excitemus,arma,arma lucis,vtiq; arma iuſtitiæ vel in membris noſtris,Galat.5.2. Cor.6.

Sic vt in die,honeſte ambulemus.

Vides etiam rhetoricari eum,qui eſt artium omnium author.Dixit diem aduenisſe,noctem euanuisſe:colligit ergo,ſupereſſe vt in die honeſtè nos geramus. Sic vt in die,ait:quaſi dicat, iam tempus eſt vt virtuti ſtudeamus. Non crepuſculum, in quo ab angulo ſe ſor ex prodit, ſed clara dies adeſt.Campus oculos habet, & ciuitas aures.Et pueri naſum rhinocerotis habent. Nox dedecorum patrona, honeſtatis inimicia, iuxta atquè ebrietas, nihil moderabile ſuadet.Cæca eſt,effrons,effrenis, crudelis,cum timore,tum pudore vacans. Nocte ſiquidem latent potæ,ſurgunt de nocte latrones.Vinoſi nocte inebriantur,mœchi nocturna hora ad furta prodeunt,fures & latrones ſua facinora deſignant.Vndè & dies Dominici aduentus,noctis tempori à Chriſto comparatur. Dies,honeſtatis eſt egregius exhortator:vndè cæca antra atque fornices,tanquam nocturnæ volucres,propudioſæ petunt meretrices. Abſcondunt, ait ille, ſpurcas hæc monumenta lupas. Quotuſquiſque eſt, qui ſe non aliter die,quàm noctu,gerat? Nunquid non omnia quæ tenebræ tegunt,lux retegit?In nocte idololatrici erroris & phariſaicæ ſuperſtitionis,neque craſſæ iniquitatis neque ſuperſtitionis,neque hypocriſios nos quiſquam redarguit.Euangelica vero lex nos nunc admonet,vt ſynceri atque perfecti eſſe ſtudeamus.Hortatur ergo Apoſtolus vt εὐσχημόνως, id eſt,pulchrè & decenter ambulemus,1.Cor.14. Vult vt omnia euſchemonôs,id eſt, ſcitè & ornate fiant.Idem 1.Theſ.4.monet, vt in ſapientia ſiue ornatè atque honeſtè ambulemus ad eos qui foris ſunt, i. vt ethnicis & Iudæis ſpecimen præbeamus honeſtatis. Eregionè aſchemonôs, 1. incompoſitè, in decenter & perperam, ſignificat. Dicit ergo, charitatem nihil aſchemonôs agere σχηματίζομαι,i.ornor.σχηματίζω, i.orno,&c.Molles illi ciniflones,qui in domibus regum ſunt, nè hic ſuæ phaleratæ lautitiæ patrocinium quærant, meminerint Apoſtolum loqui de decoro mentis, de ædificatoria religione dicere, non de effœminato-

rum ornatu. Nam & ethinici odio, teſte poeta, habuerunt iuuenes vt fœmina comptos. Vetat itaque idem hic noſter Apoſtolus, nè conformemur huic ſeculo μὴ συσχηματίζεσθε Romano. 12. Mundi ornatus conſiſtit in lautitie faſtidioſa. Eccleſiæ Chriſti ornamentum eſt virtus & timor Dei. Talem ornatum nobis etiam apoſtolus Petrus commendat ea ipſa dictione, 1. ca. 1. Noſtræ religionis venuſtatem iterum apoſtolus Paulus paucis perſtringit 1. Tim. 2. Idem facit S. Petr. ca. 3. Eſt autem verecundia, ſobrietas, & hoc genus meritorum. Euangeliſta Mar. 15. Ioſephum ab Arimathia vocat εὐσχήμονα βουλευτὴν i. honeſtum ac grauem ſenatorem. Summa, non eſt Apoſtolus aulicus mango æſtimandus. Pietatis doctor eſt, monet ergo, vt [illegible] lucis, theoſebiæ ſpecimen ſe ethnicis debere nôrint. Sequitur:

Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.

Peccatum eſt noctis opus.

Hic ſpeciatim explicat, quod ſupra de operibus noctis in genere monuit. Principio ſacerdos hic meminerit dicti poetæ:

Venter, pluma, Venus, Chriſtum fugienda ſequenti:

Meminerit etiam eorum quæ in choro cantare ſolet contra gaſtrimargiam, quam poteris per periphraſin appellare inſaniam circa ea que ventris ſunt. O vtinam reddatur nobis tempus in quo fideles dixerunt: Nos ieiuniis aridi, & omni continentia aſperi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, inuidia cælum * tendimus. Vide Tertullia. Redibit procul dubio tempus hoc aureum, ſi ritè noſtrum legerimus & intellexerimus Apoſtolum. Obſerua Apoſtolum hic noctis opera ſex recenſere. Primum eſt crapula, quam Apoſtolus hic vocat Komos. Notat vero proprie ſplendida illa magnatum conuiuia & comeſſationes. Qui mihi hic fidem adhibere recuſat, interroget ſupra Hieronymum atque Ambroſium, Origenem, Theophylactum, & alios. Contra comeſſationes eas magnificas, vide Eſaiã 6. & Amos 6. Secundum eſt vinolentia, quæ hoc loco epiſtolæ dicitur metha. Committitur flagitium hoc compotatione & vini ingurgitatione. vndè funeſta ſequitur temulentia, exitium corporis & animæ, hominem tam

* tendimus

rebus ſpolians, quam honore priuans. Metha hæc Komo prædicto indiuidua eſt comes. Vtrunque ipſe ſeruator prohibet Luc. 21. ibi comeſſationem eam vocat crapulam. aliâs item Græcè dicitur gaſtrimargia. nos vocamus crapulam. Komos damnatur Galat. 5. 1. Petr. 4. Ibi Petrus vocat œnophlygiam, quæ & alibi Græcis dicitur temulentia. Apoſtolus 1. Tim. 3. vocat parænian. Septuaginta apto planè vtuntur vocabulo ſymbolocopos, hoc eſt, epulo, homo madidus vino, madulſa, ebrioſus. Eſt autem ſymbolocopos, quaſi laborans circa ſymbola, vino ſe obruere gaudens. Tertium eſt libido, quæ ebrietatem & crapulam originem habet certam. Dicit ergo ille: Venter plenus ſpumat in libidinem. Vitium hoc Apoſtolus hic vocat Kœtas cubilia, honeſta periphraſi locum, vbi opera noctis fieri ſolent, pro ipſo flagitio accipiens. Ruben quoque ſic dictus eſt ingreſſus eſſe cubiculum parentis ſui. Græci Kœten legunt, quaſi in parentis aſcenderit lectum, Gen. 49. Contrarium eſt quod Apoſtolus ait Heb. 13. Honeſtum omnibus coniugium, & cubile impollutum. Quartum impudicitia eſt, Græcis dicta aſelgia, hoc eſt, laſciuia, petulantia, &c. Marc. cap. 7. vitium hoc poſt adulterij ponit flagitium. Idem facit Apoſtolus Galat. 5. Vndè coniicimus, laſciuiam per ſe capitale eſſe crimen. Procacitas etiam poterit dici, & turpiloquium, quod vitium ferè ſequitur tam crapulam, quam libidinem. Vndè etiam inter gulæ filias numeratur. Sanctus Hieronymus vocat principia morituræ virginitatis. Apoſtolus ad Epheſ. vocat æſchrologian. Lupæ & lenones nôrunt, huiuſmodi verba irritamenta eſſe venerea. vndè talibus identidem vtuntur, tanquam ſemper in nocte agant, & ſe quodammodo proſtituant, quod Apoſtolus hic vocat aſelgiam. Epheſ. 4. etiam hoc vtitur vocabulo. Ibidem ſequitur acatharſia, hoc eſt, turpitudo in ipſo facto, quod & 1. Corinth. 7. dicitur acraſia, quod nos vocamus incontinētiam atque mollitiem. Quintum eſt contentio, rixa, lis: quod faciunus tam in conuiuiis potatorū, quam in lupanaribus frequens eſſe videmus. Quanquā etiā de omnibus aliis calumniarum & criminationum generibus accipi poſsit. Sextum eſt æmulatio ſiue zelus, prædictorum quoque

Turpiloquiū, mētis eſt corruptio.

vitiorum filia. Amor non caret zelotypia. Et ebriosi ità peragunt sua conuiuia, vt memorem odio habeant sympoten. Præcipue inter præpotentes purpuratos maxima est æmulatio, qua alij alios luxu & põpa studeant superare. Pomposa ea idola, mirum quã plebi inuideant, si aliquandò liberius pergręcetur, putantes se solùm natos fruges consumere. Est itaque zelus, cũ in malam partem accipitur, vt hic iracũdia ex qua nascitur odiũ, quod etiam rancorem vocant. Apostolus quod hic vocat zelũ, alibi etiam appellat phthonon, i. inuidiã siue inuidentiã. Est autem inuidentia, qua homo de proximi sui ærũnis lætatur, & de rebus secundis contristatur. Malum, quo Siculi tyranni nullum supplicium maius sunt commenti. Notum est, zelum etiam in bonam partem accipi, Psalm. 69. Ioann. 2. Roman. 9. &c. De operibus noctis vide Marc. 7. Rom. 1. 1. Co. 6. Gal. 5. 1. Tim. 6. Vix locus est alibi in tota scriptura, qui magis quadret huc atque ille 1. Pet. 4. Audiuimus satis superque quæ nos dedeceant: iam quæ deceant nos, videamus.

Sed induimini Dominum Iesum Christum.

Obserua statum Apostolicæ epistolæ. Suprà hortatus est, vt opera carnis abiiciamus: nunc eregione submonet, vt Christum Iesum loco ipsorũ carnis operum induamus. Salutaris adeô permutatio, lucẽ cœlestem, quæ Deus ipse est, pro tam crassis & fœdis tenebris induere. Sed quidnã Christũ est induere? Nunquid saltẽ credere? nunquid Romani credẽtes, quibus Apost. hic scribit, sola fide poterat iustificari? Si sola fide Christus perfectè induitur, superuacaneũ est hoc quod hic subdit Apost. Sed Apost. seruus est, electus Dei, vas electionis: verbum Apostoli est verbum Dei, cui nihil aut demi potest, aut adlaborari. Sunt ergo noui Euãgelistæ verè Antichristi, fœdi spermologi, incentoresque malorum. Fides Romanorum in priori ca. satis prædicatur: nihil ibi laborat Apost. quia nullũ ibi discrimẽ: arma verò lucis, vestẽ eã quæ Christus ipse est, insuper Romanis cõmendat, credentibus sedulò instat Apostolus. Non sufficit veterem deposuisse Adamũ. nam & nouus induatur oportet. Neque itẽ gratia spiritus, atq; adeo ipse spiritus ociosè accipiendus. fructus enim spiritus vt sequantur necessum est.

Christũ induere nõ est saltem credere.

Eccé tibi quid ſit Chriſtū induere. Vis authoritate hoc oſtendi ſcripturæ? Vide 1. Ioan. 1. vbi dicitur: Hęc eſt promiſsio quam audiuimus ex ipſo, & adnunciamus vo vis, quod Deus lux eſt, & tenebrę in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quod ſocietatem habemus in illo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus. Quòd ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus inter nos mutuam, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti filij eius, emundat nos ab omni peccato. Item cap. 2. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ambulare, quemadmodum & ille ambulauit. Et locus Gal. 5. vbi dicitur de Chriſti indumento, aliter intelligi non poteſt. Velimus nolimus, fateamur oportet, Apoſtolum hic ponere antitheſim, qua carnis ſeu noctis operibus opponit Chriſtum, vtique Chriſti exemplum. Carnis opera recenſuit, comeſſationem, ebrietatem, crapulam, libidinem, impudicitiam, turpiloquentiam, rixas & æmulationem. Chriſtus ergo eſt ſobrietas, temperantia, & hoc genus catholicæ diſciplinæ: Chriſtus item eſt, ſe propter regnum cœlorum caſtitati deuouere. Summa: oppoſita ſunt, virtutum omnigenum, religionis ſanæ & pietatis exercitia. Sic fit, vt Chriſtus qui intra nos eſt fide, etiam extra ſit diſciplinarum obſeruātia & opere bono. Hinc enim mundus glorificat Deum. ſola fide quis ædificatur?

Chriſtus intra nos fide, extrà opere.

Et carnis curam ne feritis in deſideriis.

Appendicula neceſſaria. Tacite quæſtioni reſpondet maleuolorum. Diceret aliquis. Veneris Bacchique mancipium: Paulum, edere, bibere, dormire, & hoc genus prohibere cæterum. Hoc eſt ingenium eorum, quorum coluber ille antiquus mentes dementauit: mendacium veritati vndique opponunt. Hoc ſolum ipſorū ſcutum, atque ancora ſacra. Victum atque amictum, nuptias & cętera humanæ vitę generisque ſuſtentacula, ſcriptura ſacra non execratur: maledicit vero ingluuiei & intemperantiæ. Cura carnis licita, Eph. 5. ſed non ad luxuriam quam tam vetus quam nouum damnat teſtamentum, Deu. 21. Pro. 20. Eccleſi. 18. Amos 1. Quid quod & ethnicorum philoſophi, præter ſolum Epicurum, ad vnum voluptatem deteſtantur omnes? Notum eſt hoc Poetæ:

Carnis cura quatenus licita.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Et illud:

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

Diligenter vero considerandum, atque expendendum trutina iusta, quid sit Carnis prouidentiã facere, quod ex Hebraismo reddi poterit, Carni prouidere siue prospicere Act. 24. pronœa (quod Mat. 6. alitervocatur) cura ea est, quam indulgentiam possumus vocare. Prouerbialiter item dicitur, Curare cuticulam, pro eo quod eodem modo dicimus, Indulgere genio. Poteris item hunc locum legere, Et carnis prouidentiam nè agatis ad concupiscentias. Sensus: nolite corpori peccati esse indulgẽtiores. Mat. 6. sollicitudo superflua prohibetur: hic dãnatur cura carnis atque cuticulę luxuriosa. Faxit Deus, vt tã diuinũ monitorẽ auribus ad audiendũ audiamus, atq; verba salutis æternę cordib⁹imis reponamus, ad ædificationem & fructus salutares & Dei solius gloriam. Qui in sancta Trinitate viuit & regnat vnus Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA PRIMA ADVENtus, Matth. XXI.

Cum appropinquassent Hierosolymis, &c.

¶SECTIO LITERALIS.

1. Messiæ status & conditio, clarè adeò descripta est per prophetas, vt nulli dubium de Christo esse possit.
2. Oracula in Christo adimpleta sunt omnia.
3. Discipuli obsecundant Christo, & colunt ipsum, asinam cum pullo animalculavilia Christo adducta, suisve stibus exornando. Populus tripudiat, Christum confitendo. Omnia spiritussancti fiunt instinctu, ad Messiæ præsentiam declarandam.

¶DECLARATIO.

1 Cùm * appropinquâsset Iesus Hierosolymis, & veniisset Bethage &c. Appropinquans Iesus Solymis, quia Sioni erat præcipuè promissus, Psal. 2. Diligit Dominus portas Sió, Psal. 77. 86. In Hierusalem, Esa. 31. 41. 50. &c. Summa: Nihil tam celebre in scriptura est, atque Hierusalem & Sion. Eccl. 24. In Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem pote-

ſtas mea. Eſa. 2. De Siõ exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Appropinquans, habet emphaſim. Q. d. Ap propinquauit Soter, adimplebũtur omnia. Bethphage, villa erat ſacerdotũ, in deſcenſu montis oliuarum. Chriſtus ſacerdos verus, cum ſacerdotibus ſemper conuerſatus. Quotidie, ait, vobiſcum eram in templo.

2 Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua &c. Adeò omnia in Chriſto adimpleta, vt etiam equitatus is, quẽ hodie celebrat Eccleſia, non ſit temerè factus. Paupertas, manſuetudo, iuſtitia, & cætera quæ regem decent, affatim ſecundum prophetarum oracula viſa ſunt in Chriſto: maximè huius præſentis paupertatis, comitatis, & iuſtitiæ, denique & zeli, quo vendentes & ementes è templo diſturbauit, meminit Zacha. 8. 9. Eſa. 62. Pſal. 68.

3 Plurima autem turba ſtrauerunt &c. Nemo putet, temere Apoſtolos aſinis veſtes impoſuiſſe, atque eos exornauiſſe, nec etiam ab re vanos & leues homines aſinis veſtes ſuas ſubtrauiſſe. Denique non fuit delirium ebriorum hominum Chriſto acclamantium, ſed enthuſiaſmus ſiue furor ſacer erat, quo omnia fiebant.

Multa huiuſmodi dicta & facta, paſsim in ſcriptura canonica Lectori occurrunt. Ethnici omen vocant, nos certam Dei prędeſtinationem & conſilium. Hoſianna ex Pſalm. 117. depromptum eſt. Pertinet huc aſina Balaã loquens, prophetia Caiphæ, & quod Pilatus ait, Quod ſcripſi, ſcripſi, &c.

¶ SECTIO 2. MYSTICA.

1 Eccleſiæ catholicæ dignitas, pluribus prophetarum oraculis, & patrum figuris eſt deſignata.

2 Chriſtus verus Meſsias, Eccleſiam comis viſitat, & ſubindè expurgat.

3 Eccleſia habet cęremonias & ſolennitates, myſteriorum ſymbola variorum, & anſas meritorum.

¶ ELVCIDATIO, PROPTER AMplificationem, pro rudibus.

1 Auguſtinus dicit, nihil eſſe quod plura habeat in ſcriptura teſtimonia, atque Eccleſia occurrente Deo ſic hæreticorum prauitati, Eccleſiam identidem impugnantium. Exẽpli gratia: Hieroſolyma (quam ✻ vrbem

visionem pacis interpretantur) Ecclesiam significat orthodoxam, in qua (iuxta Prosam de Dedicatione Ecclesiæ) pax & gaudia redundant. Vide Apoc. 2. 3. 21. 22. Sion erat Arx & turris Dauid, in monte sita: hæc adumbrat Ecclesiam, in qua bellum assiduum, non solùm aduersus diabolum, mundum & carnem, verùm etiam aduersus tyrannos & infideles, denique aduersùs hypocritas, hæreticos, & ipsum Antichristum. Castra quoque, Ecclesiæ typum habent, Gen. 32. Can. 6 Mundus, hisce castris aduersarius existens, castellum dicitur: quia princeps huius mundi, Ecclesiæ non prævalet. Postremò, & mons oliuarum, Ecclesiæ habet significationem, quia in Ecclesia est lux indeficiens, & veritas solida & permanens. Oleum (vt habet Theophylactus in Mar. cap. 6.) habet fomentum lucis. Ecclesia basis veritatis, 1. Tim. 3. Pro. 9. Psal. 88. &c. Sensum communem Ecclesiæ deferens, in errorum peribit abyssо. Oleum etiam clementiam Dei significat. Nusquàm nisi in Ecclesia est remissio peccatorum. Denique ex oliua conficitur chrisma vngendis sacerdotibus & regibus. Vndè baptizandos & baptizatos, etiam initiandos, chrismate & oleo sacro illinit Ecclesia. Misericordiæ Dei significationē & sacramentum habet Oleū sacrum, quo vngūtur ægrotantes.

2 Venit Christus subindè tanquàm agricola in vineā suam, eam putaturus. Falx putatoria, Christi Vicariis est commissa: qua si non vtuntur, prævaricantur.

3. Ecclesiæ cæremoniæ non solùm symbola Mysteriorum, sed materia sunt meritorum. Bonum opus siquidem hic Apostolorum & aliorum piorum prædicatur.

DIVISIO MORALIS.

1 Christus doctor & præceptor, etiam exemplo paupertatem & mansuetudinem nobis commendat. Nisi ipsum fuerimus imitati, censorem districtum videbimus: quia omne iudicium dedit illi pater.

2 Asina subiugalis, pullus asinæ, iniugis quidem, sed Christum portans ipsum, significat tam Iudæos quàm ethnicos, ad Christi fidem & Ecclesiam vocatos, Christo & Ecclesiæ obaudire oportere, solam & ociosam fidem non seruare, opera bona iustificandi rationem habere. Soluuntur priùs, quando & libertas arbitrij omni-

bus

bus renatis dat. Hæretici dicunt, arbitrium semper manere, etiam in ecclesia, seruum.

3. Vestes & oliuæ significant opera misericordiæ. Palma fortitudinem & perseuerantiam adumbrat. Palma est cortice cultellato, difficilis ascensu: sed fructum habet dulcissimum. Virtutis quoq; aditus est difficilis, sed fructus iucundus. Acclamatio, animi prompti & voluntatis hilaris habet significationem & expressionem.

DECLARATIO sensus ethici.

1 Quòd saluator venit Bethphage, quod interpretatur domus maxillarum, significat professionem Ecclesiæ sensus communis. Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Viderint Eunomiani, Aëtiani, Iouinianistæ, & alij hæretici, quænam potissimùm fides saluet, Bethphages nimirùm, quę sita est ad radicẽ montis Olueti, an Athenarum scholæ.

2 Asinum laboribus natum, prouerbia & apologi propemodùm infiniti declarant.

3 Hosianna, facit ad hoc quod seruator ait: Sic luceat lux vestra, vt homines videant opera vestra bona, & benedicant Deum. Denique non in conuenticulis hæreticorum, sed in Ecclesiis, hoc est, in Ecclesiasticorum hominũ coronis, benedicendus Deus, Psal. 21. 34. 57. 106. 148. Summa: Confitentes Dominum Iesum, portemus & ipsum tum corde, tum corpore, & erimus regnum Christi in æternum benedicti.

DOMINICA SECVNDA Aduentus,

QVæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus &c. Rom. 15.

PRAEFATIVNCVLA.

TAmetsi Apostolus hoc præsenti & sequenti capitibus, epistolam ad Romanos (quam nos non immeritò pro bona parte bibliorum suscipimus) claudendam statuerit, atque adeò multa familiaria, ritu eorum qui epistolas scribere solent, cùm de se, tum de collegis adiiciat: tamen, quæ eius fuit vehementia, se continere non potuit, quin & doctrinæ salutaris auctarium inferret. Sic facerent omnes Christiani, priuatis suis ne-

gociis etiam publica immiſcendo. Quinque præcipuè hac in lectione noſter tractat Apoſtolus: ea ordine, quàtùm per Dei gratiam dabitur, explicabimus.

Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.

Scripture vſus & cõmoditas.

Primum quod Apoſtolus hac agit lectione, eſt quòd vſu & commoditate ſcripturæ, ipſam nobis commendat ſcripturam. Quæ ſcripta ſunt, ait. q. d. Quidquid Moſes, prophetæ & ſapientes literis commendauerunt, noſtri hoc cauſa fecerunt, inſpirante eis mentem eam ſpiritu-ſancto. Nam ſi vel propter patriarchas & alios præcipuos inque ſcriptura nobilitatos viros, vel propter ipſos Iudæos ſaltem ſcripſiſſent Moſes, prophetæ & ſapientes, iampridem ſcripturarum omnium immineret finis. Nunc verò cùm teneat adhuc ſcriptura, perſpicuum fit, etiam nobis & poſteris noſtris eſſe datam. Scriptura habet Abrahamum credidiſſe, atque hoc illi ad iuſtitiam eſſe reputatum, Gen. 15. Nobis quoque hoc eſſe ſcriptum, Apoſtolus in eadem ad Rom. epiſt. cap. 5. & Gal. 2. docet. Rurſus eadem dicit Abrahamum per obedientiam probatum, atque ſic Deo placuiſſe: & hoc nobis ſcriptum eſſe, Iacobus clariùs luce oſtendit cap. 2. & 3.

Hæretico rum ingeniũ in recipiendo & reiiciendo ſcripturas

Hæretici ſcripturam iugulant, alterum recipientes, alterum eludentes. Sic & plerique hæreticorum alij vetus, alij nouum reſpuebant teſtamentum: alij Ioannem Matthæo, alij alios aliis præferebant Euangeliſtas: quemadmodùm & noſtrates euangelici fratres, ad quodque ferè verbum Paulum inuocant: Iacobum tamen ſtramentitiæ epiſtolæ authorem, rariſsimè citant. Contra mutilatores illos ſcripturarum facit hic locus: Quæcunque ſcripta ſunt, putà per catholicos atque hagiographos. Sic & dicit 2. Tim. 3. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia, vt integer ſit Dei homo, ad omne opus bonũ apparatus. Vſus ſcripturarum eſt infinitus: nos breuitatis cauſa ſaltem hoc, quod Apoſtolus hic recenſet, declarabimus. Primò vtilis eſt ſcriptura ad erudiendum inſipientes, quid credãt, & vt viuant: dicit ergò Apoſtolus, ſcripturam vtilẽ eſſe ad doctrinam. Secundò, competit redargutioni, vt præ-

fracti & pertinaces, acriter arguantur atque impietatis reuincantur. Tertiò, quoniam non sufficit hominem errantem errati accusare atque increpare, verùm etiã necessarium est, vt homini ad se redeunti benè consulamus, lapsum erigamus, perditumque saluemus. Si audierit te, ait Seruator, animam eius es lucratus. Correctionem hanc Apostolus vocat Epanorthosin. Virtus ea locum habet in reformationis ratione, qua homo abusus omnes cupiat adviuum resectos. Ethnici huiusmodi reformationem vocant catorthoma. Quartum, est institutio non solùm pubis, sed & adolescentium atque senum, seruorum & liberorum, masculorum & fœminarũ. Norma est veritatis, cui neque addi quicquam neque demi licet: quod vnà cum scriptura canonica authoritas fatetur ecclesię. Vide Dionysiũ de diuinis nominibus cap. 2. Ineffabilis est scripturæ sacræ maiestas. Quis enim Dei virtutem fando assequatur? Vsum & commoditatem Apostolus hic tangit. idem etiam facit 1. Cor. 10. vbi ait: Quæ scripta sunt, propter nos scripta sunt, in quos fines seculorum venit. Item, Fides ex auditu. Esaias quoque ait: Nisi relictum esset nobis semẽ, quasi Sodoma & Gomorrha periissemus. Scriptura hoc ipsum est, quod Apostolus vocat nutheſian, hoc est, quo homo cautus fit, animumque recipit. Scriptura itaq; ecclesiastes non benè ad finem destinatum vtitur, nisi subindè exemplis maiorum ad religionem perfectam, siue ad opera pietatis alios inducat, alios in bona vita retineat, hos consolando, illos vrgendo atque impellendo. Exempli gratia: Adam & Heua, iis qui in matrimonio sunt, fidei coniugalis proferantur exemplum. Abel, synceri cultus: Cain, superstitionis præ se ferunt instar. Hoc vitandum, illud amplectendum, Geneſis tertio & quarto. Enos & Enoch sancte Dominum Deum inuocarunt. Sunt itaque in sanctæ inuocationis nominis diuini exemplum nobis proferendi, Geneſis quinto. Ad hunc modum exemplis sanctorum vtendum biblicis omnibus. Solius fidei noui euangelistæ hic frontem caperant, nasum rugant, superciliumq; sumunt, nos quasi papisticos damnãdo. Sed nos Paulum de quo se identidem iactant, hyperaspisten habemus. Peiores sunt noui euangelistæ phariſæis, qui

Scriptura nutheſia est.

licet non faceret bonum, docuerunt tamen: illi vero, etiam bene currentes remorantur. Conuentus itaque illorum, bis mortuorum est congregatio. Domus eorum sepulchrum in æternum. Ecclesia Deum cùm fide tum vita colentium, est domus Marthæ & Magdalenæ, Zachæi, Matthæi. Nisi fortè velis domum Luteranę sectæ, ædes phariſæi eius exprimere, qui Christo neque oſculum dedit, neque pedes lauit, &c. Filij Abrahæ non ſunt ſolius fidei ebuccinatores. Zachæus ſiquidem filius Abrahę est dictus, dimidium bonorum ſuorum dans pauperibus, & quadruplum abs ſe defraudatis reſtituens. Quin & ipſum Seruatorem audimus Abrahę opera prędicare Ioan. 8. Sequitur, Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Semen cadens in terram bonam, per patientiam fructificat. Qui crediderit, nè feſtinet. Suſtine & patere, ait ille. Benè incepiſſe nihil proderit, niſi & bene inceptum, benè perficias. Qui perſeuerauerit in finem, ſaluus erit. Dein & crux incumbit piis omnibus. Quicunque ait Apoſto. piè in Chriſto viuere vult, oportet perſecutionem perpeti. Religioni deuoti, malè hodiè audiunt Iudæi, etiam Turcæ & quicunque infideles, nouis euangelicis fratribus, monachis & ſanctimonialibus longè prędferuntur. Sacerdotes orthodoxi malint inter quoſcunque barbaros ætatem degere, quam inter illuminatos eos. Mirum quantis ſannis è ſublimi irrideatur catholicus laicus aut Miſſam audiens, aut peregrè proficiſcens, aut aliquid tale catholicæ religionis diſciplinæque deſignans. Operæpræcium ergò eſt, contra aſpidas eos nouæ ſectæ, ſacram ſcripturam cum exemplis beatorum ſemper habere in promptu. Veritas euangelij Chriſti, in igne iſthoc tribulationis illuſtratur. Quid Chriſtus ipſe aliud, quam perſonam crucis in hac vita præ ſe tulit? Chriſtum refert & repræſentat catholicus tunc maximè, cũ maximè contumeliis afficitur. De Chriſto extat Pſal. 68. Opprobria exprobrantium inciderunt in me. Chriſti conſors non eſt, qui in croceis degit, qui huius mundi fauorem captat, qui aura fouetur populari. Breuiter, ſinè calice paſsionis, non eſt ſpes reliqua conſolationis. Poteſtis, ait, bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Niſi com-

Ecclesia domus est laboriosa.

Scriptura Ecclesiastes adpatientiã perſuadendã vtitur.

patiamur, non conglorificabimur, Romano. 8. 2. Tim. 2. Oportuit Christum per passionem in suam intrare gloriam, Lu. 24. Hac iter est ad gloriam. Si fidelis spem vocationis (quæ Rom. 5. non confundit) in tribulatione & patientia possidet & perpetuat, exemplo omnium beatorum, deniquè & Christi ipsius spem eam fouente & confirmante, tandem & ipse conglorificabitur.

Deus autem patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimes, vno ore glorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Hic est articulus secundus præsentis epistolæ siue lectionis, nempe patientiç & solatij precatio. Optat Apostolus ex animo Romanæ ecclesiæ patientiam & solatium, concordiam & pacem. Appellat Deum patientiæ & consolationis Deum, vt patientiam & consolationem, atque adeo pacem & concordiam, nobis commendet. Si Deus pacis est, vides Iacobum stramentitium authorem non esse, qui æmulationem dicit esse diabolicam & animalem. O maximã & omnium prævalidam commendationem. Simili tropo & alibi vocat Deum, pacis & charitatis Deum, 2. Cor. 13. Deum totius consolationis, 2. Cor. 1. Non quod hæc Deus velit & probet, sed & quod ea largiatur & beet. Attende Apostoli sanctam optationem atque precationem. Deum ipsum nobis optat, sinè quo nihil constare potest. Aufer pacem ab Ecclesia, & corruet actutùm. Vide & considera, quot & quantę fuerunt sectæ: & Deum pacis non habuisse, vel indè æstima, quod euanuêre. Paruæ res concordia crescunt, maximæ quæque discordia pereunt. Videre videor, immo ingenuè profiteor, Apostolum spiritusancto plenũ, hic præuidisse sectas tot in Ecclesia Romana suborituras: vndè tam ardenti affectu in calce suæ epistolę benè longę, pacem Ecclesiæ illi exoptat atque precatur. O vtinàm hodie digni simus: pro quibus tantus intercessor exaudiatur. Nihil hodiè nisi amor nobis deest. Hodiè ipsa floret scientia. Atqui scientia inflat, charitas vero ædificat. Linguarum donum hodiè vulgare propemodum fit. sed si linguis hominum loquamur & angelorum, nihil efficimus, immo deficimus. Charitas itaque optanda doctis & eruditis, linguis tot vnicus optandus ignis: qui nisi

Deus pacis.

Ecclesiæ Romanæ potissimũ pacẽ Apostolus est precatus.

conglutinatorius adsit, quid aliud linguæ tot, nisi infandam Babel, referunt? Huc referendum, quod alibi idem monet Apostolus Roman. 12. Dico per gratiam quę data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ne quis arroganter de se sentiat, suprà quàm oportet de se sentire: sed ità sentiat, vt modestus sit & sobrius, vt cuique partitus est Deus mensuram fidei. Item ibidèm: Eodem sitis alij in alios affectu, non arroganter de vobismetipsis sentientes, sed humilibus vos accomodantes. Item Philip. 2. Similiter affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes. Obsecro vos fratres per nomen Domini Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos disidia, sed sitis integrũ corpus, eadem mente & eadem sententia. Vide qua vehementia nobis concordia cõmendet, vt etiam obtestando hoc faciat: etiam in epistola ad Philip. vbi dicitur: Si qua cõsolatio in Christo &c. Obserua Apostolum hic non ocioscè dicere, secundùm Christum Iesum. Est sua pax Iudæis, secundùm suum Thalmuth. Est sua Turcis, secundùm suum Alcoranum. Fuit & consensus qualiscunque hæreticis, secundùm suos hæresiarchas. Apostolus hic ergò addit, Catà Christon. Quæ adiectio vult, vt Christo dignè nos agamus. Christus cœpit facere & docere. Nullum horum negligendum. Ordo ille facti & doctrinæ, non est subuertendus, neutrum horum eleuandum, vtrunque horum grauitate maxima tradendum, quoniam vtrinque iustitia & beatitudo. Exemplum eius pete Act. 1. 2. 4. 5. Hoc est pacem habere secundùm Christum, bonis & professione & vita consentire. Talem neque hæretici neque ethnici, neque Iudæi habent, qui vel professione vel moribus à bonis dissentiunt. Sequitur, vt vno ore glorificetis Deum: hoc ferè idem est cum eo, quod legitur Sopho. 3. Seruiant ei humero vno. Contrarium est, vtroque claudicare pede. Generaliter accipi potest de republica Christiana, quæ non solùm vna fide, & disciplina, verùmetiam vnis quodammodò cæremoniis est moderanda. Specialiter de priuato cuiusque affectu, ne alibi sit mens, alibi corpus. Iacobus vocat duplici animo viros. Sunt autem qui impingunt in lapidem Christum, Esaiæ, igesimonono. Matth. decimoquinto. Ore

Ecclesiæ pax est secundùm Christũ.

laudant hi Deum, corde ab eo longè remoti. Vuicleffiſtæ noſtrates, preces canonicas per hæc loca putant dãnari, toto cælo errantes. Sed tu catholice ſacerdos, vide nè Pſallianorum errore deprauerís. Interim ſolare te ſcriptura, ſalutari ritu preces legens canonicas. Pſal. 33. Labiis meis laudabo Dominum. Pſalmo. 108. laudabo Dominum ore meo. Sed iterùm atque iterùm vide, nè Pſallianos imitans, ſic loquaris ore, vt cor te loquentem neſciat.

Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Tertius hic eſt articulus præſentis lectionis, in quo nobis concordia mutua commendatur. Multùm vrget Apoſtolus hãc ſolam rem, quippe cum ſciat fidem eam mutuæ pacis, imprimis eſſe Eccleſiæ Chriſti neceſſariam. Occaſionem huius frequentis commonitionis, ex ethnicorum inſolentia, atque ex Iudæorum accepit ſuperſtitione. Hi ſeſe cæteris plurimum arbitrabantur præſtare, quod Abrahæ eſſent ſanguis, & quod legis obſeruantia atque prærogatiua ſibi viderentur ſanctiores. Denique & preputiatos præ ſe contemnebant, tanquam immundos. Contra illi ſe de intelligẽtia ſcripturarũ myſteriorum efferebant, atque inſoleſcebant, ſabbatharios Iudæos & appellas ridendo, &c. Apoſtolus mediatorem ſe vtriſque exhibens, hortatur vt alij alios portent, atque indulgeant candidè. Sequeſter grauis primo vtroſque errati conuincit primo atque ſecundo capite, poſtea per totam epiſtolam multis & iis robuſtiſsimis argumentis pacem illis commendat ſequeſtrem. Tu, ait, Iudæus acquieſcis in lege, & te ducem cæcorum aliis obtrudis: cum tamen eadem committas, quæ in aliis damnas. Agè ergo modeſtius te gere, memor & te gratia Dei egére: nec legis beneficio, ſed ſola Dei gratia ad gloriam Euangelij peruenisſè. Tu præputiate, de tua nè tibi placeas intelligentia, videns te necdum ſatis ſcire hoc quod ſcis: nec item ſcire vt ſcias. Qui te oleaſtri ramum agnoſcis oleæ inſitum, nè efferaris animo. Superbis Deus ſemper reſiſtit. Vide ergo nè ferocias, alioqui excidéris rurſus, & illi Iudęi qui proiecti ſunt, naturalis ramus oleæ denuo ſuæ arbori immittentur. Attendite Chriſti gratiam, qua nos citra noſtrum meritum ſuſ-

cipit omnes: Nónne ergo, vt & nos inuicé ſuſcipiamus, atque alij aliorum onera iuuemus? Cohoneſtati & tanta gloria exornati, dignemur & fratres, etiam indignos, cultu atque amore. Si niſi dignos Chriſtus ſelegiſſet, heu mihi, quam malè cum omnibus nobis ageretur? Huc facit cap. 14. eiuſdem epiſtolæ, in quo Suſcipere hoc, de quo iam diximus, declaratur. Eum, ait, qui infirmatur fide, aſſumite. In principio item huius quintidecimi capitis idem agit, dicens: Debemus nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobiſmetipſis. Nam vnuſquiſque noſtrum proximo placeat in bonum ad ædificationem. Sed nónne etiam hoc nobis dictum eſſe putemus? Maximè. Omnia quęcunque ſcripta ſunt, propter nos ſcripta ſunt, dixit. Docti ergo rudes, firmi, fragiles, ſapientes moriones ferant, deniquè & religioſi & ſancti peccaminoſos non damnent, conſiderãtes ſeipſos, ne & ipſi tententur. Pręſtemus hoc quod D. Auguſtinus in libr. ſuper Pſal. ſuo, ceruos facere recenſet. Ceruinus grex cum aliquando ad fluuien veniant latum, atque in ripam vlteriorem ſenſu ferantur, ceruorum is qui cæteris ſe robore fidit præſtare, primo ſe flumini committit: ceruus alius quiſpiam huius tergo ſuum caput imponit, eiuſq; tergo alius ſuum, & hoc modo deinceps faciunt omnes: atque ſic primo tanquam duce, trahant fluuium omnes. Inter tranſiciendum vero, ſi prior ille ceruus ſe laſſum ſentiat, ducatum excutit, atque ſe in poſteriorem ordinem recipit, caput ſuum poſterioris tergo credés. Succeſſores illius itidem faciunt, vbi ſeſe quiſque natando ſenſerit defatigari: atque ita demùm ſalui omnes enatant, & omnia flumina trahant. Idem & nobis faciundum in hoc mari magno & ſpatioſo, vbi reptilia ſunt innumera: ſic enim ad portum pertingemus ſalutis. Væ ſoli, væ ſuperbo, fratri ſuppetias non ferenti, & fratris auxilium aſpernanti. Legem Domini adimpleuerimus, vbi alii aliorum onera portauerimus. Charitas omnia ſuffert, & multitudinem tegit peccatorũ. Noui Euãgelici fratres in ferendis peccatoribus ſunt inter ſe admodum indulgẽtes: & quanto hic peccãt tãto peccãt etiã in aliorũ qui catholici ſunt, delictis caſtigandis: neutrobique modum norunt ſeruare. Poteſtas

Suſcipere, qualeuerbũ in ſcriptura.

Ceruorũ armẽta nobis imitãda.

clauium non in remittendo saltem, verum etiam in retinendo sita est. Neutrum horum vanum reputandum. Infirmi resipiscentes, non sunt supprimendi, sed maligni non sunt extollendi: maximè vero sunt seueriter corrigendi, qui portandi præceptum arripiunt ex Euangelica indulgentia. Fratris delicta per infirmitatem, & non animo præsenti patrata vt feras, vides Galat. 5. Vt peccatores castiges, vide in epistola vtraque ad Corinthios, item Ephes. 5. & 1. Tim. 5. Item Matth. 8. Summa: Euangelium peccatores vocat, sed ad Ecclesiam, non ad orchestra: ad pœnitentiam, non ad delicias & vanitates. Matt. 9. Lu. 5. 13. 15. 16. 17. Rom. 2. Act. 2. 2 Pet. 3. Apo. 2 3. 9. Exemplum Matthæus, Zachæus, Petrus, Paulus, Magdalena, Afra.

Ecclesia quò vocet peccatores.

Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum. Quartus articulus: modus, via atque ratio, qua cùm Iudei tum ethnici ad fidem peruenerunt Christi Iesu. Occasio huius relationis, est pax, quam cupit reconciliatam inter fratres ex ethnicis & Iudæis. Diceret ex præputio aliquis: Nos circumcisioni sumus prælati, nos illuminati, nos electi, nos spiritualis Israel: carnalis Israel, crassus atque adeo reiectus est, &c. Hanc conuiciandi rimulam obstruit Apostolus, dicens Christum fuisse diaconum siue ministrum circumcisionis, missum nimirum ad oues perditas domus Israel, Matthæi decimoquinto. Nonne hoc præclara prærogatiua? Christus neque Romæ, neque Antiochiæ, neque alibi gentium visus docere atque infirmos curare. Hierosolymis & in Syria visus, quia patribus populi Israelitici erat promissus, verbum illis creditũ fuit, Romanorum tertio. Vndè si gloriandum sit, in hoc argumento gloriationis Israel ethnicos longè vinceret, quippe quod eorum sit, filiorum ius, gloria, testamentum, siue fœdus, lex, cultus, promissiones, prophetæ, & Christus ipse secundùm carnem, Romanorum nono. Dein circumcisus diceret aliquis: Quid ethnicis & Deo Abraham, Isaac & Iacob? Apostolus antipophora hanc ad obiectionem respondet, loca certissima adducens scripturæ. Primo vero ad illustrem sensum præparan-

Iudæorũ gloria.

dum, vocat Christum diaconum siue ministrum circunciſorum, quatenus & ipſe eſt iuxta legem circunciſus, vt exemplo aliorum Iudæorum debitor fieret legis ſeruandæ, &c. Rogas, quarè hoc fecerit? Reſpondeo, propter veritatem Dei. Quî hoc intelligas, ſequentia illucidabunt. Ad promiſsionem pactam patribus confirmandam, factus miniſter (vt ita dicam) circunciſorum Chriſtus. Cui aliquid promittitur, ius habet rei ſibi promiſſæ. Merito item præſtatur hoc quod promittitur. Nullum tale ius ethnicis cum Meſsia. Cæterum nihil hic Iudæis auferetur: gratia Dei, quæ immenſa eſt, Iudæis non ſubtrahitur, neque item comminuitur. Nihil ergo habent quod aut Deum accuſent, aut ethnicis inuideant. Nec item ethnici habent quo Iudæis inſultent, de tanta erga ſe Dei gratia ſuperbiendo. Immo contra maximam humiliandi cauſam habent. Iudęis debitor quidem fuit, ſed nullo eorum merito: debitor, inquam, fuit, ſed ex promiſsione ſaltem gratuita, & ex pacto miſerationis. Ethnicis eregione nihil debuit: tamen ſecundū eandem ſuam clementiam, miſertus quoquè eſt eorum: quid iam ſpectes in vtriſque, niſi miſerationum Dei profunditatem? Diximus ratione pacti atque teſtamenti, Deum Iudæis ſeſe obſtrinxiſſe, ethnicis non item. Porro nè quam Iudæis anſam relinqueret contemnendi ethnicos, atque illis gratiam Euangelij denegandi, & nè ethnici de gratia ea poſsint vnquam deſperare, paſsim per prophetas ſuam quoque erga gentes miſericordiam, qua in noui teſt. gratiam referri eos velit, delineauit. Amplitudo gratiæ ea veternum omnem & acediam nobis excutiat, mentes noſtras ad Dei gloriam excitet. Memineri-mus non omnes eſſe veros filios Abrahæ, qui ſunt nati ex carne Abrahæ. Nos quoque ex Europa & ex aliis barbaris nationibus fruſtrà ad Deum Abrahæ vocatos nos meminerimus, niſi fidem & obedientiam Abrahæ exprimamus. Excitet nos murmur Iudæorum, quo nobis tantam gratiam inuidere ſe declarant. Murmur Iudæorum aduerſus ethnicos, ſatis manifeſtum fit Matth. 20. Act. 11. Contra gannitum eum audiantur, quæ Apoſtolus huc adfert, oracula prophetarum:

Sicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus De-

mine, & nomini tuo cantabo. Propheticum hoc ex Pſal. 17. ſumptum eſt. Vult *Goym*, hoc eſt ethnicos etiam aliquando in chorum laudantium Deum recipiendos. Immo etiam ſpiritumſanctum, qui in prophetis olim loquebatur, etiam in ethnicis glorioſum fore, nempe ingemiſcere eos faciendo, atque eos Abba pater clamare docendo: quod nemo hominum tunc Iudæis facilè perſuaſiſſet. Locum hunc etiam vides 2. Reg. 22. Vocatos ethnicos, quanquam ſinè pacto & teſtamento, vides Mala. 1. Sed propheram audiamus: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Mirum eſt, Iudæos hunc locum non intelligere. Vide quid non poſsint falſæ *peruſch*, id eſt, gloſſæ & commenta. Hæretici quoque in Eccleſia ad commenta fingenda, & ad obliterandum ſenſum cõmunem, videntur eſſe nati.

Vocatio gentium oraculis natum adſtruitur.

Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Oraculum hoc Deut. 32. habetur. Origenes atque Ambroſius mihi hic teſtes exiſtunt. Sunt enim qui hunc locum Eſaiæ adſcribunt, Prophetizat Moſes *Goym* iuxta atque Iudæos, in Domino Deo exultaturos. Scrupus vero in verbis Moſis eſt, eum paucis diſſoluam. Primo Moſen audiamus: *Harninu Goym Ammo*, hoc eſt, Ethnici laudate populum eius. Quod ſi præpoſitionem *Im*, id eſt, cum, *Ammo* præpoſueris, ſententiam Pauli planè videbis te effeciſſe iuxta verſionem Græcam. *Ranan* ſiquidem tam ſignificat lætari pſallendo, atque laudare. Græci in Moſe ſaltem habent, Euphranthete, id eſt, Iocundamini. Senſum interpretes ſecuti, non verba. Senſus eſt: Ethnici, plaudite cum populo eius, hoc eſt, vnum vtriuſque populi erit gaudium, vnus chorus gaudentium & Deo benedicentium conficietur ex gentibus & Iudæis. Apoſtolus Septuaginta eſt imitatus. Quod ſi contentioſulus quiſpiam Hebraicam veritatem nobis ſuperſtitioſè obiecerit, quod *Ammo* ſit caſus accuſandi, illi reſpõdebimus, etiá ſecundũ Hebraica verba Apoſt. Moſen ritè adduxiſſe. Ethnicos ſiquidem populum Dei magnificaturos cum prædicat Moſes, quid aliud vult,

Vocatio gentium, oraculo prophetarum adſtruitur.

quam vnanimes vtraſque futuras gentes? Significat, aliam, nouam puta, mentem Ethnicos accepturos, aliter erga Iudęos fore affectos. Diſpar religio, diſpar affectus. Non ergo ethnici cum Iudæis cõuenire vlla ratione poterant, niſi Deum quoque Iſrael colant. Nunc cum ſimul colunt, certè Iudæos magnificant, veros Iudæos, non adulterinum ſemen, non genimen viperinum, non filios diaboli, homicidas, parricidasque illos ſacrilegos. Sunt autem veri Iudæi, patriarchæ ſancti, Abraham, Ioſeph, Samuel, Dauid, Eſther, Anna, &c. Item Chriſtus ipſe, & Maria Dei genitrix, ſemper virgo glorioſa, Ioannes Baptiſtes, duodecim apoſtoli, ſeptuagintaduo diſcipuli, Magdalena, Martha, Simeon & Anna prophetiſſa, Zacharias & Eliz-beth, cum corona ea tota Chriſtum Ieſum filium Dei profitentium, atque adeo verè Iudæorum, hoc eſt, confeſſorum. Sic vides Apoſtolum aptè & propriè Moſen citâſſe.

Gẽtes & Iudæi cõcordes ſunt facti.

Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.

Dauidicum hoc eſt, ex Pſalmo nimirum 116. deprom ptum. Ex oraculo fit palam, Dei prædeſtinationem gentes iuxta atque Iudæos, ad cantum illum angelicum, Alleluia, concinendum vocaſſe. Porro Deum laudare, atque adeo alleluia cæleſte hoc perſonare, ethnici non poſſunt, citra ſpiritũſanctum, atque citra fidem ſyncera veri Dei. Qui in Deũ non vere credit, Deum verè laudare nequit. Vndè cũ Dauid vaticinetur omnes gentes fore laudaturas Deum: ſequitur etiam, in Deum fore credituras. Verſiculi hi prophetici nobis, qui ex ethnicis vocati ſumus, ſemper in promptu haberi debent, tanquam ſcutum præſens, ad repellenda cum Iudæorum tum ethnicorum tentationum iacula omnia. Oracula, inquam, illa in ✻ cordibus noſtris, tanquam in preciosiſsimum ſcrinium committere operæ precium eſt, loco theſauri maximi, vndè tot ſpirituales delicias ſubindè peteremus. Verſiculus ille, de quo hic loquimur, in tenebris deſperationis omni carbunculo lucet illuſtrior, mentis oculos ab æterna præſeruans nocte. Atque hęc hactenus. Sequitur quartum propheticum teſtimonium:

Gentium vocatio oraculis prophetarum oſtenditur.

Et rursum Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes in eum gentes sperabunt. Apostolus ipse hoc loco, vn de oraculum acceperit, explicat. Esaiæ atque Dauidis testimonio noui testamenti scriptores libenter vtuntur, quod hi duo præcipui sint prophetarum omnium. Neminem moueat, quod Apostolus etiam hoc loco non citat prophetam iuxta Hebraicam veritatem, sed secundū Septuaginta interpretum versionē. Libenter interpretes eos sequitur Apostolus, fortè vt Ecclesia ex gentibus citationes eas præsentius agnoscat, quorum exemplar ante legerit, & quo tot annis ante sit vsa. Doctor gentium, gentium ingenio sese nouit adaptare atque inseruire. Vnde etiam magis Græcè quam Hebraicè scripsit. Matthæus quoque & alij Euangelistæ item talibus ferè sunt vsi citationibus. Iuxta Hebraicam veritatem sic habet oraculum: Erit in diebus illis radix Iessæ, siue Isai, quæ stat in signum gentibus, de ea gentes interrogabunt. Iesse, quem Iudæi etiam Isai vocant, ciuis Bethleemitanus, pater fuit Dauidis, 1. Reg. 16. Dauidi promissus Christus rex regū & dominantiū Dominus. Dicitur ergo & Christus filius Dauid. Matt. 22. Lu. 1. Ro. 1. Cæterū Booz siue Obed radix illa dici poterat. In regno Dauidis, erat etiam Christi regni typus. Dauid quoque primus rex eius tribus. vndè magis de radice Iessæa, id est, Dauidica dicitur, quàm de Boozitica siue de Obedana. Sacrosancta radix illa, germen siue *Nether*, id est, ramum protulit viuidum atque vitalem Iesum Christum, per prophetam *Nether* dictum: Propter *Nether*, id est, ramum illum diuinum commendatior nobis facta est radix illa Iessæ. In tempore accepto germinauit radix illa nobilis. Arbor siue virga illa insignis, nunc stat in signum gentibus, & gentes de ipso diligenter rogitant. Non Magi solùm (quanquam & factum isthoc, per hanc prophetiam adstruī poterit) de *Nether* istoc interrogant, sed & gentes vsque in finem huius seculi perscrutantur tota Biblia, de Christo sacrosancta mysteria enucleando. Nulla radicis gloria, nisi ea quā habet ex suo germine Christo. Filius virginis signum est, de quo apud eundum prophetam dicitur: Pete tibi signum &c. Et apud Hieremiam: Eccè nouum faciet Dominus in terra, mulier circūdabit virum.

Apostolus septuagīta versione identidem vtitur.

Christus quare dicatur natus de radice Iesse, & non Obed siue Booz.

Christ⁹ nether, quē gentes requirent.

Præcipuum verò ſignum eſt Chriſtus, nempe hoc quod Eſaias quoque tangit, dicens: Cuius principatus ſuper humerum eius. De hoc ſigno exaltato dicit ipſe Seruator Ioann. 12. Ego vbi exaltatus fuero * omnia traham ad meipſum. Iterum Ioann. 3. Quemadmodum Moſes exaltauit ſerpentem in eremo, ſic oportet etiam exaltari filium hominis, vt omnis qui viderit ipſum, non occidat, ſed habeat vitam æternam. Typum huius ſigni vides Num. 21. Quæ vnquam arbor adeò fuit iucunda? Videre videor huc reſpicere ſcripturam Iudic. 9. vbi vitis inducitur, dicens, ſe homines exhilarare atq; ipſum Deũ. Nulla vnquam vitis xyſtum tam iucundum, atque tam ſalubrem præbuit vmbram. Huius odor vere ſerpentes fugat omnigenas. Hoc ſignum vere terror eſt canibus infernalibus omnibus. Hic gaudium & exultatio, hic victoria, ouatio & triũphus, hic ſalus & redemptio. Adeò proprie etiã de nobis, qui gentes fueramus, vaticinatus eſt Eſaias. Apoſtoli citatio ſecundũ LXX. interpretes, ſic ſe habet: Germen Chriſtus è radice Ieſſæ exortus eſt princeps gẽtium: id quod eſt ipſum propheticum *Omed Nes*, hoc eſt, ſtans ſiue exaltatum ſignum. Signo huic princeps ſiue dux, quem Græci archon vocant, adſit cõgruit. Adeſt autem, & victrix verè ſignum hoc ſemper exiſtit. Neget hoc, qui inefficax hoc vnquam reperit. Citatio Apoſtoli eundem ſenſum habet, licet verbis aliis legatur ſecundũ Septuaginta. In ipſum, ait, gentes ſperabunt Hebraica verò lectio habet, De ipſo percontabuntur. Niſi enim in ipſum omnis ſpes illis ſit coniicienda. haudquaquam ipſum tantopere inueſtigaturas prophetas eas prædiceret. Dei ignorantes fuerunt, ſpe orbe gentes omnes: promittitur itaque illis ſpes illa, qua caruerunt in Chriſto, non in Ieſſe, hoc eſt, non in lege, non in radice, ſed in virga &c. Facit huc quod citatio Apoſtoli in maſculino genere prolata, in Chriſton reſpicit, Aniſtamenos reſurgens, cum iam anteà riza, id eſt, radix, dixerit in genere fœminino: vtique ſpem gentium non radicem, ſed *Nether* illud, hoc eſt, virgam exurgentem prolem Dauid, ſemen benedictionis Abraham Mat. 1. Conſtituens. Beatus qui hunc giganta atque heroa fide apprehendit & retinet. Obſerua Apoſtolum non ab

Gẽtiũ vocatio à prophetis expreſſa.

re hic tot ſcripturæ coaceruare loca.

Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute ſpiritusſancti. Quintus hic eſt articulus, non abſimilis priori. Precatur Romanis, hoc eſt, Romanæ Eccleſiæ, repletionem gaudij & pacis per fidem, ſpem & per virtutem ſpirituſſancti. Optionem attende omnium maximam, nempe ipſiſsimam beatitudinem. Plenitudo ſiquidem gaudij & pacis quid aliud, quã beatitudo eſſe poſsit? Eſt quidem illa in hac vita imperfecta: verum ſi eius guſtum hic non habuerimus, perimus. Obſerua quod ſupra quoque dixit, Deus patientiæ & ſolatij: ea ipſa ratione, qua ſupra hoc dictum eſt, hic item dicit, Deus ſpei. Q. d. Spes noſtra quantulacunque eſt, Dei donum eſt. Sequitur ergo, quod & guſtus ille beati gaudij & pacis, ex Deo eſt, & non ex nobis, vel ex mundo. Nec hoc prætereundum, quod dicit, in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute ſpirituſſancti. Fidem & ſpem, gaudij & pacis (hoc eſt, charitatis catholicæ) ponit fundamentum. Poteris virtutem ſpirituſſancti tam ipſam charitatem, ipſum gaudium, ipſamque pacem accipere, quam donum ſpiritus ipſius ſancti, ſinè quo neque credimus, neque ſperamus. Gratis nobis omnia ex immenſa contingunt miſericordia Dei. Vndè ſpiritui adſcribuntur ſancto. Deo illi ſpei vni in Triade, ſit laus & gloria per æterna ſecula. Amen.

Eccleſia Romana Apoſtoli precibus præſertim Deo commẽdatur.

EADEM DOMINICA SECVNda Aduentus.

Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentiũ præ confuſione ſonitus maris & fluctuũ, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi, &c. Luc. 21.

ΕΙΣΑΓΩΓΗ.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus ſuos amat diſcipulos vnde hic eos hoc ipſum, quod multi reges & mundi ſapientes fruſtra ſcire cupierunt, clariſsimis verbis docet, hunc ſcilicet mundum eſſe caducum: quod nullis vnquam philoſophis (teſte Lactãtio) ſatis conſtitit. Pars ſophorum ſuis perſuaſerunt aſſeclis, mundum ſemper permanſurum: pars diſcipulos ſuos docuerunt, mundum ſemper fuiſſe: atque ſic vtrinque creatura

Mũdum hũc fluxũ eſſe philoſophi ignorauerunt.

fatoris loco colebatur, quod & Apostolus Romanis obiicit, Rom. 1. Hunc ethnicum errorem Euangelica lux prorsus ex omnium fidelium cordibus depulit. Christus siquidem lux hominum vera, Ioan. 1. doctrinam, philosophicis friuolis & anilibus opinionibus dis dia pason diuersam, protulit: nempe eam, mundum hunc, quantus quantus est, propediem dissolutum & longè immutatum iri. Hoc norunt Christigenæ, hoc in Ecclesiis quotidie audiunt: verùm ædificando, plantando, vxores ducendo, immò etiam superducendo, & hoc genus cæterum huius mundi nugis, sese ita gerunt, acsi mundum æternum credant. Adeò mores & vita professioni non respondent. Finem & dissolutionem mundi non obscuro ore profitemur professionemque eam egregiè vita ipsa eleuamus, gentibusque ridiculam facimus. Vetustatem ethnicam nos adhuc sapere, vita arguit, quidquid os loquatur. Age igitur, qui ore saltem Christi discipulos agentes, vita ipsa mundo famulamur, animo huius mundi omnia circunspiciamus: orbis terræ quodcunque cõplectitur, consideremus: & nihil stabile, nihil æternum comperiemus. Nam haud secùs atque homo, qui microcosmus est, qui etiam huic mundo longè præstat, immò qui etiam secundùm Chrysostomum, cælo est precios-ior, nascitur & moritur, fit & interit: sic & mesocosmus quotidiè senescit & collabitur. Cordatiores ergò esse deberemus, & rebus fruendis non vti, vtendis non frui, atque adeò abuti, disceremus. Eius rei præsens lectio nos satis commonet, modò probè discutiatur. Nos igitur pro modulo nostro, quantùm per Dei gratiam, id negocij aggrediemur. Atqui si vlla alia, certè hæc præuium doctorem requirit. Difficiles res Christus in æternum benedictus, hac lectione expedit quidem: verùm qui filum natiui sensus præuio duce non tenet, in labyrintho sui sensus poterit errare. Nè igitur imperitus lector frustrà hic sudet, nôrit Christon in hoc capite non de vna saltem re differere. Tripartiemur ergò, si placet, hoc caput, vndè hæc lectio sumitur. Ex assibus duobus, quos paupercula vidua in ærarium misit, arripuerunt quidam occasionem Domino nobilem templi structuram ostendendi. Vndè huius prognoseos totius orbis calamita-

Mundus quis flux⁹ catholicis est contemendus.

tum

tum proferendæ Dominus ansam arripuit. Sic prima sectio huius capitis, est prognosis calamitatum totius orbis. Deindè conuertit vaticinationem suam in vrbem sanctam, excidium eiusdem, omnium horribilissimum prædicens. Et poterit hæc pars huius capitis, non absurdè onus Hierusalem dici more prophetico. Insuper Dominus longiùs prospicit, ad finem nimirùm totius orbis: & ea ipsa sectio, huius Dominicæ diei lectio, intercedit. Prognosticum primum de Iudæorum turba ea, quæ Messias siue Christos sese vulgo venditabit: indè de bellis, factionibus, terræmotibus, pestilitatibus, & de hoc genus turbationibus, insuper & de afflictione lugubri ea, quæ Christianos passim prædixit afficiendos &c. hæc omnia sunt adimpleta statim in Ecclesiæ cunabulis, cùm verbum gratiæ primùm ab apostolis denunciabatur. Sunt hæc omnia abundè quidem adimpleta, tenet tamen adhuc hæc totius mundi clades: siquidem turbatur agris etiamnum vndique totis. Et idem quoque tenor anxietatum Christianos etiamnùm manet, quanuis longè atque olim fuit, sit mitior factus. A Messiis mentitiis ergò adhuc nobis est attendendum, Matt. 7. Et Apostolus præmonet, posteriora potissimùm tempora Antichristicæ impostura fore obnoxia. Si nullus se obtrudat hodie Messiam siue Christum, tamen à pseudoprophetis cuiuis fideli est cauendum, Mat. 7. Et apostolorum princeps D. Petrus: Erunt falsi prophetæ in vobis, pernicioſissimarum sectarum authores. Quod de obsidione Hierusalem, item de abominatione in templo, cui vrbis deuastatio certa appendix erat, quidquid id est, in Syria circiter annum 40. à Christo passo, completum omne historiographi ferè omnes describunt. De hac re alibi in euangelio: Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam. Postremò, id quod in præsenti lectione audiuimus, adhuc expectatur. Trium itaque harum prognoseôn vna, de Hierosolymitana expugnatione, præteriit. Alia bona parte exacta atque completa, abiit: sed adhuc parte aliqua assiduè perficitur, vt ea quæ desunt passioni Christi, compleantur. De tertia prognosi, quæ iuxta præsens Euangelium adhuc adimplenda expectatur, hic porrò, quantùm supernè dabitur, dicemus.

On' Hierusalem Christus prædixit.

Erunt signa in sole & luna & stellis. Prophetiarum ternarum harum hæc est potissima, quippe quæ se longiùs exerit atque extendit. Priores duæ, quòd statim Christi mortem erant secuturæ, iam nihil obscuritatis habent, ipso exitu delucidatæ. Posterior illa, de qua nunc agemus, quòd adhuc non contigit, obscuritatis nonnihil habet, & quasi per nebulam humanæ infirmitatis perspicitur. Vndè ergò nostra tenuitas, eius prognosêon verum sensum ad vnguem vsque assequetur? Prophetiarum ingenium est, primùm illustres atque euidentes fieri per euentum ipsum atque exitum. Sic æterni verbi incarnatio & Christi natiuitas omnem nebulam, qua alia vatum oracula latitarunt, abstulit & difficultatem eorundem enodauit omnem. Sic & secundus aduentus ænigma (vt Apostolicis verbis loquar) in quo iam videmus, omnemque scrupum, qui hic hæret, dissoluet. Interim de tantis arcanis sobriè cum ecclesia differendum est: altiùs euolare non debemus. Quod plerique nostrûm hac tempestate supra mensuram fidei sapere voluerunt, miserè sunt dementati, & perditissimè alios effascinauerunt. Nunc postquàm se confusos animaduertunt, paulatim resipiscunt, atque vtinàm verè. Aliorum itaque malo cautiores effecti, humiliter sentientes charissimi, aduigilemus strenuè, ne in illa die nudi bonorum operum inueniamur, néve peccatorum nostrorum fœditate execrabiles & turpes tunc exponamur. Hoc nobis præcipuè elaborandum: hoc enim vnicè nobis præscriptum. Sed quæ, malùm, humani cordis peruersitas, qua semper in vetita nitimur, eorum quæ præstare iubemur, nihil satagentes? Sed vt ad prognosin veniamus, satis fuerit, cum Ecclesia credere, signa & portenta grandia iuxta atque horrifica in elementis omnibus, diem Domini illum antecessura, iræque Dei præludium atque indicium factura. Hæc Ecclesiæ professio confessa, sufficiat. Cauendi hæreseos authores, qui signa ea præteriisse lallant, blaterantque omnia. Quid rabulę hi noui aliud quę runt, quàm vt singularis eruditionis & illuminationis admirabiles eos accipiatis, quasi in ipsis solis sapientia Dei sibi sedem elegerit, & toti mundo tripodem sacrum, vndè omnis veritas petenda, nunc tandèm eos e-

Diem extremum horrenda signa sunt præcessura

Dei extremi signa hæretici dicunt præteriisse

miserit, patribus primitiuæ Ecclesiæ in Trophonium antrum Cimeriásque tenebras ablegatis? Sunt quidem plures gerræ, quibus sensus incautorum hodie irretitos detinent, in carne consectaneorum discipulorum gloriantes: sed nullus æquè est error crassus. Vndè meo iure vel ex hac sola impostura & sycophantia, Signarios, hæreticos eos vocare possim, quòd signa hæc contra communem sensum Ecclesię, pro eorum libitu quoquouersùm torquere ausint. Et quos in vno hallucinari videmus, iis nemo sanus in cæteris fidem adhibebit. Sed valeant venditores fumi, nos ad Euangelistam nostrum redeamus. Lucas non exprimit signa, quæ Dominus diei nouissimo præuia fore dicit. Futura signa in sole, luna & stellis recenset: sed quæ & qualia, non exprimit. Matthæus & Marcus exprimunt, in hæc verba: Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtus cęlorum commouebitur, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Et tunc plangét omnes turbæ, & videbunt filium hominis, venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Hæc verba Matthæi, quasi epexegesis quædam, Lucæ lectionem illustrant. Sol & luna, signa fixa sunt & rata, secundùm scripturam luminaria maius & minus appellata. Hæc duo luminaria prę-cipua, sub diem Christi obscurabuntur, officij sui finem ostendentia, & diem iræ, diem calamitatis & miseriæ, diem magnam & acerbam valdè, vt Ecclesia dicit, adesse indicantia. Adeò bruta elementa, hoc est, ipsa natura, tremendum illum diem expauescunt. Timoris aptissimum epitheton est, pallidus. Expallescent itaque luminaria cæli, simulac Dei iram incumbere sentiunt, & sese quodammodò occultabunt, hoc est, tristi habitu iram Dei adesse testabuntur. Hęc, ô homo, imis præcordiis committe, & quoties vel solem vel lunam intueris, fac tibi subeat eius implacabilis iudicis truculentiæ, etiam brutis elementis expauescendæ. Miserum te & miserabilem, pauperem, cæcum & nu-

Hæretici signarij noui.

Signa solis & lunæ.

dum considera, & fac vestimentis albis induaris, ne tunc appareat confusio nuditatis tuæ, iuxta vocem angelicam Apoc. 3. Adde quòd appropinquante atque irradiante splendore maiestatis Dei, elementorum iubar disperiet: quo admonemur, vt filij eius lucis, qui Christus est, esse contendamus. Stellæ cælo affixæ sunt, ad noctis horrorem temperandum. Nox secundùm poëtas, curarum nutrix dicitur: & noctem sine siderum temperatura, horrendam speciem præ se ferre, Silius in 16. insinuat dicens: Tenebræque horrenda silentia alebant. Idem ferè Philo siue Salomon Sap. 17. Stellæ itaque finem mũdi adesse, iramque iudicis præ foribus esse præsentientes, longè seciùs atque hactenùs fecerunt, sese gerendo, nocti non solù amicum & gratum lumen negabunt, sed & è cælo pauidæ dilabentur. Timoris proprium est, contremiscere & collabi. Vndè & tremo, pro timeo siue metuo accipitur, iuxta hoc Maronis: Hinc aliud nouius miseris, multoque tremendum: id est, timendum. Trepidabunt itaque astra ipsa & corruent, iram Dei ingruere significatura. Deliquium solis & lunæ, quæ & post Christum hactenùs à condito mundo accidere, signa sint nécne, parùm ad hanc lectionem facere arbitror. Neque enim adeò sumus *ignaui, vt eclipses eas, quæ quodammodò naturales sunt, huc saltem referendas contendamus: horrorem eum diei extremi, quem omnia elementa sustinere non possunt, eleuaturi.

Stellæ cæli signum.

**ignari.*

¶ Allegoriam si quis requirat, cohortem Antichristorum, hoc est, hæreticorum, in terra grassantem, obserua solis lampada obscurare. Christo enim qui veritas est & lux hominum, vim inferunt, magis de verbo Domini, quàm de veritate Domini, cuius Ecclesia est basis, sibi placentes, hæretici. Vndè Sol iustitiæ Christus, mundo (id est, hæreticis) lumen suum subtrahit, suis eos nebulis & errorum tenebris relinquens. In hac potestate tenebrarum Phœbe germana Phœbi, non conturbari nõ potest: hoc est, Ecclesia catholica, cuius luna symbolon habet, ab hæreticorum intemperie miserè tentata exercebitur. Stellæ etiam cadunt, hoc est, sanctorum patrum authoritas extenuatur. Daniel orthodoxos patres, qui ad iustitiam plebem erudiunt, stellas vocat æternitatis:

Allegoria signorum extremi diei.

Solis mystica obscuratio.

Lunæ turbatio.

Stellarũ casus.

eorum præcepta, hæretici, vt ſuas nænias ſtatuant, flagellant & conculcant. Poſt hæc omnia, humanis rebus oritur turbatio, hæretici catholicum ſenſum dedocendo, hæreticorum aſſeclæ communem dediſcendo, multum ſibi ipſis negocij faceſſunt, plurimum autem curarum moleſtiarumque miſeræ plebeculæ pariunt. Indè tot tumultus, tot conſpirationes, tot proditorię fraudes, tot bella & cædes naſcuntur. Veritatem allegoriæ hæc noſtra nimiùm nimiumque arguunt tempora. Hoſtilem eum furorem, quo alij in aliorum exitiũ imminent, in graues Turcas conuertat Deus pacis Chriſtus Ieſus, Amen.

Et in terris preſſura gentium. Animantibus brutis, beſtiis, pecori, montibus, rupibus, arboreo herbaceoque generi quid tunc portenti accidet, nullus Euangeliſtarum commemorat: ſaltem id mali, quod hominibus tunc continget euenietque, ſubindicant pauciſque recenſent. Preſſuram gentibus Hebræiſque obſtinatis, vnà cum omnibus Chriſtum ignorantibus, interminatur. Erunt quidem etiam tum fideles in terra, habebit in orbe Chriſtus Eccleſiam, ſed fideles tanti mali erunt immunes. Ethnicis & exteris hæc præſens anguſtia prænunciatur. Germanicus interpres dictionem, gentium, eludens, ludificatur, vt textus eius opinionem confirmet.

¶ Quid autem hoc ſibi vult, quòd ethnicis & exteris quibuſcunque populis hanc preſsionem prædicit? Et quid ipſa demum preſſura præ ſe fert? Populum Dei, malum tangere non poteſt, vtpotè quem (iuxta Pſalmiſtam) fluminis impetus lætificat. Gentes ſaltem intùs & extrà anxietate prædicta corripientur, mundóque laborante laborabunt, hoc eſt, vmbratilem planè & morti non abſimilem vitam viuent, neſcij quò ſe vertant. Nec ſaltem animi inopes nutabunt, ſed deſperabundi concident prorſus. Hoc eſt quod Lucas primò ponit συνοχὴ coarctatio, dein ἀπορία perplexitas. Illa prę eũte, hęc non ſequi non poteſt. Hanc coarctationis & perplexitatis cohærentiam catenatam, in naufragiis, in incendiis & obſidionibus, & in aliis huiuſmodi diſcriminibus, frequenter experimur. Iſraelitæ etiam cùm legem acciperent, experti ſunt ſynoche hoc ſuam gignere aporiam. *Synochẽ hanc.

Christus quoque ipse dicit Luc.12. συνέχομαι, id est, coarctor, supple, dum perficiatur passionis baptismus. Et Apostolus Philip. 1. hoc verbo vtitur. Quid verò sibi dictio ἀπορία velit, Galat.4. liquescit. Et Acto. 2. legitur συνπόρευν, id est, perplexi erant. Germani dicunt, Einhartes anligens. Breuiter, hæc huo verba ethnicis & Hebræis pertinacibus foris calamitates, & intùs horrores desperationis comminantur, in signum diei extremi, & creaturarum omnium dissolutionis.

Sonitus maris sub extremum diem qui.

Præ confusione sonitus maris & fluctuum. Ennosigæus & Amphitrite tales voces, quales aliâs, cùm Aphricum Icareis fluctibus luctatur, edere consueuerunt, non edent. De fluctuum maris fremitu siue murmure perhorrendo, legitur Esa. 5. Hiere. 31. &c. Sed nihil ad fragorem atque murmur hoc, quod hic prædicitur. nulla vnquam tanta Enyo in mari audita, quantos tunc sonitus edet mare supra naturam turbidum. Sonitus eos non accolæ maris solùm, sed & continentis terræ cuiuscunque longinquæ auribus haurient tinnientibus. Sic mare sese significabit munere alendorum piscium, gestandarum nauium, coraliorum vniónúmque pariendorum esse perfunctum. Si vspiàm vel in sacris vel in prophanis literis insanum & rabiosulum fuisse describitur, certè & tunc, cùm diem horrendum eum adesse significabit, furere dicendum. Exanimauit Ionam prophetam: Apostolis, Christo in nauicula dormitante, mortem intentauit: Paulum infestauit: quis igitur corde satis concipiet, quanto fragore impiis horrorem incutiet, iram Dei præsentem indicans? Cuperent cum Pharaone semel obrui potiùs, quàm Christi iudicio sisti. Immensum hoc elementum, signis editis, Domini sui ac nostri aduentum habet intimare. Aduentum autem non talem, qualem Solymæ in ramis Palmarum, (vt cum Ecclesiasticis loquar) quando pueri Hebræorum sacrosanctum Osanna proclamauerunt, vidit: sed eum, quo Dominus omnes gentes in vallem Iosaphat conuocabit, disceptatum cum illis: diem (inquam) eum, quem bellicus lituus & tuba angelica, non mansuetum agnũ, sed sęuum crudelémque leonem aduentare testabitur. Hor-

ridulum eum & terribilem diem, mare attonitum & cõsternatũ crudeli murmure intimabit: vt sali fragor cum clangore buccinæ angelicæ conueniat. Faxit Deus, nos ad veram pœnitentiam hæc tanti horroris prognosis commoueat, Amen.

Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Supra prædixit gentes sub Sisiphi saxo miserè laboraturos: nũc de reliquorum mortalium, non gentiũ, malo & onere, quo tunc quoquè deprimentur, vaticinatur. Fac ethnicos quoquè homines esse. Euãgelista tamen inter homines & homines hic clarè discriminat. Ethnici sunt, homines Dei ignorantes: horũ iudicium, tanquam lenius, præmittit: dein maris obstupescẽdos subdit fluctus, & posteà rursus alia & alia grauiora mala comminatur mortalibus: certè non ethnicis, sed apostatis, hęreticis, & quibuscunque pseudochristianis. Tabescendo dicit huiusmodi cohortem reproborum, præsentissimũ Dei iudicium expectaturam: quippe quæ de hacce re sępenumero legerit, & pro rostris hoc de negocio frequenter audiuerit. Sed audisse & legisse, immo etiam nosse hoc, magis molestum erit, quam consolatorium: nam secundum Euangelistam, prę metu planè deficient & exanimabũtur. Accidet illis, quod de Aegyptiis memoriæ proditum est, timore perculsi illius quæ instabit, faciei, æstimabunt deterrima esse, quæ videbũt præsentia. Dictio Græcanica ἀποψυχόντων, qua Lucas vtitur, sonat animi defectionem: Germanicè, Seellôs. Timorem eum & animi defectionẽm, causabitur expectatio incumbentis & prægogniti mali. Gẽtes, quia de die illa tremenda nihil vnquam audiêrunt, minus tangentur, quanquam & illorum anxietas, immensa, & ineffabilis erit. Non hoc mirum, cũ & Christus ipse dicat, Sodomitas & Gomorrhæos priscos eos, ad iudicium remissius resurrecturos. Quis ergo tanto præditus est ingenio, qui anxietatem eam, quæ pseudochristianos manet, dignè pro re possit æstimare? Ineffabilis, ille horror & collapsus animorum: sed longè miserabilius erit, quod præfracti & pertinaces in reprobum sensum venditi, non inuitabuntur tantis malis ad dignam pœnitentiam. Nam bona parte similes erunt sontibus in vincula datis, ipsumque

Arescent homines sub extremo die qui?

omni hora atque momento carnificem expectantibus. Hanc expectationem quis non videat mortis acerbitatem superare, nè dicam æquare? Prophani scriptores, qui de conscientiæ stimulo & verme nihil nouerunt, saltem externi mali expectationem vel ipsi morti contulerunt. Vndè apud Comicos sæpè legitur: Perij, Occidi, Metu exanimata sum, &c. Electi etiam expectabunt ea, quæ vniuerso orbi incumbent, sed non desperabundi. Erit enim & iis, qui in peccatorum abyssum non deuenerunt, dolor ille in satisfactionem. Similima erit electorum expectatio insonti & iusto homini, præter meritum in neruum atque latomiam coniecto, omni momento assertorem expectanti. Bone Deus, qualis erit impiorum expectatio, cum viderint aduersus se creaturam armatam, Sap. 5. cumque ipsorum conscientia, accusatrix eorũ erit sęuissima, & diei iudiciique instantis index certissima? Sunt prædicta mala, omnium horribiliũ horribilissima: sed pax ea, qua iam impij abutendo, lõgè impiis execrabilior: quippe qui iam peccatum peccato, sanguinem sanguini aggerentes, pœnitentiæ sibi locum ipsi præcludunt. Iam, inquam, læti & securi pergræcantur, genio indulgent, splendidè epulantur, purpuris sese comunt, latrocinia & bella meditantur, conspirant, emunt, vendunt, cantant, saltant, ludunt, vxorij, immo effœminati etiam lenocinantur, cum omni auiditate carnis omnigenis desideriis inseruiunt, solis & lunæ splendore tranquilli redditi. Stellæ adhuc in cælo fixæ, noctem reddunt placidiorem: vndè noctu inebriantur, grassantur, & libidinantur, subant vero magis & equiunt ventres obesi & beluæ immanes. Atque hic iterum vides dogmatistas nouos nostrates fœdè errare, qui hic frigidam suffundentes, tanta mala fouentes, puluinar scabiosis brachiis subiicientes, dicunt signa ea terrifica omnia esse & visa & audita. Nam vtut sat signorum, ad pœnitentiam & satisfactionem sat ponderis habentia, etiam lapides motura, præcesserint: futura tamen adhuc creduntur ea, de quibus hæc præsens lectio Euangelij agit.

Electos diij extremi iurrẽda signa non exanimabunt.

Pax impiorũ pessima.

Signarij hæretici pestilentes

Obseruatu dignum est, quòd Latina versio habet, vniuerso orbi. Submonet enim ista lectio, metuenda hæc mala, quæ hic prædicuntur, non aliquo terrarum angu-

lo,ſed in mundo vniuerſo futura.Orbem vniuerſum apud Lucam hic Græci οἰκουμένην, Hebræi *Thebel* vocant. Vndè hoc,quod iam diximus,facilè colligi poteſt.Cõſentiunt enim linguæ, vniuerſum terræ orbem exprimendo. Primum aduentum ſola Iudæa exploratum habuit: ſecundus aduentus Domini, & repentina totius plaſmatis diſſolutio,manifeſtabitur orbi vniuerſo. Nec hoc ſolum:oportet enim & vniuerſos & ſingulos ad iudicium eius,qui omnia cõdidit,ſiſti. Vndè & extremum hoc iudicium,Lucas hoc loco vocat iudicium œcumenicum:hoc eſt,generale vel vniuerſale: Germanicè, Der gantznem vvelt gericht.Iudicium hoc nulla natio,nulla regio, nullus mortalium ſtatus effugiet. Omnis caro hic Dominum ſuum,ſed aliter & aliter,videbit. Fideles iuxtà atquè infideles,boni ſimul & mali, viui vnà cum mortuis, apparebunt hic omnes, aut maledictionis, aut benedictionis, ſinè omni perſonarum (quod tamen hodiè magnatum fæx ridet) reſpectu, ſententiam audituri. Quod pius & electus quiſque ſibi ſemper ob oculos ponat.

Secundus aduentus Chriſti,toti mundo erit manifeſtus.

Iudicium extremũ œcumenicum.

Nam virtutes cælorum mouebuntur. Præcipuum hoc ſignum eſt,atque excutiendo cordis humani torpori efficaciſsimum.Senſus eſt:Neque cælum ipſum, vt interim de terra ſileam,tanti horroris erit immune. Commouebitur enim,vt nobis adumbret, qualem illum diem extremum,diem reſolutionis creaturarum,fore credamus. In hac lectione Euangeliſta primo de cæli ſignis exorſus eſt.Hic iterum redit ad ea,id quod ſupra dixit,exaggerando.Addit hic,etiam virtutes cęlorum,quæ à condito orbe ſemper,vt Boëthius dicit, antiqua lege haud vnquam ſolutæ, propriæ ſtationis opus liquerunt: ſub aduentum ſecundum Domini concutiendas,& mutatione quadam occaſum ſuum inſtare ſubindicaturas. Verbum mouebuntur,poterit reddi,nutabunt, vacillabunt, ſiue titubabunt.Domus ruinoſæ nutant:laſsi & debiles, titubant atque vacillant: ſic & machina cæli occaſum ſuum ſentiens,vacillabit,labeturque. Immo etiam quaſi ariete concuſſa, labetur & corruet. Verbum Domini, quo elementa diſſoluentur, malleus eſt comminuens omne robur. Apud Matthæum & Lucam Græcum

Cælũ commouebitur.

σαλεύω significat concusio. Vndè deducit Σάλος, id est, fluctus (intellige) fluminum, quæ dictio etiam supra legitur. Exprimit hæc dictio, motionem cæli talem fore, quales iam videmus maris & fluminũ vndas, huc atque illuc ventorum decertantium inter se violentia agitatas atque concussas. Hæc concusio, vt probè peruideatur, quam stupenda, quamque tremenda sit futura: operę precium est, vt firmitas ea cęli, de qua iam diximus, soli Dei sapientiæ, quæ eam firmauit, cognita, altiùs æstimetur. Iob firmitates eas vocat columnas, easdem idem contremiscentes describit, cap. 26. Simili figura Dauid loquitur de fundamentis montium conturbatis, Psal. 17. Esaias itidem superliminaria cardinum templi, commota vidit, ca. 6. Euangelista elementorum cæli robur exactiùs longè exprimit, dicens virtutes cælorum. Columnę, fundamenta, siue virtutes hæ, quo lucidiùs peruidentur atque intelliguntur, hoc & commotio magis liquescit, quanta & qualis sit futura. ¶ Sunt qui per virtutes cæli, non firmamentum & cardines cæli, sed angelicos choros, continens pro contento, accipiunt: significantes Deum æternitatis principium, iam tum aliud seculum interminum ordiri: Virtutes itaque cælorum, thronos, potentatus & dominationes, in hoc tanto exorso rerum que innouatione concuti. Poterit etiam intelligi de similitudine expeditionis bellicæ, detestandæ matribus: quippe qua nihil æquè est horrendum. Eius descriptionem vides apud Poètas & historicos. ¶ Hæc omnia vestræ charitati imis pectoribus sunt commendanda, iuxta hoc Sapientis: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Et quarè mortales homines, puluis, vmbra, vapor & bulla, hunc aduentum non expauescant, vel angelicas virtutes concussurum? Non immeritò fruticum genus, terrę huius fœtus, contremiscit, cum etiam cedri paradisiacæ (vt ille ait) id faciant. Hæc omnia iuxta vaticinium credimus futura, immo instare. Credimus autem, fidem eam nostram, per ea quę in scriptura olim etiam contra naturam facta videmus, fulciendo. Nempe per ignem è cælo lapsum, Genes. 19. Per mare diuisum, Psalm. 136. Per solis regressum, Iosu. 10. Per solis obscurationem, Luc. 23. Per petrarum scissionem & bu-

Virtutes cælorum angelos significant.

ſtorum apertionem, Matth. 27. Sed nunc demùm à ſigno rum expoſitione, ad ea quæ ſequuntur, nobis tranſeundum cenſemus.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. Eccè tibi aduentum Chriſti ſecundum, prædictis ſignis indicatum, nè tantus tanti Domini aduentus, citra tanta ſigna & præludia irrepat. Hoc eſt quod euangeliſta ſignis, tanquam prodromis ſiue præludiis prę̃miſsis, regem gloriæ ſplendidè aduentantem inducit. Sic & Matthæus à ſignorum præfatione inclyti regum glorioſum aduentum proſequitur cap. 24. Verba Euangeliſtę ſupra citauimus, eodem ſtatu & apud Marcum recenſentur capite decimotertio. Tunc, inquit, poſt ſigna dicta cæli & terræ, maris & aſtrorum, &c. videbunt eum. Non dicit filium hominis venturum: ſed, videbunt eum aduenientem. Qui autem videbunt? Palęſtini ſaltem? Haud quaquàm. Sed omnis mũdus. Neque enim humilis veniet, ſed diſtrictus: neque clam, ſed palam, vel iis etiam qui ſunt in monumentis. ¶ Quod Apoſtolus dicit 1. Theſſal. 5. Dies enim Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet, &c. non accipiendum quod Apoſtolus diſſidenti animo ab Euangelicis, ſcripſerit. Apoſtolus loquitur de ipſo die, vna cum ſuis ſignis. Diem eum haud ſecus quam hic deſcribitur, adfore dicit inſtar furis, hoc eſt, tum cum minimè rebitur. Irruet ſuper incautos illa dies, irrumpent imprudentibus & ſigna prædicta, tum cum id nemo ſperauerit. Horam ſiue tempus irruptionis eius nemo ſciet: vtcunque ipſa irruptio nemini non erit manifeſtiſsima. Non eſt ꝙ aliquis (perindè atq; in regũ aduẽtu ignobile vulgus facere cõſueuit) curriculo emicet, locũq; editiorem, vndè aduentantẽ regẽ contẽpletur, prę̃ocupare adlaboret. Nã inſtar ſolis, cũ viuis, tũ mortuis, ex æquo omnibus rex noſter ille conſpicuus erit. Nunc tandẽ videndum, quonam apparatu & facie aduenies rex conſpicietur. non vagientẽ iterùm puerulum è ſtabulo atque præſepi, qualem Simeon venerandus ille ſenex, & Anna vates illa, decens vidua, in templum portatum vidêre. Nec item veniet inſidens aſellę, qualem Hieroſolymas ingredien-

Dies Domini quomodo venit ſicut fur.

Aduentus ſecundus erit glorioſus.

tem Hebræorum contemplati sunt pueri. Nec item veniet in angustum mundi angulum Syriam ipsam, sed in orbem vniuersum. Cæterum vt neque ex humili ancillæ Dei aluo, neque ex præsepi, neque ab oliuarũ monte, neque item è sepulcro prodibit: sic etiam non veniet in nubibus cœli solum, sed & in maxima maiestate, in clangore angelicæ tubæ, secum trahẽs militiam angelorum omnem rex Sabaoth. Paupertate & humilitate defuncta, restat vt in maiestate, quæ Dei filium decet, etiam angelorum exercitibus admirandus, nedum tyrannorum cateruis stupendus, appareat. Hunc talem aduentum, ipse Saluator vocat aduentum filij hominis in regno suo, Mat. 16. Quid autem est, filiũ hominis aduenire in suo regno? Venit infans, pannis, fescenniis, virgineo lacte & pappa fouendus, circuncidendus, per omnia citra peccatum tentandus, crucifigendus & sepeliendus: qui filius Ioseph ab impia & obdurata synagoga est vocatus creditusque. Vt ergo & Dominus cœli appareat, in maxima sua reuertetur maiestate. Verè gloria ea aduentus secundi, immensa credenda, quod vel ab ipso saluatore magna dicatur. Matt. 25. dicit: Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & angeli eius cum eo, sedens in sede maiestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Ioan. 5. Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei. Et duo angeli, virili forma conspecti, Acto. 1. dicunt ad apostolos: Hic Iesus qui à vobis assumptus est in cœlum, iterum veniet vt vidistis eum. 1. Thess. 4. Ipse Dominus in iussu & in voce archãgeli, & in turba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. O rex gloriæ, fili Dei, & idem fili Mariæ Iesu Christe, per eam gratiã, qua nobis hæc arcana tanti aduentus reserare atque edisserere dignatus es: da, vt benè viuendo vigiles, te iudicem simul & assertorem omniumque bonorum retributorem, pia fidutia expectemus, Amen.

Filius hõis gloriosus aduenit iudex.

¶ Potestas aduenturi iudicis ea, de qua Lucas cum aliis Euangelistis agit, eo sensu quo & gloria siue maiestas, intelligenda est. Vtrunque priori conditioni atque vitæ conferendum: Maiestas, paupertati & humilitati: Potestas, imbecilli[illegible]ti vagientis pueruli, &c. Hæc mutatio

dextræ omnipotentis. Potentia siue virtus istæc, à Græcis vocatur δύναμις ab Hebræis *Coath* siue *Hail*. Maiestas illis δόξα, his *Thiphereth & Cabod* appellatur. Describitur. Dominus iuxtà glorioſus aduenturus atque potẽs. Iuxta alteram dictionem fortis veniet & potens, Pilati, Herodis, Antichriſti item & ipſius ſatanæ irarum ſecurus, immo omni tyrannidi tremendus. Iuxta alteram veniet glorioſus, non ſine magno apparatu & ſtrepitu, vt mundi tyrannorum diabolicamque pompam confundat, & funeſtam oſtendat. O ſpecioſum & vere glorioſum Chriſtum, O fortem & præpotentem Ieſum noſtrũ: is vt dignatus eſt infirmitatem & vilitatem humanæ conditionis aſſumere, ita & dignabitur electis ſuis potens & glorioſus aduenire. Alterum mundus ſatis ſupérque vidit: reſtat vt & alterũ videat. ¶ Quòd ſe Chriſtus hoc loco potiſsimum filium hominis vocat, non debet accipi, quaſi filius Dei tunc eſſe deſinat: ſed vt eundem filium hominis glorioſum, in diuinitate nimirum, oſtendat. Cæterum & ſcriptura Chriſtum filium Dei frequenter appellat. Deus pater Pſalm. 2. Oſe. 3. Matth. 3. & 17. Dauid Pſalm. 109. apoſtoli, Matth. 16. centurio ad crucem, Marc. 15. Thomas, Ioann. 20. Immò etiam ipſe ſatan, Marc. 5. Quanquam & ipſe Chriſtus nõ ſemel ſe filium Dei eſt faſſus, Ioann. 3. 5. 11. 14. 17. Quod vero ſe frequenter filium hominis vocat, Primò fit cauſa humilitatis, cuius præcipuus & facto & verbo doctor extitit. Dein, nè offenderet Iudæos qui partim pro temporis ratione infirmi, partim craſsi & imperiti, nomẽ Emanuel ferre non poterant. Denique, vt fidei ei, qua Chriſtus verus Deus & homo creditur, meriti occaſionem præberet, ſimul & hæreſin irrepturam confutaret, etiam necdum natam, eorum nempe, qui humanitatem Chriſti veram negabant. Obſerua iterum: filius hominis, hic accipiendus eſt pro vero Adami filio. Ex articulo ſiquidem Græco, qui apud Matthæum pro hoc nomine homo, poſitus eſt, colligi poteſt, Chriſtum ſe non filium hominis propter matrem ſaltem glorioſam virginem, verum etiam, ídque præcipuè, propter Adamum protoplaſten ſiue propatora, vocare. Filius hominis, vtpotè viri, ſeu qui homo vir erat, hoc eſt, Adæ. Modus ille loquendi, tunc

Filiũ hoīs ſe chriſtus quare dicat aduenturum.

Filiũ hominis quare ſe chriſtus frequẽtius vocet.

Filius hominis, id eſt, filius Adam.

primum natus non est: nã & in scriptura ante Christum fuit frequentissimus. Exempla sunt in promptu. Psalm. 143. homo, in genere vocatur filius hominis. Plura eius loci exempla vides Psalm. 4. 44. 56. 61. 145. Prou. 8. Eccl. 2. 3. Estque hic modus loquendi, Dauidi & Salomoni peculiaris. Petis exempla de ipso Christo propriè prolata? Audi Psalm. 8. vbi propheta Christon *Ben Adam* vocat. Et Psalmus hic de Christo exponitur Heb. 2. Et Psa. 79. de ipso quoque Messia exponendus est, *Ben Adam* Quòd si suo more, qui apud Euangelistas celeber est, hic quoque Christus locutus est, *Bar Adam* sese certè appellauit. Sic & Petrus vocatur *Bar Iona*. *Bar & Ben* idem significant, vndè hæc nomina, *Barnabas* Act. 4. interpretatur filius spei, *Barsabas* Act. 1. filius cõuertens, *Barabbas* Mat. 27. fili° patris. & *Bartimæus* Mar. 10. filius Timæi. Christus cùm se filium hominis vocat, filium Dei non negat: neque cum se filium Adæ fatetur, Mariã matrem inficiatur. Sine Adamo patre, filius Mariæ esse non potuit: neque enim de virili semine est conceptus. Conceptus per spiritumsanctum & per Mariam virginem filius Adam, i. verus homo, natus est verus Deus. Vndè & Ecclesia, vt Nestorius cum Arrio crepat. Mariam virginem theotocam prędicat. Satis huius. Nunc porrò videamus, quidnam Christianis in tempore illo Christus præscribat.

His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra. Consolationem eam nisi præmissis comminationibus subdidisset, etiam electis timendum esset. Fragilior siquidem humana conditio est, quàm vt tantam elementorum dissolutionem, vel cœlorum virtutes moturam, infracto animo perferre possit. Ethnicis, Iudæis apostatis, sectarum authoribus, & reprobis quibuscunque timorem, quo etiam montibus dicent, Cadite super nos, Luc. 23. ineffabilem prædicit saluator. Hic consolatur suos, monens, vt desperantibus infidelibus & impiis, ipsi æquo sint animo. Agonothetam & hyperaspisten se promittit adfuturum, qui& laborantes suos sit coronaturus, & eos, quos huius seculi exercet tyrannis, protecturus, asserturúsque. Ethnicus dicit, tãtę integritatem esse fidutię, vt etiã

cœlo ruente, impauidos pios ruinæ feriant. Quis ergo dubitet, fluminis impetũ, ciuitatem Dei tunc de sede deiicere non posse? Christus factor & doctor, petra est solida. Huc qui sui ędificij fundamenta iecit. ruinam nullam patietur, misere intereuntibus cum iis, qui in arenam mentitæ fidei ædificarunt, tum iis, qui fidei ipsius planè sunt expertes. ¶ Dicet quis: Ecclesia fatetur, Christum vel sua nos natiuitate de diabolica potestate liberasse: eadem & subindè confitetur, eundem per sanctam suam crucem nos redemisse: quę ergo est illa redemptio, quam nos Christus hic iubet expectare? Respondeo, verè quidem per sanctam natiuitatem & passionem Christi, in libertatem assertos nos credimus: sed eius liberationis creditæ nulla nobis fruitio adhuc contigit, præter eam quam spe possidemus. In illa verò die, vsum ipsius liberationis vniuersa accipiet Ecclesia. In primo aduentu, quantum ad sacramentum fidei, ab interitu sumus vindicati, atque in spem viuam perducti. In secundo, spei mercedem Christus elargietur: tunc non erit vltra tentationis locus, qui interim in hoc seculo electis, in meritorum occasionem, relinquitur. Tunc & animi passiones, quas Greci πάθος vocant: tunc & omnis carnis contagio & morbus, tunc & ipsa mors, eáque duplex, penitus abolebitur. Hanc talem redemptionem, quæ nihil aduersitatis reliqui permittit, hic Dominus tangit, dicens: Prope erit redemptio vestra. Hanc scholastici vocant rei, cum illa, quam in hac vita credentes spe possidemus, sit spei. Ἀπολύτρωσις apud Lucam, hoc quod iam diximus, satis approbat. Est enim secundum Theophylactum consummata redemptio, hoc est, absoluta omnium malorum, corporis puta & animæ, euacuatio, ipsius etiam legis mortis abrogatio. Capitis erectionem, item veteres intellexerunt ouationem & gaudium, quod vocant hertzlich freude. Vide Bedam. Comperi apud Dauida hoc ipsum verbum Psal. 24. *Seu Rasechem*, hoc est, leuate capita vestra. Item apud Zacha. cap. 1. vbi ferè eadem verba leguntur. Atqui sensus eorundem verborum in prędmissis locis, huc non adeo quadrat. De eleuatione manuum, oculorum, vocis cordium & animorum, multa in scriptura exempla habemus,

Extremus dies, dies redẽptiõis.

Caput erigere, quid.

ad hunc locum facientia. Sed omnium maximè conuenit, quod Iob dicit cap. 10. *Lo eßa roßi*, hoc eſt, Non leuabo caput. Quaſi dicat, Tanta eſt confuſio mea vt ne caput quidem attollere auſim, oculósve ſubrigere. Confuſos & abiectæ ſpei homines, capita demittere & oculos deiicere ſolere, videmus exemplo Achab. 3. Reg. 21. Inclinant itaq; capita ſua Chriſtiani in hoc ſeculo, quod ſemper infenſum & contrarium experiuntur. Ludibrium ſunt pij huic ſeculo, quod etiam Dei ſapientiam è ſublimi deridet, Eſa. 1. Prou. 1. Promittit ergo hic ſapientia æterna, ſeſe redituram ad vindicandum eam iniuriam ſubſannationémque, & ad commutandum riſum impiorum in luctum, Iaco. 4. Prou. 1. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia, erectis nimirum capitibus aduerſus eos qui ſe hic tantis affecerunt iniuriis, Sap. 5. Non abſimile eſt, quod de eleuatione capitis legitur 2. Reg. 2. Iob. 11. & cęt.

Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores: cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas: Ità & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quia propè eſt regnum Dei. Vides Chriſti erga nos amorem. Conſolatio præmiſſa, quæ obſcura non eſt, ex preſenti parabola plus lucis accipit. Adeò Chriſtus vult intelligi, & verba, quæ nobis clara loquitur atque elucidat, cuſtodiri. O appoſitam & accommodatiſsimam ſimilitudinem. Eià, quàm ſcitè quadrat, quàm conuenit. Vulgaris quidem eſt parabole: ſed æterna ſapientia ità ſubmonet, difficiliora & ſcrupuloſa ſcripturę loca, nudis & tritis exemplis declaranda, & animis ſimplicium, haud ſecus atque filum acu, ingerenda. Nè ergo pudeat Eccleſiaſtem, Chriſti & prophetarum exemplo rudem plebeculam gnomis huiuſmodi inſtituere ſimplicibus, modo apte adducantur. Sed ſimilitudinem ipſam videamus. Ficulnea, inquit, & omnes arbores gemmantes atque comantes, æſtatem adeſſe arguunt: ſic & vos, cum videritis elementa prędicta edere ſigna, certo vobis perſuaſum habete, regnum adeſſe cœlorum. attendite ergo: nam quamprimum ſigna ea videritis, exemplo regnum cœlorum credite ſecuturum. Hyemis epitheta ſunt, ſterilis, horrida, informis &c. Soluitur, inquit Horatius, acris hyems grata vice veris & fauo-

Similitudines tritæ & caſtæ nō dedecēt prædonem Chriſti.

& fauoni. In hac ærumnarum acuta bruma vult nos Christus patienter maleuolorum intemperiem ferre, vt nos æstas gratissima, omnium mercedem laborum adferens, exhilarare possit. Sic & Iacobus dicit capit. 5. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat pluuiam temporaneam & serotinam. Piis & operosis æstas illa frugifera, spicea, atque adeò pauperi cuiuis gratissima, promittitur. Impij post huius mundi hyemem, torridam & igneam, & per hoc bis ærumnosam, æstatem sentient: & quod Iob dicit 24. ad nimium calorem ab aquis niuium ibunt. Abel pius pastor & fidelis quicunque, in illa æstate celeuma Solomonicum Cant. 2. psallet: Hyems abiit, imber transiit & recessit, flores apparuerunt, tempus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. ficus protulit grossos suos. Vineæ florentes odorem dederunt. Et hoc Poetæ, suum euentum effectumque fortietur: Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos: Nūc frondent syluæ, nunc formosissimus annus. Tunc ridebunt ij, qui iam lugent, Luc. 6. Tunc durum & impœnitens cor, quod iam lætatur atque in croceis degit, quam sibi hic iam colligit, irā Dei audiet: Amice, recordare quòd tu bona in vita recepisti, Lazarus verò mala. Vndè hic nunc reficitur, tu verò cruciaris, Luc. 16. Regnum cælorum Christus hic vocat patriam cælestem eam, in qua iam non erit clamor neque dolor. Hanc nouam Hierusalem postulamus quotidiè nobis dari, dicentes: Aduenìat regnum tuum. Huc & latro pœnitens respexit, dicens: Memento mei Domine cùm veneris in regnum tuum, Luc. 23. De hoc regno dicunt Paulus & Barnabas: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Est, fateor, & regnum cælorum intra nos, vel in hac vita, Luc. 17. nempe in euangelio, fide, iustitia, pace & gaudio spiritus sancti, Roma. 14. Verùm quoniam & regnum diaboli vnà cum regno Dei, hunc mundum occupat, in ænigmate & speculo habetur, 1. Cor. 14. & eius vsus est ex parte. Cùm autem prædicta signa transierint, & Dominus sublimis in nube venerit, tunc absoluta regni cælorum fruitio nobis continget: hoc nimirùm regnum, in quo diabolus infestabit neminem, in

Seculum futurum æstas est.

Regnum cælorum.

Act. 14.

quo mors non terrebit aliquem, & in quo omnia mala (vt suprà, vbi de liberatione perfecta egimus, dictum est) euanuerunt, & in quo innouata videbuntur omnia. Vt ordinem siue contextum lectionis euangelicæ, videamus minimè esse ociosum: Primò ait, Appropinquabit redemptio vestra: dein subdit, Quia propè est regnum Dei. Vetera primó transeunt, dein noua fiunt omnia: cessante maledictione, nihil nisi ipsa manebit plena & perfecta benedictio. Huc facit verbum Apostoli 1. Cor. 15. Dein finis, cùm tradiderit regnum Deo & patri, & euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem. Matthæus describit gnomen sic: Ab arbore fici discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, scitis quia propè est æstas. Ita & vos, cùm videritis hæc omnia, scitote quoniam propè est in ianuis. Quantùm ad veritatem literæ, errant qui hic legunt Germanicè: So sehet irs an in Videbitis in illis. Nam ἀφ' ἑαυτῶν non refertur ad arbores, sed ad discipulos, qui omnia hæc ipsi, etiam nullo admonente, vident & agnoscunt. Simile huic est quod legitur Luc. 12. Quid à vobis ipsis non iudicatis quod bonum est? Errant etiam, qui hic legunt Germanicè, vvañ ir dis alles sehet angehen, Cùm videritis hæc fieri. γινόμενα siquidem non significat inchoari, sed fieri. Germanicus versor finem operis pro inchoatione siue exorsu accipiens, magis friuolæ suæ opinioni, quàm veritati literæ inseruire videtur. Quod submoneo, vt quisque videat, cui interpreti fidem adhibeat.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Antipophora est, qua ostendit tempus hoc non adeò longè abesse. Israeliticam gentem dicit adhuc superfuturam, siue reliqui forè, Supràdixit, Ethnicos cũ pseudochristianis vsque in illum diem permansuros: nunc altiùs, certo consilio, idem & de Iudæis subdit, respiciens in captiuitatem eam, qua iam culpa suapte deprimitur: adeò, vt non immeritò & de reliquiis huius gentis aliquis desperaret. Sed Dominus, quæ eius est longanimitas, qua omnes saluos vult fieri, quique omnia nouit, prædicit reliquias eius gentis, partim in conuersionem, partim in condemnationem earundem, per-

manſuras. Hæc eſt catholica exegeſis verborum Chriſti, per verbum generationem, hoc loco gentem Iſraeliticam accipientis. Quale eſt illud Matth. 12. Generatio mala & adultera ſignum quærit. Item 16. O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? Luc. 7.17. vbi ſaltem loquitur de gente Iſraelitica, ergò neque hic de alia loqui putandus, præſertim cùm & circunſtantiæ hic opinioni noſtræ ſuffragentur. Ferendum eſſet, ſi dogmatiſtæ neoterici interpretarentur, hæc generatio, ætatem hominis, quaſi dixiſſet Dominus: Vos tũc adhuc ſuperſtites, hæc omnia videbitis. Nam & ſic Hebraicum *Dor*, quod frequentiſsimum in ſcriptura occurrit, accipiendum: quippe vbi nos habemus, Omnis generatio, ſiue à generatione in generationem. Et fortè illud Salomonis: Generatio præterit, generatio aduenit. Sed ſenſus ille hic ægrè conuincetur: neque enim ſunt adimpleta omnia, de quibus Chriſtus dicit. Vndè ſequeretur, Dominum fuiſſe mentitum. Quod ſi horrendum ſit dictu, conſultum eſt, gloſſæ authorem erroris notari, quoniam & aliâs non rarò hallucinatur. Dicat quis, prædicta completa eſſe tempore coętaneorum Chriſti. Reſpondeo: Dominum hoc ipſum hic non ſolùm agere, verùm etiam prædicere ſigna ſuum aduentum præcurſura, cùm hic clarè dicatur, Donec * hæc omnia fiant. Sed nemo ſtatim dixerit, hæc omnia perfecta: peccant ergò, qui hoc tanquàm illuminatiores aliis, pro concionibus publicè docent, & anilibus ſuis literis in lucem edunt, facta, pro fieri incipiunt, accipiendo. A quo ſenſu, tam Matthæi, quàm Lucæ abhorret lectio: tantùm illorum quadrat opinioni. Porrò ſi vaticinatio Domini, de excidio ſaltem Palæſtinæ eſſet dicta, ſenſus eorum conſtiterit, cùm regio illa hoc ipſo ſeculo, quo hæc à Chriſto dicta ſunt, ſit expugnata. Origenes ſimulàc multùm diuque in hoc loco ſudaſſet, tandèm in ſenſu acquieuit, quem ad confutandos dogmatiſtas noſtrates, ab illo literis commendatum dixeris.

Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Paulò ſuprà, more ſuo prædicta omnia confirmauit per Hebraicum Amen, quod Chriſti proprium eſt iuſiurandum, & verè ſiue ſanè, poteſt reddi.

Nunc robuſtiori perſuadendi genere verbum ſuum perpetuat, per aliam ſcilicet prophetiam, quam priori ſubnectit: dicens, non ſolùm futura ea ſigna prædicta, ſed & cælum cum terra vnà reſoluenda, verbo ſuo ſtabili permanente. Quod, chariſsimi, obſeruatu eſt digniſsimum. Hic ſiquidem nobis inſinuatur, verbum Dominicum pluris eſſè, quàm ſunt cæli & terra. Certius & durabilius eſt verbum Domini vtroque elemento, quæ alioqui omnia ſunt durabiliſsima. Quot homines & beſtiæ exactiſsima ætate conciderunt? quot robuſtorum venatorum myriades? quot potentiſsimæ monarchię & regna? quot ſectæ philoſophorum & plebiſcita euanuerunt? Quidquid id eſt, præteriit, & quodammodò periit omne cælo a huc integro conſtante & terra. Sed quantulacunque vtriuſque elementi eſt viuacitas, verbo Dei collata? Qui hoc? Verbum Dei priùs fuit cælo & terra, ergò & poſt vtrunque permanebit. Hæc plaſma ſunt: quare cum cæteris creaturis habent perire. Illud eſt, per quod omnia ſunt: interire ergò nunquàm poteſt. Scitum eſt, quod hic Origenes dicit: Verbum quod ante creaturam erat, cum creatura concidere non poteſt. Tranſitus hic cæli & terræ, non eſt accipiendus pro abolitione & redactione in nihilum, inſtar fumi, vaporis & bullæ aliarumque rerum, quæ ita euaneſcunt, vt nihil de illis reliqui maneat. Dominus non dicit prædicta elementa peritura, ſed transformanda & immutanda, iuxta hoc Stridonenſis dictum: Immutatione, non abolitione, ſui tranſibunt: vt & hoc Eccleſt. 1. conſtet, Terra manet in æternum. Tranſibunt itaque, non quo ad eſſentiam eam, qua in principio creata ſunt, ſed quantùm ad formam & officium. Iam ſol, luna, ſtella, terra, mare, omnia hominũ ſeruiunt vſui. Vndè poſtquàm mortales glorificati, corruptibilitate & omni carnis corruptione exuta, ipſam immortalitatem atque beatitudinem induerint, ritè officium elementorum ceſſabit, & pro hominis glorioſa immutatione, glorioſè immutabitur. Terra homini quibus viuat, tot frugum genera non proferet: mare tot piſcium fœtus non edet: ſol diei non præerit, neque luna nocti: aſtra in ſignorum ac temporum diſcrimen non radiabunt. Omnia enim, iuxtà atque ipſe homo, innoua-

Verbum Dei conſtabit, cælo & terra defluentibus.

Cæli & terræ tranſitus quis & qualis.

buntur, aliam ſpeciem & officium acceptura. Summa huius profeſsionis hæc eſto: quam ſi ethnici & plerique hæretici non recipiunt, ſiue ethnici etiam tanquàm fabulam anilem rident, non ergò ſtatim in illorum gratiam Chriſtum mendacij & nugarũ inſimulans, hanc profeſsionem obliterabit. ¶ Roges, per quid prædicta fiet innouatio? Auſculta Petrum 2. cap. 2. non obſcuris verbis affirmantem, per ignem diſſolutionem eam futuram. Olim piacularibus vndis hæ partes creditæ ſunt, Gene. 7. 8. poſthàc inueteratam & penè inexpiabilem carnis nequitiã, ignis rapidus & edax penitùs abſumet: & quod per aquam eſt inchoatũ, ignis abſoluet. Quis hoc Mercurio Triſmegiſto, Platoni aut philoſopho cuiuis alij, immò etiam angelo de cælo credat? Rurſus cui huius rei veritas ipſa fidem non faciet? Breuiter, tam eſt hæc elementorũ diſſolutio creditu facilis, quàm in procliui eſt credere Deum eſſe, & eum omnipotentem omnium creatorem. Omnipotẽtis eius Apoſtolum, ſuprà adductum, iterùm audiamus, 2. Pet. 3. Latet eos, inquit, hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo, per quę ille tunc mundus aqua inundatus, periit. Cæli autem qui nunc ſunt & terra, eodẽ verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. Impios dicit, volentes (id eſt, ſua ipſorum malitia) nolle credere. Facite ergò, chariſsimi, veritati credatis. Sed Apoſtolum deincèps audiamus. Sequitur: Verbum hoc non lateat vos, chariſsimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut vnus dies. Non tardat Dominus promiſsionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini ſicut fur, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur: terra autem & omnia quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Audite, chariſsimi, verborum Chriſti, ſatis per ſe illuſtrium, interpretem non pœnitendum, nè aliquis apud vos ſcrupus maneat. Cæterùm verbo Dei cautiores facti, credentes ſigna horrenda formidoloſam eam diem antecedendo præludium aliquod exhibitura, cæli & terræ diſſolutionem vel angelicæ ſtu-

Cælum & terra per quid diſſoluentur.

Modum quo se quisque ad instans iudicium præparare possit.

pendam virtuti, non discredentes, assertoris nostri aduentum adfore, aut potiùs in ianuis adstare, persuasum habentes: supereſt vt discamus modum, quo illi nos præparemus. Huius rei diuum Petrum porrò audiamus: Cùm itaque, ait, hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos verò cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace, & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini. Audistis Apostolum, ad vitæ integritatem nos cohortantem. Vult nos satagere, vt per bona opera, vocationem nostram certiorem faciamus in pace, quam peccatores non habent. Hoc est sapere: aliter qui sapit, desipit. Imparatum te ad diem illam crede, si solam, meram & nudam fidem discinctus & lucernarum orbus, habueris. Plurimùm vapulabit, qui voluntatem Domini sui sciens, non perficit. Cauete ergò vobis à pseudoapostolis, ita fidem Christi docentibus, vt homines à bonis operibus & ab ecclesiæ disciplinarum obseruatione frigére faciant, bonis operibus fidelium protegendi rationem detrahentibus, quasi mentiatur qui dicit: Labor vester non erit inanis per Dominum. Consentiunt Apostoli: Petrus vult vt per vitæ integritatem nos ad illam diem præparemus. Idem & Apostolus Paulus nobis precatur. 1. Corint. primo. Vigilemus ergò, & caueamus nobis ab Apostolis nugigerulis, mentium humanarum dementatoribus. Vigilemus item lumbis succinctis, in opere Domini strenui, quia nescimus neque diem, neque horam, quando Dominus veniet. Ad hoc ipsum suam gratiam nobis clementer elargiri dignetur pater, filius, & spiritus sanctus, Amen: Cui laus sit & gloria per æterna secula, Amen.

Fides sola non satis præparat ad iudicium extremũ.

DOMINICA SECVNDA ADVENtus, Luc. 21.

Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, &c.

¶ SECTIO literalis.

1 *Vniuerſi mundi conturbatio, regnum Chriſti & mundi in immenſum diſcrepare arguit.*

2 *Maieſtatis iudicis epiphania, mundi mancipiis horribilis futura.*

3 *Chriſti ſeruorum liberatio hoc proxima magis eſt, quo pauor & tremor pereuntis mundi eſt præſentior.*

¶ DECLARATIO.

1 *Erunt ſigna in ſole & luna, &c. Signa prædicta in lectione, ſub Chriſti aduentum omnia euenientia, declarant verum eſſe quod dicitur Rom. 8. Solicita creaturæ expectatio expectat, vt palam fiant filij Dei, & cætera quæ ibi ſequuntur, vſque omnis creatura ingemiſcit, ſimulq; nobiſcum parturit vſque ad hoc tempus. Textus eſt clarus.*

2 *Nam & virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem, &c. Sic veniet, aiunt angeli, quemadmodum vidiſtis abeuntem, Act. 1. Chriſtus veniet iudex glorioſus, ſed gloria ea erit horribilis huius mundi filiis. Obſeruanda verba textus: In nube cum poteſtate magna & maieſtate. In nube, vt non omnibus idem appareat. In poteſtate magna, contra hoſtes, quibus dicet: Ite vos maledicti. Et maieſtate magna, hoc eſt, gloria, ad ſublimandum eos qui iam deprimuntur. Vide Pſal. 115. Ecc. 11. 12. Eccl. 12. Eſai. 3. Ioel. 2. Malach. 3. Matth. 13. 25. Marc. 12. 13. Luc. 17. Ioann. 5. 11. 1. Corinthior. 5. ſecundæ Corinthio. ca. tertio, 1. Theſſ. 4. 1. Tim. 3. 1. Petr. 4. 2. Pet. 3. Apocal. 1. &c. Auguſtinus libr. 2. de ſymbolo: Iudex ille nec gratia præuenietur, nec miſericordia flectetur, nec pecunia corrumpetur, nec ſatisfactione vel pœnitentia mitigabitur. Hæc dum tempus habet, agat anima pro ſe, quandiu locus eſt miſericordiæ, quia ibi erit locus iuſtitiæ.*

3 *His autem fieri incipientibus, ſuſpicite & leuate capita veſtra, &c. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Gloria Ordinaria. Exhilarate corda veſtra, puta modo, quia dum finitur mundus, cui amici non eſtis, propè eſt redemptio quam quæſiſtis. Apoſtolus ait, fidem Deum in depoſito reddddo.*

Inficiator non est. Huc pertinet verbum, sustinere, Psal. 129. Iacob. 5. 1. Pet. 2.

¶ SECTIO Mystica.

1 *Signa atque portenta, mystice accepta, erunt in Ecclesia vsq; ad finem mundi,*

2 *Christus veris Ecclesiæ filiis non aberit consolator. hostibus nec deerit exterminator.*

3 *Animus Euangelicis præceptis benè firmandus, nè tentationi succumbat.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Sol iustitiæ Christus, hoc est, Veritas Euangelica, obscurabitur subinde hypocrisi & hæresi varia, Apocaly. 6. Antichristi opiniones maximi vsque habebuntur, pseudo in magna erunt æstimatione, vt dicit Isidorus. Idem quoquè non reticet Paulus 2. Thessaloni. 2. nec Euangelista Apocalyp. 13. Luna Ecclesiam signat. soror Phœbi, Phœbe. Defectio erit non modo imperij Romani, sed & Ecclesiæ Romanæ, 2. Thessalon. 2. Luna vertetur in sanguinem, Ioel. 2. Apocalyp. 13. Catholicis imminet crux, Dan 11. Caterum etiam ratus erit sanctimoniæ splendor, &c. Stellæ, Doctores significant ad iustitiam erudientes, Daniel. 12. Hæ quoquè labascent, cauda draconis è cælo, tractæ, Apocalyp. duodecimo.*

2 *Christus Ecclesiæ nunquam deerit. Ecce ego vobiscum sum, Matth. 28. Hoc est, fides catholica non deficiet. Sic & Petro dicit: Ego pro te orani, nè deficiat fides tua. Quod de catholica Romanæ Ecclesiæ fide accipitur.*

3 *Scrutamini, ait, scripturas. Sed scriptura non est priuatæ interpretationis. Audienda ergo Ecclesia, quam qui audit, consolabitur se & omnes alios se audientes. Qui extra Ecclesiam est, marcescet, & obruetur vndis: haud secus atquè perierunt omnes, qui olim fuerunt extra Arcam.*

¶ SECTIO Moralis.

1 *Conscientia mala, sæua semper præsumit.*

2 *Qui bona opera ex fidei candore simpliciter fecerunt, & qui verè pœnitent, consolationem vndique audiunt.*

3 *Hortatur scriptura vndique ad pietatis opera, ad perfectam religionem, & non ad solam fidem.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Folium cadens, etiam impium exterritat. Contra, quidquid pio*

acciderit, æque fert. Omnia electis in bonum cedunt.

2 *Gloſa Ordinaria. Non mirum, ſi in expectatione diuini Examinis, qui in mundo floruerunt, exareſcent: ſi fides quæ ſine operibus viruerat, emarceſcet. Stultus, qui ædificat ſuper arenam ſolius fidei.*

3 *Omnis creatura facit verbum Dei, quod Dauid in tot pſalmis planum facit. Admonet itaque omnis creatura hominem operum bonorum, obedientiæ puta Eccleſiæ, & pietatis atque eleemoſynarum. Male interpretantur ſcripturam, qui nos ad ſolam fidem inducunt. Præcidunt enim anſam, & Chriſtum exoticum vanumque docent. Verus Chriſtus, obedientiæ & bonæ vitæ, & crucis nimirum eſt inſtar. ſic erigitur caput. Cæterum bonorum operum negligentes, pereunt in ſtercore huius mundi, inſtar iumentorum.*

DOMINICA ADVENTVS TERTIA, 1. Cor. 4.

SIc nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, &c

PRAEFATIO.

LEctio præſens pertinet ad cauſam eam, quæ peculiariter Apoſtolo fuit cum Corinthiis. Corinthios intellige, ciues Corinthi, nobilis emporij Græciæ, quod hodiè Turcica tyrannis occupat. In ciuitate iſthac opulenta pauperem & crucifixum regem euangelizauit Apoſtolus. Maximo negocio paruulam Chriſto ibi ædificauit eccleſiam. ęgrè enim, qui diuites & potentes ſunt in hoc ſeculo, iugo ſeſe crucis ſubmittunt. Paruulam eam eccleſiam ſatanas ſtatim nitebatur demoliri. Non poterat illis vanitatem rurſus idololatriæ perſuadere, per hæreſes ergo pacem labefactabat mutuam. Suadente diabolo, fratres ex Iudęis, Petro magis acquieſcendum, perperàm dictitabant, in legis Iudaicæ obſeruatione. Alij Apollo ſe nomine efferebant: erat enim is magnæ opinionis Chriſti præco, facundus & grauis, vt vides Actorum decimooctauo. Alii econtra Paulum & Petro & * Apollini præferebant, fidei ſuæ illum patrem & caput agnoſcentes. Primus enim (quod dixi & quod

ſecundę Corinthiorum capite vndecimo, & Actorum vides capite decimooctauo) illis Chriſtum prædicauit. Per ſchiſma hocce plerique Apoſtolo clanculum detrahere atque mordere: quod in fidei fraudem vt animaduertit vergere Apoſtolus, ductu ſpiritus ſancti interim dum cætera errata corrigit, etiam ſuam opinionem aſſerit: ſed non niſi ad ædificationem & Dei gloriam. Atque hic eſt huius lectionis ſenſus: quem in duos articulos ſeu partes diuidere poſſumus. Primus eſt forma viuendi fidelium, maximè verò Apoſtolicorum virorum. *Secũda eſt, honeſtam & religioſam vitam, ad maiora merita viam eſſe planè certam, gratia ſuos auctus habente. Dicit enim: In hoc non ſum iuſtificatus. q. d. Iuſtus opus habet vti iuſtificetur adhuc.

Titulus quis homini glorioſus magis poterit dari?

Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: Senſus eſt: Videte quid cuique debeatis & deferatis: Cui honorem, honorem: cui timorem, timorem, &c. Quantum ad dignatum titulos attinet, nullus glorioſior eſſe poterit, quã hominem dici ſeruum Chriſti. Non hæc de Apoſtolis ſaltem & de eorum diſcipulis, ſed & de Apoſtolorum ſucceſſoribus omnibus ſunt intelligenda. Aulici gloriantur ſe his vel illis muniis prę fectos: nõ ergo dedecori poterit eſſe homini, Dei ſi miniſter dicatur. Apoſtolorum ſucceſſores, hodiè mundi dignatum titulos ſibi vendicant, quod ego non vituperarem adeo, ſi ſe nihilominus etiam Chriſti fidos gererent ſeruos. Nam & Imperator & reges omnes huius ſeculi, Chriſto, modo velint, ſeruire poſſunt. Aegrè, fateor, duobus ſeruitur Dominis. In eccleſiæ exordio qui Chriſtum profitebantur Imperatores & reges, omnem gloriam & pompam mundi auerſabantur: quanto magis qui Chriſtianam humilitatem, crucem nimirum Chriſti, habent docere, ſeſe ab omni huius mundi vanitate & pompa abſtraherent? Quid autẽ? Epiſcopos, huius mundi mancipia dicis eſſe? vndè ſtatim eos cenſes contemptui arceſſendos, immo etiam tanquam antichriſton, odio afficiendos, & explodendos. Hæc cogitans, valdè erras: niſi putes errare eum qui ait, Omnia quæcunque dixerint ſedentes in Moſis cathedra, facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt ſiquidem, & non fa-

ciunt. Ecce tibi, non dicit, deturba, persequere, &c. sed ausculta & obsequere. Manifesta etiam sunt verba Apostoli Heb. 13. vbi ait: Parete iis qui præsunt vobis, & cõcedite: siquidem illi vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: nam id inutile est vobis. In cap. iam citato Apostolus eos, qui ecclesiæ sunt prælati, ter vocat egumenos: non quod copia illi verborum defuerit, sed vt ist hac dictione dignitatem episcopalẽ nobis faciat commendatiorem. Egumenus ducem siue antesignanum significat. Conuenit statui episcopali, cum episcoporum dignitas non solum existat sita in docendo, sed & in regendo. Nam & Græcum ποιμαίνω tam regere significat, quàm pascere. Itidem & παράδοσις non solùm doctrinam, sed & instituta seu traditionem importat. Accedit itaque ad magnificum hunc titulum Egumenos, quod ait, hypacte, hoc est, subditi sitis. quasi dicat. Prælati vobis sunt, vos illis subiecti: tam ergo vestrum est illis obsequi, quam illorum vos regere, atque vobis præcipere, haud secus atque in Creta Titus, &c. Ad Titum sic ait: Hæc præcipe: nemo tuam despiciat iuuentutem, ca. 2. Non ineptè ergo ecclesiæ magnates, epitacteras, hoc est, præsides appellauerimus, quemadmodum etiam eosdem Apostolos vocat Egumenos, hoc est, duces atque Imperatores. Episcopus non minus in veteri testamento nomen est receptissimum: quod vides 2. Esdræ 11. * 1. Mach. † 1. Sanctus Ignatius nihil æquè poscit ardenter, atque obedientiam erga episcopos, diabolus nihil peius odit. Maiestatem episcopalem zabulus vt omnino in nihilum redigat atque è medio tollat, per Ioannem Huss voluit eos ad mendicitatem redigere. Noui Hussitæ item episcopos precariò volunt viuere, atque adeò scabellum prophano magistratui fieri. Quibus moribus episcopos moratos esse oporteat, canones pontificum satis ostendunt: neque hoc Apostolus, ad Titum siquidem & Timotheum scribens, præterit. Chrysostomus, fateor, episcopos vocat principes ecclesiasticos. Immo etiam Psalmista idem facit, vocans eos principes seculi. sed Chrysostomus vult eos religione cæteris præstare, quod etiam prophanis incumbit optimatibus. Et serua-

Episcopi egumeni sunt, i. duces antesignani.

Episcopi vocantur hyperetæ, i. apparitores.

Episcopi epitacteres vocantur, id est, præsides.

tor ait: Qui maior est inter vos, sit omnium vestrum ministeR. Non insolescant quod supra Egumeni vocantur, & quod Apostolus illis Epitagen defert: sed magis meminisse eos decet, quare illud dicantur, & quare hoc illis tribuatur. Summa, ministri sunt mysteriorum Dei. Sic eos, homines existimét. Apostolus hic nõ diaconos eos vocat, sed hyperetas, quod vulgari gloriæ adhuc plurimum detrahit. Act. 5. itidem Ioan. 7. hyperetæ dicuntur apparitores. Sed postquã Apostolus se & collegas suos ita vocat, quid pius Christi seruus se sic vocari ægrè ferat? Tanta est Apostoli submissio, vt se quoque dulon non semel appellet. Dulon vero contemptissimæ conditionis esse, qui nesciat? Adde quod idem Apostolus non veretur Christon quoque ipsum vocare diaconon circuncisionis, Roma. 15. & liturgon, Hebr. 8 quemadmodum etiam Epaphroditus vocatur Phil. 2. & omnes fideles Esa. 61. Vulgus, prophani ordinis dignitates maximi omnium facit: vocare tamen reges & principes huius mundi liturgos audet Apostolus omnes: neque hoc ęsę maiestati adscribi potest, cùm liturgon esse Dei, honorificum planè sit. Satanæ vero esse liturgon, dedecori homini non esse non potest. Ad Apostolicam dignitatẽ reuertamur. Ministri sunt Dei, nec id solum, verum etiam administratores mysteriorum Dei. Domus Dei est ecclesia: in domo ea sunt Dei omnia mysteria, sacramẽta atque arcana. Apostolus ferè semper addit epitheton, diuina mysteria siquidem ecclesiæ sunt sacrosancta sacramenta, etiam ipsis angelis & stupescenda & adoranda. Talia credidit Christus suis Apostolis, dicens: Quotiescunque hæc feceritis, facite in mei commemorationem. Item Accipite spiritum sanctum: & Quorum remiseritis peccata, &c. Apostolus quoque huc respicit suprà cap. 2. dicens: Loquimur sapientiam, quę recondita erat in mysterio. Hęc ecclesiæ sacramenta quis vnquam nouit philosophorum? quis mathematicus ea vnquam in cœli vidit horoscopo? De mysterio isthoc vide plura Roman. 16. Ephe. 6. 2. Tim. 1. quanquam hic, putà ad Timotheum, mysterij nomen non exprimat. Cæterum mysterium quidnam sit, Apostolus item satis dilucide explicat 1. Cor. 15. Summa, Dei indulgentia & potentia in

Christus diacon⁹ et liturg⁹ ab Apostolo vocatur.

Sacerdotes sunt omniũ mysteriorũ Dei œconomi.

ſacramentis continetur eccleſiæ. Credidit talia omnia ſuis diſcipulis, ſacerdotali traduci. Epiſcopi manuum epiſcopalium impoſitione hæc tanta myſteria cæteris quoque impertiuntur ſacerdotibus: eſt enim vna in eccleſi, tradux, vnitatis eccleſiæ conſeruatio & neruus. Nõ hic Dei virtus abeſt, quę pręſentiſsimè in epiſcoporum officio operatur. Eam ipſam Dei virtutem in officio ſacerdotali operantem, Apoſtolus hic vocat œconomiam myſteriorum Dei. Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus vides commiſſam domum omnem Dei. Non hoc ſolum ità docet Apoſtolus, adſtipulatur Apoſtolo etiam ipſe Chriſtus. Sic enim legis Luc. 12. Quis eſt fidelis diſpenſator, quem Dominus domui præfecit ſuæ, vt domeſticis dimenſum ſuo tempore diſpenſet? Nónne ſibi euangelicę & apoſtolicę conſentiunt metaphorę? Petrus quoque eadem vtitur, 1. cap. 4. dicens: Miniſtrate tanquam boni diſpenſatores. Quantum ad vocabulum attinet, obſeruet ſacerdos, œconomum proprie ſignificare rerum domeſticarum ſcientiam habentem. nam eadem compoſitione etiam aſtronomus dicitur, aſtrorum curſus & ſitus habens peritiam. Viderint electores, quos epiſcopos eligant: viderint epiſcopi, quos ſacerdotes ordinét: nam ſi imperitos œconomos deſignauerint: nihil poterunt facere peruerſius. Hæc præmittenda duxi, vt mentem Apoſtolicam, & ſenſum loci pręmiſsi epiſtolæ Pauli minori quiſque aſſequatur negocio. Sic, ait, nos exiſtimet homo. Q d. Alij alios extollunt, alios alij contemnunt, alij aliorum gloriantur nomine: ſed hoc ego ore rotundo atque ſimpliciter de apoſtolatu dixerim. Nos neque minorem, neque maiorem mereri opinionem, niſi vt miniſtri habeamur Dei. Neque dubité Cepham, Iacobum, Apollon, & alios Apoſtolos pręcipuos, & eos columnas eccleſiæ, hoc titulo fore contentos. Cęterum maiores titulos nulli inuideo, modo id non fiat in ſchiſmatôn & ſectarum anſam: quemadmodum veſter zelus iam in hæreſiôn fructus abiit. Huc confer hoc quod ſuprà in ea ad Corinth. epiſtola habetur, cap. 3. Quid Cephas? quid Iacobus? quid Apollos: & cętera vſque, iuxta gratiã quæ data eſt mihi. Hęc & alia hoc genus ſi probè intellexerimus, finem execrabilium ſtatim fecerimus rixarum.

Virtus dei præſentiſsime in ſacerdotali operatur officio.

Sacerdos obſeruet quid œconomus proprie ſignificet.

Faxit Deus, tandem ſapere incipiamus, vel icti & damno accepto.

Hic iam quæritur inter diſpẽſatores, vt fidelis quis inueniatur.

Oeconomiũ fidelẽ & chorus & forũ requirit.

Parabolicum hoc penè eſt. Nihil enim ſanctius item in œconomia aulæ expetitur fidelitate. Ferunt Imperatores & reges præfectos & ſatrapas adulteros, etiam hæreticos: infideles ſibi & perfidos haudquaquam tolerant. Inde fit, vt ſuis miniſtris magnates omnes ſcribant, Noſtro fido: Germanicè Vnſerem liebẽ getreuvven. Quid ergo miri, ſi & rex regum fidos velit ſuos ſibi œconomos? Pulchra ſanè virtus eſt fides ea, quam etiam fidelitatem appellant. Auro & gemmis præſtat. Extat de ea prouerbium fidæ dextræ nulla regio inuia eſt. Getreuhand geht durch alle land. Sed vt pulchra eſt, ità & rariſsima eſt. Prouerb. 15. Multi homines vocantur miſericordes: virum autem fidelem quis inueniet? Item cap. 25. Sicut frigus niuis in die meſsis, ita legatus fidelis &c. Quiſputas eſt ſeruus fidelis, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis menſuram tritici mature atque tempore ſuo? Mat. 25. Seruus fidelis eſt, qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in theſauris pecuniæ. Hic audiet, Qui fidelis fuiſti in minimo, ſuper maxima quęque conſtituére. Item, Sed quis eſt hic? prodeat, & laudabimus eum, Prodeat, inquam, non iactabundus, ſed operoſus: re, & non verbis. Sic habent verba Apoſtoli, vt fidelis quis inueniatur: vtique effectu, & non ſolùm affectu. Quare agè ô clerice, fac proſis: Obes enim, niſi proſis. Præeſſe tuum, vanum eſt, niſi proſis. Iudex eccè ante fores ſtat. Glorificari vult in iis qui ſibi appropinquant, iudicium ſuum à domo ſua incipere conſtituit. Clericus es, ergo diſpenſator es & miniſter Dei. Publica es perſona. Oeconomia non poteſt eſſe clandeſtina. Suam quiſque priuatus facile ſecum continebit religionem, ſed œconomia publica eſt: vndè neminem ſua ſaluabit bona voluntas, niſi etiam acceſſerit opus, modò per facultaté hoc fieri poſsit. Hæc vbi defuerit, illa excuſabitur. Boni diſpenſatores extiterũt Martinus, Nicolaus, Paulinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, & eius albi alij ſanctitatis inſignes, eccleſiæ catholicæ patres. Dicũt hæretici, tales nõ eſſe magnates eccleſiæ noſtri ſeculi. Hoc

in vulgo fortè apparet, neque negari neque dissimulari potest. Sed ecce tibi hęretice: Medice, cura teipsum. Eu ge frater, trabē in oculo tuo considera atque exime: tum demum iuxta modum fidei, argue & corrige errantes. Quid canalicola triobolaris alios reprehendis? Et quarè prętextu castigationis aliorum, tute non modo tuam nequitiā tegis, sed & omnes fere priscas hæreses pestilē tium adeo hominum, in fraudem sanctissimorū quorūcunque excitas diuorū? Quid denique adulteraris scripturam canonicam? quid sensum obliteras communem? quid denique ipsum inuertis euangelion? Nónne vt fœda & omnium criminū plena bestia, pro tot millibus diuorū celebreris sola? O reformatores, digni qui in tenebris infernalibus micent. Vos episcopi qui catholici & orthodoxi esse contenditis, videte ne tantis malis occasio esse permaneatis: conuertimini cito, Deus non irridetur. Succurrat vobis hoc, quod de Mose dicitur Num. 2. *Neeman hu*, bene se gerit in omnibus.

Hæretici peruerse episcopos negligētiæ arguunt.

Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Attendite quid possit spiritus hæresion. Tantum Apostolum suum & patrem poterant Corinthij contemptui habere, præ pseudo suis apostolis, quorum hic huius, ille illius apostoli nomine & opinione superbiuit. Sic meretrix olida, tot malæ scabiei stigmata & cicatrices copore suo referens honestissimæ & decentissimæ matronæ maritum suum prærirepotest. Quod tunc Paulo accidit, idem hodie omnibus sanctis martyribus & confessoribus contingit. Vesanus aliquis apostata omnibus & vniuersis prefertur. Solus sapit qui vulgo placentia prædicat: desipiunt cęteri vnà omnes, tam hic militantes, quàm in cœlo triumphantes. Adeo vulgi nostratis culpa grauior est Corinthiorum crimine, præsertim quod eorum exemplo cautius nō sit factum. Non cessit cadauerinis & insanis sycophantis Apostolus, neque item tanti eorum sannas fecit: quo commonemur, vt & nos contra audentius eamus, tunc maximè nobis placentes, vbi viderimus nos illis minimè placere. Pro minimo mihi est, ait, à vobis lauder nec ne. Vestrum iudicium neque me euehit, neque supprimit. Est cuius omne est iudicium: nostrū est,

Spiritus hæresios vafer.

ante tempus non iudicare. Parum refert itaque si ab humano die iudicer. Humanus dies nihil aliud significat, quàm nostrę opinionis & temeritatis iudicia. Cuius cõtrarium est, de quo subindè agit ecclesia, dies Domini ille magnus. Opponitur aptè dies Domini, diei humano. Similis modus loquendi est apud euangelistam vbi seruator ait: Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. In manu nostra est dies noster, liberi sumus arbitrij. Maleuoli itaque, quæ eorum est peruersitas, hoc suo die * itidentidem nigra in candida, & candida in nigra vertunt. Præ foribus adstat iudex, qui iustum iudicabit iudicium. Nos quotquot apud hæreticos male adeò audimus, hac potissimum causa, quod scripturarum sensum illis non tribuamus, quod sensui communi potius adhęrere, quàm nouis & exoticis eorum opinionibus agitari velimus: nos, inquam, qui propter hanc causam hęreticis sumus inuisi, hoc loco nos consolemur, dicendo cum Paulo: Nobis pro minimo est, si in humano die traducamur. Gloria siquidem nostra inter bonam famam versatur & infamiam. Sedulius hic optimè omnium scribit: eum sacerdos consulat catholicus. Qui huc adducunt locum Hieremiæ cap. 7. errant. Nam propheta saltem loquitur de die desolationis Palæstinæ, Chaldæis diuina iustitia permissa. Neque optabat illum diem, quod illi Iudæi falso impegerunt, sed prædixit, iuxta hoc quod illi spiritus sanctus suggessit. Textus propheticus habet *Iom Anusch*, & non *Iom Adam*, id est, dies hominis. Septuaginta qui mâlunt sequi, viderint, quo hoc faciant spiritu. Denique quod Apostolus ait: Sed neque meipsum iudico, propriæ laudis est excusio. Cautela sacrosancta. nihil enim propria laude turpius. De propria itaq; laude intellige, Neque meipsum iudico: vt sit sensus, Neque Cephæ me, neque Iacobo, neque Apollô præfero. Si ipsum ego me glorifico, ait Dominus, gloria mea nulla est. Obserua quod iudicare, de quo hic agitur, aliud est ab eo, de quo agit cap. 11. Frater seipsum nè iudicet, putà quàm sit pius, quã sapiens, quàm spiritualis. Contrà iustus seipsum prior accuset, suam imperfectionem agnoscens. Alterum fit iuxta præsentem locum, alterum iuxta illum qui est cap. 11. vbi

Humanus dies.

Iust⁹ quomodo seipsum iudicat & nõ iudicat.

11. vbi diacrino est, hoc est, diiudico, discerno. Dicis: si se bonum non iudicauit, ergò reprobauit: Respondeo, hoc non sequi. Neque enim se accusat atque vituperat, sed non effert. Hic propriè laudis regula obseruetur. Tametsi nosipsos non laudemus, non tamen quatenùs Deus aliquid boni in nobis operatur, nos damnare debemus, sed quatenùs aliquid boni, quod gratia Dei plùs præstare potuimus, negleximus, aut minori studio executi sumus. Quòd nisi iuxta hanc regulam modestè nostram iustitiam asseruerimus, fiet, vt omne bonum opus cum hæreticis nouis illis euangelistis, sua defraudemus gloria, nempe iustificationis ratione. Iustus prior est accusator sui, sed non operis boni per Deum facti. Vide qua vehementia Iob suam iustitiam, tanquàm opus Dei gratia factum, defendat. Huc facit hoc Roma. 14. Beatus qui non iudicat seipsum in eo quod probat. Facit ad præmissi illucidationem quod sequitur:

Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Alia antipophora. Diceret aliquis æmulorum: Cùm teipsum nolis iudicare, neque item à nobis iudicari, vidéris in aliquo esse reus. Cui quæstioni tacitè occurrit, dicens: Nullius mihi criminis sum conscius, in omni bona conscientia sum conuersatus, Act. 23. Studeo sine offendiculo conscientiam habere bonam semper erga Deum & erga homines, Act. 24. Item, Gloriatio nostra hæc est testimoniũ conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & synceritate Dei, non sapientia carnali, sed ꝑ gratiam Dei cõuersati fuerimus in mundo, abundantiùs autẽ erga vos, 2. Cor. 1. Hæc omnia verè dixit Apostolus, atqui non ergò sese præ cæteris †noluit efferre, seque præ aliis iustiorem ęstimare, more pharisæorum seipsos probantium atque prædicantium, alios verò spernentium. Atque hoc est quòd hic dicit, Nihil mihi conscius sum: sed neq; in hoc iustificatus sum. Q. d. Studui quidem, pro virili probatũ me & fidum Dei dispensatorem exhibere, atque Apostolicæ functioni respõdere, non tamẽ ausim ipsum me iustificare, tanquam omnia præstiterim, & nihil omiserim, deniq; tanquàm omnia sedulò fecerim. Adde, quòd etiam aliquid in me latens negligentiæ & humanę igno

rantiæ fortè irrepſit: nolim ergò meipſum iuſtificare, nè cùm ad verũ iudicẽ, ſpirituũ ponderatorẽ, ventũ ſit, ipſe me iudicé iniquũ repræhendat. Hęretici qui hic bonorũ operum iuſtificationem refutant, nihil agũt. Apoſtolus enim hic neq; de iuſtificatiõe fidei, neq; de iuſtificatiõe operum loquitur: ſed dicit ſe non ergò iuſtificatum, quia ſe nullius culpæ conſcium nôrit. Paulus requiſitus à latrunculatore Solymis, ipſe ne ille Hebræus exiſtat, qui paucis antè diebus quatuor millia ſeditioſorum hominum ſecum in deſertum ſeduxerit, Act. 21. huius criminis conſcium ſe non nouit. Iterùm *Meleti eum latrocinij inſimulabant, Acto. 28. & huius culpæ purus erat. Denique integer vitę erat: ſed nunquid ea gratia ſeſe ipſum iuſtificaret? Quare Dei ipſe iudicium ſibi vſurparet? Imperfecti hic ſumus, ſemper hic ad maiora tendere habemus. Sanctus ſanctificetur adhuc, iuſtus iuſtificetur adhuc. Nemo ergò ante illum diem, ſeſe aſſecutum eſſe ſcopum putet: ſed quiſque currat, vt appræhendat gratiam pro gratia, ex claritate in claritatẽ, ex fide in fidẽ

Hæretici contra iuſtificationem bonorum operũ friuolè diſputant.

*Meliteſes.

Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Admonitionem hanc adeò ſalutarem, benignitas ſpirituſſancti Corinthiis contra hoc quod meriti fuerant, dedit. Fœdè peccauerunt, tantum Apoſtolum vilipendendo, atque eum blateronibus quibuſdam ceretitis poſthabendo. Sic etiam hodiè vulgus optimè de Eccleſia catholica meritis, ſanctiſsimis quibuſcunque patribus, exititios monachos & philoſophaſtros præfert. Dignum quod in ſuo errore relinquatur, immò in maiores tradatur. Sed benignus Deus ſeſe negare non poteſt, vndè comes excitat doctrinæ orthodoxæ aſſertores. Faxit Deus, ſua iſtæc clementia ſuum quoque effectum ſortiatur. Ad Apoſtolum redeamus. Nolite, ait, ante tempus iudicare. Humanus veſter dies, obſcurus planè eſt. Dies verò Domini inſtans, clarus adeò erit, vt etiam abſcondita cordium non poſsint in eo celari. Hic iudicio eſt deſignatus: humanus ille veſter, officio atque operæ eſt datus. Salomon dicit, Omnia tempus habent. Item, Omni negocio ſuum eſt tempus. Partibus ſu nunc quiſque ſtudeat ſatisfacere, pro ſe quiſ-

Vulgi temeritas in recipiendis nouis doctoribus.

Dies extremus iudicio eſt deſignatus: noſtri dies, operæ.

que Christi ministrum sedulò præstet, quoniam iam dies operæ faciundæ. Propediem aderit & discernendorum omnium operum, etiam verborum, immò & cogitationum tempus. Quid ergò attinet ante diem illum arbitrari? Obserua Apostolum hic interpretari, quid hoc sit, quod suprà dixit de humano die. Parui æstimauit, ab humano iudicari die, quoniam tempus iudicandi nondùm erat. Iterùm obserua diligéter verba Apostoli: qui, ait, illuminabit abscondita tenebrarum. Sensus est: Dominus manifestè veniet, in luce veniet, clara erit dies Domini illa. Rogas qui hoc fiat? Respondeo: Eccè ille praua meditatur, sed quia occasio effectum remoratur, affectum malũ sine effectu alit occultè malus. Hic verò multa bona sibi proponit, sed & voluntas effectum suũ non assequitur, occasione aduersa. Occultæ itaque sunt vtriusque meditationes, dies verò illa Domini illustris, vtriusque prodet consilia. Eccè tibi hæc est illa magna & vera dies, quæ omnia in propatulũ proferet. Cæteri omnes dies caliginosi, quia multa occultant hominũ cùm mala tum bona. Nihil absconditum permanebit illa die, propriè ergò vera dies habenda. O pręclarum diem, cui nihil permanet occultatum, qui nullas habet occultandi latebras. Sunt autem tenebræ & latebræ, consilia varia nequitiarum cordis humani: hypocrisis putà varia, itidé & hæresis bis hypocritica & subdola. Lupi vellere agnelli tecti, nunc censuræ imponunt humanæ: tunc verò iudicio diuino non solùm erunt conspicui, sed & toti mundo erunt manifesti, quo fastu, qua æmulatione & prauitate nouis opinionibus pacem Ecclesiæ conturbauerint. Huius clarissimi diei qui semper meminerit, à peccato sibi sedulò cauebit. Dein etiam districti iudicis nos memores esse, operępreciũ est. Pręcipuè hoc recolendũ, quòd ante eius oculos omnia agimus. Psal. 43. Ipse nouit occulta cordium. Hie. 32. Ante te nihil occultũ. Item, Oculi eius sunt aperti super omnes vias filiorũ hominũ, vt reddat vnicuiq; secundùm facta ipsius. Vndè & Dominus Deus ab apostolis appellatur cardiognosta. Succurrat nobis verbi Christi, dicentis: Nihil occultum quod non manifestetur. Quid verò tunc nos maneat, verba Apostoli sequentia satis superque declarant.

Dies extremus omnium erit clarissimus.

Et tunc laus erit vnicuique à Deo. Non qui seipsum laudat, probandus: sed quem iudex, qui iustè iudicat, commendat, prædicãdus. Sunt in humano die, qui reip. Christianæ optimè velint consultum, abusus funditùs extirpatos, omnia ad viuum vsque resecta, atque adeò controuersiam omnem sopitam: sed risui omnibus habentur. Quid ergò? Nunquid dissimulanda ergò veritas? Haudquaquam. Risus, scommata, & omnia discrimina æquiori animo sunt sustinenda. Hic hypocritæ syncerum catholicum naso suspendant, illic hæretici eundem è sublimi derideant: pius ille vtrinque explodatur. dies Domini præ foribus est, in quo pro veritate sententiam feret iudex, cui nemo aut imponere, aut resistere poterit. Interim catholicus verborum meminerit Salomonis Prou. 27. Laudet te alienus, non os tuum. idem ferè dicit Apostolus 2. Cor. 10. Non qui se commendat, ille probatus est, sed quem Dominus commendat. Beatus qui se ad illum diem ritè componit, laudis humanæ omnis fugitans, solius gloriæ Dei studens. Deus, cuius omnis gloria est, sit benedictus in secula, Amen.

EADEM DOMINICA TERTIA Aduentus.

Matt. 11. *Cvm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittẽs duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, &c.*

PRAEFATIO.

NOstris hisce temporibus hæresis noua, & ea omnium perniciosissima, negans vllam esse preparationem ad gratiam, nisi peccatorem se fateri, etiam corde non contrito. Hominem siquidem ociosè, immò etiam periculosè, cordis contritione affligi, cùm sic gratiæ obex magis ponatur. Speciem Euangelicæ ratiocinationis prætexit hæresis istæc, quasi per eam saltem superstitiosa desperabundaque doctrina pharisaici fermenti queat refelli omnis. Noui huius dogmatis vetus tradux est: Faciamus mala, vt veniant bona. & nulla ferè est hæresis, cum qua hæc nihil commune habeat. Contra execrabilem hæresin eam, potissimùm facit hæc præsens, quam audistis, sacrosancta lectio: quippe quę omnem vallem implendam, collem & montem humiliandum omnem docet, & sic tandem Domino viam faci-

endam. Illic desperatio, hic elatio castigatur: illic pusillanimitas, hic securitas tollitur. Catholicæ virtutis hic medium, contritio & dolor ad dignos fructus pœnitentiæ, Matt. 3. Luc. 3. afflictio secundùm Deum, ad solicitudinem, ad satisfactionem, & ad vindictam denique, 2. Cor. 7. statuitur. Atque hæc est summa totius Christianismi, qui nihil aliud est, quàm voluntaria pœnitentia, ac per hoc præparatio ad gratiam aliam atque aliam. Hæc est plenitudo ea, de qua (vt dicitur Ioan. 1.) accepimus omnes gratiam pro gratia. De hac qui identidem accipit, neque à barathro superstitiosi metus absorbebitur, neque è præsumptionis deturbabitur præcipitio. Cæterùm qui aut hic aut illic immoratur, gratiæ peruius haudquaquàm esse poterit. Sic prædicatio Ioannis ad ipsum pertinet Euangelion, neque vox clamantis spiritu sancti, Pœnitentiam agite, &c. transisse est putanda. Ipsam audiamus.

EPEXEGESIS.

EVangelista hac lectione, in Christo charissimi, duos nobis homines, quorum authoritatem & maiestatem nulla vnquàm hominum neque facundia, neque ratio adsequetur, ob oculos ponit. Alter est Iesus Nazarenus, noster Dominus: alter, Ioannes Zachariæ sacerdotis soboles, quem nos Baptisten vocamus, quòd Christum in Iordane baptizando, auspex quodam modò eius sacramenti esse meruit. Vterque horum nobis semper ob oculos versari debet. Alter enim gratiam & salutem nobis peperit, alter pro suo officio huius negocij minister & dispensator extitit. Illum Matthæus Messiam verum, hũc Heliam typicum describit. Atque hoc, præmissæ lectionis epitome esto. Principio Ioannem in carcere fuisse commemorat, sed causam non addit, reseruans eam vsque in cap. 14. vbi latiori campo eam prosequitur, dicens: Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum propter Herodiadem vxorem fratris sui Philippi. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam &c. Sequitur tandem misso lictore, caput illi abstulit in lacu. Quam Euangelicam historiam vestra charitas proculdubiò nouit. Nôsse etiam debetis, desmoterion siue carcerem hunc, Ioanni dedecori nihil fuisse.

Carceres in quos pij conijciuntur, aulis regum augustiores.

Nam si verum est eulogion Reguli, omnibus ferè poetis & oratoribus celebre, Dulce est & honestum pro patria mori: glorioſius est, pro regno cælorum mortem oppetere. Vndè lacus Ioannis, nulla regum aula commutandus. Vincula Ioannis, omnium fideliũ compedes effecerunt precioſas: fidelium dico, id est, Chriſtianorum, qui propter iuſtitiam patiuntur, Matt. 5. Luc. 6. 1. Pet. 4. Hieremias ante Ioannem carcerem & neruos cohoneſtauit, cùm propter propheticam veritatem in lacum proiectus, inedia & ſordibus miſerè maceraretur, cap. 29. 37. Longè antè vtrunque Ioſeph. Daniel itẽ & multi in veteri teſt. vincula & carceres experti ſunt, vt fidei teſtimonio probarẽtur. Heb. 11. In nouo teſtaméto Petrus & Ioannes Act. 5. Petrus Acto. 12. Paulus & Silas ibidem cap. 16. Tantum abeſt vt apoſtolos vinculorum eorum pudeat, vt magis de illis glorietur, 2. Cor. 11. Et quis captiuitatem fratribus noſtris, qui in Scythia miſeri detinentur, vitio vertit? Fuge conſors eſſe captiuitatis magiſtri piſtorum, Gene. 40. blaſphemi, Leuit. 24. Barabbę, Luc. 22. Horum & illorum carcer tam eſt diſsimilis, quàm Chriſti crux & latronis. Laudem atque gloriam latomię ſiue neruorũ beatorũ proſequitur A. Prudentius, dicens:

Carcer Chriſticolis gradûs corona eſt:
Carcer prouehit ad ſuperna cæli:
Carcer conciliat Deum beatis.

Scortatio, furtum, adulterium, lenocinium, inceſtus, & cætera hoc genus, non ſolùm lege diuina, ſed & ethnicorum ſanctionibus, capitalia habentur. Horum Ioannes cenſor interceſsit cùm gnarus tũ ſtrenuus, ipſe vitæ integer & ſanctus exiſtens. Vitia huiuſmodi ſi quis hodiè ſatis rigidè carpere præſumeret, ſimilem gratiam cũ Herodibus noſtratibus inierit. Verùm dic, rogo, nũquid Ioannes in vinculis animum & ſtudium mutauit? Minimè. Non arundo mobilis, ſed conſtantis doctrinæ magiſter, diſcipulos etiam in carcere erudit, viamque ſalutis oſtendere ſedulò perrexit. Tali exemplo etiam Apoſtolus in carcere Euangelico negocio inſtans, è vinculis epiſtolas ad Philip. Coloſſ. & Timoth. ſcripſit: vt videamus verum eſſe quod dicit, Verbum Domini non eſt ligatum, Fortis veritas. Veritas Domini manet in æternũ.

Vincit cum iudicatur. Quid, quòd etiam ſancti martyres in vinculis ardentiores ſunt facti ad gloriam crucifixi diuulgandam? Sic & Ioannes diſcipulorum ſuorum, quos è carcere eruditiuit, ſatagens, duos eorundem ad Chriſtum, qui tum Iudæam & Galilæam peragrando, vndique regnum cælorum docuit, & omne morborum genus curauit, miſit interrogatum, an ipſe Meſsias ſit néne. Quæſtio ſanè omnium maxima: quippe de qua etiamnum Iudæi ſeſe torquent, vt qui miſerrimi. Andreas cum diceret ad Petrum, Inuénimus Meſsiam, Ioann. 1. non id putandus ioco quaſi de re nauci flocciq; dixiſſe: ſed de negocio æternę vitę, & nulli ethnicorum philoſophorum, nè aſsidua quidem inquiſitione, inuentæ beatitudinis. Hoc eſt quod Iudæi Chriſto circunſtantes, dixerunt: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam, Ioan. 10. Huc & pontifex reſpexit, ad Chriſtum dicens: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, Matth. 26. Lu. 22. Sed quæſtionem eam nunc diligentius exequamur.

Quæſtio legis grauiſsima, quæ.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Erotema ſiue interrogatio iſtæc nihil aliud vult, quam ſi dicerent: Tu ne Meſsias es ille, tot vaticiniis promiſſus, tot viſionibus & geſtis patrum deſignatus, tot ſecula à patribus expectatus? Quæſtio, medius fidius, omnium grauiſsima. Porro hic non accipienda eſt, tanquam ipſe Ioannes aliquid dubitauerit: ſed vt aliis conſuleret, ſuis maximè diſcipulis. Ieſum anteà cum baptizaret, nouit Meſsiam, vel ex voce ſummi patris, Hic eſt filius meus dilect⁹, &c. doctus. Idem & tum didicit per ſpiritum ſanctum, quem in columbina ſpecie Chriſto inſidentem vidit. Vndè & ſancto indice Chriſtum verum omni populo Ieſum Nazarenum monſtrauit, dicens: Eccè agnus Dei qui tollit peccata mundi, Mat. 3. Ioan. 1. Poſt hęc omnia, vt hic vacillaret? Quid? Poſt glorioſam theotocam, & eandē perpetuam virginem, Ieſum Meſsiam eſſe, ipſo Ioanne Baptiſta nemo hominum certius nouerat. Verum quidem eſt, non ſuopte concilio diſcipulos, ſed ſui magiſtri, quę ſtionē eam feciſſe: quod ſic Lucas recenſet: dicunt enim, Ioannes miſit nos, rogatum te, &c. ca. 7. Sed ſic oportuit negociū Chriſti prędonij increbreſcere & celebri⁹ fieri.

Quæſtionis Ioānis ſenſus.

Adde & hoc, quod patrum omnium confitetur concio, & quod supra dixi, Ioannem suorum curam egisse discipulorum. Boni homunciones, quæ humana est fragilitas, exemplo pueri Mosis Num. 11. pro sui præceptoris nomine zelarunt, Ioan. 3. Et qui hoc non facerent, cùm ferè omnis synagoga Ioannem Christo præferret? Mat. 14. Marc. 11. Ioan. 1. Zelum eum suorum discipulorum grauissimus ille vir patiéter tulit, illorum infirmitati inseruiens. Occasione itaque hic nacta, æmulationem eam præsentissimè hic duxi corrigendam. Non intempestiuum legationis tempus fuit, quod vel ex Luca capit. 7. colligere possumus. Puerum centurionis Lucas dicit Dominum sanasse, filiumque viduæ à morte suscitasse, statimque subiungit: Et exiit sermo hic in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Hæc facta Christi intelligit Matthæus hoc loco dicens: Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi. Opportuno hoc tempore misit duos discipulos suos, certo sibi persuadens, quod & contigit, discipulos virtute & sacramento factorum Christi, ad eius cognitionem posse contingere, ipsumque fidei iubar in eorum cordibus accensum iri. Hæc de quæstione Ioannis, nunc Christi responsum audiamus.

Et respondens Iesus, ait illis: Euntes, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. O breuem & locupletem responsionem, Christo dignam. Verborum copia, negociorum omnium est comperendinatio. scitè neque negat, neque adfirmat: sed dicta & facta sua, ipsis legatis commendat æstimanda. Arrogantiæ illi adscribi poterat, si adfirmâsset, iuxta hoc quod ipse dixit: Nemo de se testimonium dare potest. Deindè item, si negasset, fidei catholicæ obicem posuisset, nullo apostolorum labore remouendum. Quis enim adfirmantibus apostolis hoc crederet de Christo, quod ille inficias isset? Neque item respondit, Hoccine est testimonium Ioannis de me? Siccinè testem incertum, atque per hoc vanum, sese Ioannes prodit, qui nunc rogat dubitans, quod olim tanquam certus asseruit? Sed cordium scrutator, videns quo animo Ioannes suos ad se misisset discipulos, horum nihil

dixit, facta & dicta sua illis æstimanda committens. In primis hic Christi mansuetudo consideranda. Nouerat (quod apud Matth. 9. & apud Luc. 5. legitur) quanto sibi Ioannem præferrent hi duo Ioannis discipuli. Poterat ergo suo iure illis succensendo, æmulationis eos insimulare. Sed mitissimus agnellus, diuina sapientia plenus, comiter respondit: Renunciate Ioanni ea quæ audistis & vidistis. Agè responsum diuinę sapientiæ paucis discutiamus. Auditis hic vos discipuli Ioannis, quæ regina Austri vel ex ipso Salomone non audiuit: neque item doctrina mea fatua & inefficax est, quale dogma est pharisæorum. Sed neque Moses, neque Helias, in operum potentia mihi possunt conferri. Vestrum itaque Ioannem, si in signorum potentia mihi æquipollet, agè Messiam eum credite. Sic & facta sua Pharisæis discernenda, obtulit, Ioan. 5. dicens: Opera quę dedit mihi pater vt facerem, ipsa testimonium reddunt de me. Item Ioan. 10. Si opera patris mei non facio, nolite mihi credere. Item Ioan. 14. Credite mihi, quia pater in me est, & ego in patre. Sin, vel operibus meis credite. Item Ioann. 15. Si non feciſſem opera in illis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. Atqui quænam opera suo Rabbi referenda, duobus illis legatis, Christus committit?

Sex opera misericordiæ Christi.

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiũt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Hæc sunt Christi opera, non Ioannni saltem, sed omni creaturæ denuncianda. Sex sunt numero, & possunt sex opera misericordiæ appellari, quibus soter noster omnibus malè habentibus & laborantibus, cuique secundum suam voluntatem, & vota, auxilio venit. Quid visu priuati aliud cupiant atque optent, quam id quod cæcus ille qui Dixit: Domine, vt videam lumen? Quid loripes aliud precetur & affectet, quam fieri rectus? Quid leprosus aliud desideret, quam à mentagræ atque impetiginis purulentia purgari? Quid surdus malit quam audire? Et quarè ægroti adeo ingemiscendo anhelant, nisi quia mortem deprecantur, atque adeo vitales sibi auras reddi cupiunt? Quid sitiant obærati inopes, nisi vt fœnerator, in cuius ære sunt, debitum omne remittat, opesque inexhaustas

illis promittat? Quòd hæc omnia curtis & affectis quibuſcunque præſtiterit Chriſtus, Euangelica hiſtoria luce clarius oſtendit. De capitis lumine, habes exempla Matth. 9. 20. Luc. 18. De claudis, vitio pedum laborantibus, Ioann. 5. & Act. 3. De elephantiacis, Matth. 8. Luc. 17. De ſurdis, Marc. 9. De mortuis rediuiuis, Matth. 9. Luc. 7. Ioann. 11. De pauperibus euangelizatis, Matth. 5. Luc. 6. vbi dicitur, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Item 12. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Sic Iacob. 2. Nónne pauperes elegit Dominus? Non aurum & argentum, quæ Dominus ſemper in hac vita eſt auer atus, intellige pauperibus data. Argentum & aurum non eſt mihi, dicit Petrus Act. 3. Diuitias neque ærugini, neque curculionibus, neque tineis, neque blattis obnoxias, Dominus pauperibus attulit, in regno nimirum cælorum beatitudinem veram, ipſumque regnum cælorum. Eſt autem regnum cælorum pauperum hoc, ipſa felicitas & beata vita, hæreditas bonorum cæleſtium, ſinus Abrahæ, &c. Lu. 12. 16. Rom. 8. 1. Pet. 1. &c. Contra nulla (quod nè ethnicum quidem illum latuit) certior.

Regnum cælorũ eſt pauperum

Rapacis orci fine deſtinata
Aula diuitem manet
Herum.

Pauperum, inquam, eſt regnum cælorum. Monet ergo verbum, vt ſibi eos amicos cõcilient, in æterna tabernacula recipi cupiẽtes, Lu. 16. Nónne mitis, nónne clemẽs & benignus Dominus, & qui pauperũ adeo miſeretur? Quibus diuites canes melitæos & plaudos præferũt, eos ſua gloria dignatur Rex regũ. Rident diuites pauperum eam felicitatem increduli. Vndè propudioſum Germanorũ extat dictum: Cùm in cælũ véneris, agè ne puluerem oculos meos læſurũ, concites. Sed hæc alias. Nunc chariſsimi videamus hæc Chriſti facta, etiam à prophetis prædicta. Audiatur Eſa. 35. Aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorũ patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum? Nónne hoc vaticinium de Chriſti factis illuſtre? Nónne diſcipuli videntes hæc facta Chriſti, effectum huius prophetiæ coram vi-

Germanis prouerbium propudioſum.

Chriſti facta à prophetis prædicta.

derunt? Adeo facta Christi ex hoc prophetico confirmantur, vt nullus Thalmudicus Rabbi contra ausit mutire. Vaticinia petis de euangelizatione pauperum? Esa. 61. Messias prædicitur pauperibus euangelizaturus. *Labasser Anauim*, ait propheta, hoc est, ad euãgelizandum mansuetis. Septuaginta, quos Lucas secutus est, de paupere intelligentes, *Anauim* pro *Aniim*, id est, mãsuetos pro pauperibus legũt. Per nos hic sensus stabit: vtraque enim dictio idem ferè significat. Pauperes, mansuetiores esse nemo ignorat. Ait ergo ethnicus: Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper. Contra, diuitiæ ferociores faciunt, teste Apostolo, 1. Tim. 5. Vult vbi Apostolus, vt diuites modestiæ admoneantur. Insuper etiam comperi, Septuaginta *Anauim* alias etiam pro paupere accepisse, nempe Psalm. 9. 10. 21. 68. Et Rabbi quidam Christianus huius quoque temporis, in Psal. 10. *Anauim* sic interpretatur. Rursus animaduerto, *Ani* pauper, etiam accipi pro mansueto, cuius nuper exemplum habuimus Matt. 21. Vbi euangelista cum vetustioribus Græcis, ex Zacharia, pauper legit. Vndè si *Anauim* & *Aniim* pro eodem accipimus, conuenit huc iam locus prophetæ citatus. Conuenit autem, quoniam & in sequentibus propheta de suppressis & captiuis loquitur. Cæterum & in aliis multis locis Esaias pauperibus Messiæ patrocinia pollicetur. Capite decimoquarto. Pauperes fideliter requiescent. vigesimonono. Pauperes homines in sancto Israel exultabunt. 49. Pauperum suorum miserebitur.

¶ Hæc consolatio pauperum, Græcis dicitur Euangelion. Nuncium huiusmodi ferre, dicitur euangelizare. Quod verbum etiam in veteri test. secundum Septuaginta frequenter legitur, Psal. 67. Esa. quarto, Naum primo. Paulus & Lucas hoc verbo subindè vtuntur. Vndè Ecclesia etiamnum per Euangelion intelligit, nuncium gratissimum hoc pacis inter Deum & hominem per Christon reconciliatæ, commissorum peccatorum remissionem, mortis gehennæ mortificationem, & cæli apertionem, &c. Hæc omnia prædicantur iis, qui in filium Dei crucifixum verè credunt, & baptizantur. Huc cùm omnes spectent conciones Ecclesiasticæ, fit vt & huiusmodi, Euangelium recepto vsu vocentur. *Euãgeliũ pauperũ.*

Cõciones vocantur euãgelion.

Conciones eæ & bonorum cœleſtium nuncia, pauperibus magis recepta ſunt, quippe qui in hoc mũdo minus habeant conſolationis. Vndè & pauperes replet Euangelion bonis diuites relinquens inanes. Et teſte Domino, difficilimum eſt, hominem diuitem in regna cœlorum peruenire. Sed & Chriſti cõſolatoria vox pauorem eum, quem opulenti ſuper hoc verbo conceperunt, exemit. Apud homines, inquit, hoc impoſsibile eſt, ſed non apud Deum, Marc. 10. Iuxta hoc Chriſti, inuenias & diuites regni cœlorum conſortes, Zachæus Luc. 19. Matthæus, Marc. 2. Luc. 3. Mulieres pleræque beatæ, Luc. 8 Tabitha, quę & Dorcas eſt appellata, Act. 9. Lydia purpuraria Act. 16. Pauperum tamen maior eſt grex, qui huius mundi bonorum ſpe orbus erat, Euangelion facilè in ſpem futurorum bonorum recepit, conſiderans eas, quas hic mundus promittit, non eſſe veras diuitias. Diuites multa laqueorũ diabolicorum habent obſtacula, quibus intercepti aut euangelion omninò non recipiunt aut receptũ, ſtatim relinquunt. Dicit ergo Chriſtus euangelizari pauperes, vtpote quibus illa conſolatio bene affectis, ſapit. Vndè vides Luc. 14. locupletes alia curare. Quid multis? Chriſtus ipſe, vt commodius pauperibus euangelizaret, pauper eſſe maluit, quod & ſuprà ex Zacharia audiſtis. Porrò cum Deus æque diuitum ſit Dominus atque pauperum, nec peculioſos è ſuo regno excludat: arbitrio illorum reliquit aut ſibi ſeruire, aut Mãmoni. Apoſtolus ergo & diuitibus euangelizandum monet, ad Timotheum ſcribens: Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi bonum fundamentum in poſterum, vt apprehendant vitam æternam, 1. Tim. 6. Attendite chariſsimi, bonum Apoſtolũ, meritorũ opulentiã prædicanté, vt & eccleſia ſtas malos, huiuſmodi præmia eleuãtes, cauere poſsitis. Bonus Apoſtlus & præco pauperis Chriſti, Euangelion diuitibus denunciat, vt ſtudeant ſibi theſaurizare in poſterum, fœnerari Domino. Ex hac doctrina tot bona Eccleſiæ ſunt relicta. Malos ergo apoſtolos agunt, qui hac

Euãgelio diuitũ etiam, ſed paucorũ.

Cauendi pſeudoprophetæ, & qui.

in re homines segnes faciunt, immo etiam instigant ad auferendum ea, quæ Ecclesiæ sunt à maioribus relicta. Hic qui Antichristi præcursores non vides, bis cæcus est. Vos igitur ô diuites hic conuenio, monens nè gratiam Dei in vacuum receperitis, de nuda & ociosa fide vobis supplaudendo. Neque enim sufficit, si semen terræ credatur, nisi & radicem agat, herbescat, & tandem fructus edat. Verba Christi sunt Matth. 13. ne me vaniloquum putetis. Vaniloquus autem & pseudologus vobis habendus, si vobis placentia, fidemque vmbratilem prædicarem. Et quod in pseudoprophetas Esaias dicit: Populeus, qui te beatum prædicant, ipsi te decipiunt, non immeritò in me torqueretis. Satis huius.

¶ Possunt & facta Christi premissa, mysticè intelligi, & subinde fieri. Pater enim cœlestis vt etiamnum operatur, ità & filius, Ioann. 5. Cæci itaque typice visum recipiunt, illi nimirum, de quibus Esaias ait: Excæca cor populi huius, putà pharisaici, quem & Christus cæcum vocat Matth. 15. & alibi sæpe. Horum vnus, atque is insignis fuit Paulus Act. 9. Nicodemus Ioan. 3. 7. 19. Claudi sunt, acedioси nouissimi illi, quos primos fecit Matt. 20. Marc. 10. Non multum abludit ab hoc Christi miraculo, quod trito dicitur prouerbio: Tardus velocem adsequitur. Filius enim piger ille ad se reuersus, patris iussa diligentius exequēdo, suum erratum studet corrigere, Luc. 15. Sic & Apostolus dicit: Qui ociosus fuit, operetur manibus, vt habeat quod largiatur. Leprosi, hæretici sunt. Lichen enim, teste Beda, varius vt est & multicolor, sic omnis hæresis sui non est similis, sibique non cōstat. Mentagra ea mūdatur, dum hæretici & schismatici se sacerdotibus ostēdunt, & cum Berengario exomologesin, hoc est, palinodiam atque adeo sacrificium oris facere non recusant. Surdi sunt corda obdurata, vt aspis aures suas obturantia, quibus plerunque audiendi aures tribuit, vt dicant cum apostolis: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Dominus quoque de illis dicat, Optimam partem elegerunt, quæ non auferetur ab illis. Mortui exangues resurgunt, & qui in monumētis sunt, audiunt vocem filij Dei, teste Apostolo Ephes. 2. vbi dicit: Nos, quum mortui essemus peccatis, conui-

Opera misericordiæ christi typice accepta.

uificauit in Christo. Et mera siue ociosa fides, mortua est, quæ quum spe mercedis inflammatur, reuiuiscit, bonis instans operibus. De morte istac peccati & ocij qui non assurgit, de numero est eorum de quibus dicitur Matth. 8. Sine mortuos suos sepelire mortuos. Qui verè resipiscentes, in gremium Ecclesiæ satisfactione non indubia reuertuntur, sunt similes filio prodigo, de quo pater dicit: Filius meus mortuus fuit, & reuixit, Lu. 15. Pauperes euangelizantur etiam hodie. Implentur etiamnum pauperes bonis. Non negatur pauperibus hodie thesaurus cœlestis, qui illis olim promittebatur. Euangelizantur etiam hodie, quia pauperum ratio præcipuè habetur. Incubit eleemosynę largitio Episcopo. Corripit Apostolus diuites Corinthios, propterea quod pauperes negligerent. Agape vult vt edant pauperes & saturentur. Euangelizantur etiam sic hodie, quanuis non tanta efficacia, atque in flore surgentis Ecclesię. Tum erant omnia omnibus communia: proprium quidquam possedit nemo. Sed quia verbum Domini adhuc tenet, in æternum manens, deúsque iuxta diuitum Deus est atque pauperum nummosos vel spiritu pauperes esse cupimus, vt & ipsi euangelizentur. Est siquidem & vox euãgelica: Qui possidet, sit tanquam non possideat: date, & dabitur: date, & omnia erunt vobis munda. Pauperes, patientiæ virtute Christũ referre studeant: diuites de iniquo mammone sibi pauperes amicos efficiant, certi, in eorũ persona Christũ se vel benè vel malè afficere. Nemo ergo statim diuites dixerit indignos, nisi illi Christũ, de quo bene mereantur, indignum ducant. Sequentia nunc videamus.

Et beatus est, qui non fuerit scãdalizatus in me. Ex obliquo hic Ioannis discipulos tangit. Q.d. Hæc mea præcepta & facta, fidẽ vobis mei possunt ingenerare, & quasi violenter ad hoc pertrahere, vt Ioanni vestro me præferatis: sed imminet mihi crux acerbissima & turpissima, quã vbi videritis, statim euanescet ea fides. Non enim omniũ est fides ea quæ per crucis scandalon nõ dimouetur loco. Hic humana non potest nõ deficere infirmitas. De scandalo crucis dicit Mat. 13. Qui super petrosa seminatus est, hic est qui verbum Dei audit, & continuo cũ

Scandalon crucis.

gaudio accipit illud, non habet autem in se radicẽ, sed est temporalis. Facta enim tribulatione propter verbũ, continuo scãdalizatur. Mat. 24. multi scãdalizantur. Discipulis dixit Matt. 26. Omnes vos hac nocte scandalum patiemini in me. Luculentius de hoc scandalo iterùm Matth. 13. & Marc. 6. Veniens in patriam suam, docebat eos. Et dixerunt: Vndè huic sapientia hæc & virtutes? Nônne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria? Hanc crucis proprietatem & ingenium vos latére nolo, quia in huius sacramento latet virtus diuina & gloria cœlestis. Beatus magister vester, Baptistes meus, quem spiritus meus contra hoc crucis scandalon armauit: adeo, vt neque incumbentem sibi mortem expauescat. Me verò crux manet omniũ turpissima. Calicé eum discipulis meis pater meus cœlestis propinabit: vnde miraculi loco nulli sit habendum, humanam fragilitatem hic labi. Accedit huc, quod non adeo claris parentibus sum natus. Genitrix fabro lignario pauperculo desponsata, in stabulo enixum me, in præsepe reclinauit, in diuersorio locum non habens, eodem tenore omnis vita mea procedit. Hęc qui saltem considerauerit, periit. Defigendi ergo oculi in facta, quibus pater meus cœlestis me glorificat. Præcepta item mea æstimmanda: ipsa siquidem & me liquido veritatem æternam, consiliatorẽ, magnique consilij angelon, quem Moses & omnes prophetæ prędixerunt, exprimunt atque declarant. Hęc inquam qui non animo fideli perpensiculate perspexerit, fidei suæ remoram sentiet. Sic me Simeon ruinam & resurrectionem multorum prædixit. In hunc modum Christus Ioannis discipulos contra scandalon crucis obfirmauerit, facta sua doctrinámque illis commendans. Nobis quoque commendatissima esse debent facta doctrinámque Christi: erunt autem commendata, si professionem veritatis, factis ipsis exornare studuerimus. Christus doctor veritatis, ipsa vita declarari voluit: nos itidem eius discipulos, virtutibus declarari oportet. De scandalo crucis vide Apostolum 1. Cor. 1. item Galat. 5. Nunc quæ sequantur, videamus.

Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioãne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?

Abundè de Christo vero Messia certiores sumus facti. Nunc & de Ioanne, verbis Christi euangelistes nos erudit. Abeuntibus duobus Ioannis discipulis, in eiusdē prēconium Dominus omnes loquendi habenas relaxauit, nihil, quod ad tanti viri prædicationem facere posset, omittens. Sed quarè in decus hoc Ioānis, abeūtibus eius discipulis, prorupit? Respondeo: Discipuli iam sui magistri zelo laborabant, Ioannem Christum putantes: errorem eum nè perpetuaret, atque (quod aiunt) frigidam suffunderet, præsentibus illis, à Ioannis sese prēconio continuit. Et speciem habet adulationis, si quispiam amicum, sine grauissima causa, coram in cœlum extollat, deūmque faciat. Adde quod & politicum nobis relinquere voluit institutum, morum formator Christus. Vult vt fratres absentes semper de meliori nota commē demus. Bonorum item virorum encomion nè ęmuli supprimamus, hoc suo exemplo commonet. Citra arduam tamen causam, nè etiam prēstantissimos viros coram laudibus prosequamur, cohortatur. Hoc exemplo ipse altitonans Iobum non in faciem, sed apud alios laudibus extulit, cap. 42. Nec Apostolus collegam suum Timotheum in iis epistolis quas ad eum dedit, laude celebrauit. Sed magis ad Philip. 2. dicit: Nemo adest mihi, pari mecum animo præditus, qui vestri causa adeò sit solicitus, atque Timotheus est. Petrus item vtroque (quod aiunt) pollice laudauit Paulum, sed nō in literis ad eum datis. Cautè itaque & hic Christus Ioannem prędicat, doctrinam & baptismum eius ab omni iniuria vindicaturus, quod tandem potissima huius prędicationis causa existit. Gladius Ioannis ceruici iam imminebat: sequens ergo scandalum Christus supprimere studuit. Laudat itaque, vt & vnà vanitatis traducat eos, qui doctrinam eius & baptismum non satis probauerunt. Q. d. Ioanni hactenùs cumulatè & sedulò adhæsistis, adeò vt neglectis rebus familiaribus, in desertum ad eum properaretis, Matth. 3. Luc. 1. Quare autem hoc, nisi vt hominem tantum & videretis, & audiretis? Quod non improbo. Atqui tum, cùm benè audiens, Christus haberetur, quotusquisque vestrum illi toto animo adhęsit? Iam in cæco lac[illegible] in pedore & cœno iacens neque prędicans,

Politicū institutū nobis à Christo datum.

neque

neque baptizans, quo(rogo) loco apud vos est? Arbitramini ne telam ab ipso exorsam, absolutum iri? Nunquid putatis doctrinam suam recantaturum, baptismum que retractaturum? Neutiquàm. Opus enim ab illo inceptum, permanebit in æternum. Ne putetis cannam illum, vento cuiuis cedentem, quem pater meus cælestis gladium acutum & sagittam electam, per Esaiam designauit. Neque statim cum corpore Herodes eius officium & professionem extinguet. De me ille dedit testimonium non temerarium, quasi ἄνεμος ἄνθρωπος, ventique campus: sed magis adamantinus vir, fidele certumque. ¶ Facit hæc commendatio & laus ad perpetuandum confirmandumque Ioannis testimonium, doctrinã & baptismum: sed & ad nos hæc propriè dicta esse, certum est. Monemur hic, ne statim neophyti & discipuli, docendi nobis munus arrogemus. Credidi, inquit Psal- *Non cuiuis docendi munus arripiẽdũ.*
mographus, propterea locutus sum. Monemur, ne quis committat, vt ex sua doctrina antilogiam quis colligere possit. Discipulum esse & discere, nemini potest dedecori esse: sed culpa non vacat, si quid hodiè profitearis, quod cras & perendiè subindè corde corrigas. Malè ergò hodiè cum rebus humanis agitur, cùm vulgus instar Atheniensium, nouarum rerum cupidum, nouos quoscunque ecclesiastas recipiens, baculo innitatur arundineo, exemplo illorum de quibus dicitur 4. Regum octauo. Leuitatem eam, quæ quouis vento doctrinæ mouetur, Apostolus castigat Ephes. 4. Atque vtinam Apostolus à nostratibus hodiè recipiatur. Hac nostra tempestate * hic ab aquilone (vnde omne malum pandetur) procellosus immugit Luterus, Carolstadius vagus, Fistulicen & Monetarius imbriferi fratres: illinc australi flamine Zuingliani tumidi insonantes, aquilonaribus spiritibus depræliantur. Vtrique manibus pedibusque papisticum Cæcian impugnant: vtrisque Cæcias inanis luctatur. Vulgus arundineum in his tantis tantorum flaminum præliis, nunc huc, nunc illuc impulsum, nescio quam miserrimam speciem præ se fert. Impellitur autem, quia & doctrinę & virtutum soliditate vacuum. Fidelis, super fundamenti lapidem Christum, quem ipse pater omnipotens posuit, ædificatus, Marpesia rupe con- *hinc

ſtantior: neque vlla ſeſe procella, neque nimbis, neque imbribus vllis amoueri ſinit. Quid enim homini Chriſtiano magis indignum, quàm vt arundinis feram (de qua Pſal. 67.) ſeſe à fundamento apoſtolorum, prophetarum & martyrum, vbi ſana doctrina tot martyrum ſanguine fœcundata, vbi virtus & veritas ſacramentorum, atque adeò Chriſtus ipſe, patiatur amouere? Huius commotionis ſimile habes 3. Reg. 14.

Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Eccè qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Senſus eſt: O vos Solymorum municipes, quòd ſi Ioanni adhæſiſtis tanquàm archiſynagogo cuipiam purpurato, toto erraſtis cælo. Certum eſt, pleroſque veſtrûm nihil adeò in Ioanne requiſiuiſſe, atque potentiam & gloriam huius ſeculi, quæ etiam iam in me deſideratis. Verùm cùm nihil minùs, quàm ipſe Ioannes, mundi tyrannidem auerſer omnem, corrugatis me frontibus auerſamini. Sed qui Baptiſten meum & me in humili illa & contemptibili ſpecie, vtrique noſtrûm peculiari, fugit, à nobis alienus ignorabitur. Ille veſte è camelinis pilis contexta, & cingulo pelliceo contra frigoris & æſtus iniurias, locuſtis & melle ſylueſtri contra famem eſt vſus: hicce victus & amictus ſi vobis ſordet, aulicum aliquem heroa, Sarrano oſtro, vt fœmina, comptum, quærite. Stultitiæ ſiquidem extremæ eſt, in eremo delicias quærere: cùm nemo ignoret, aliud eſſe deſertum, & aliud palatium. Quodque horum ſuos habet ritus & ingenium. Ioannes itaque præſenti animo victum & amictum anachoreſi cógrua, elegit. Veſtis acu picta, quiſquiliata, cunatilis ſiue vndulata, hyacinthina pelle ſubducta, lecti eburnei, & hoc genus mollitiei, in ædibus regum quæritur. Huiuſmodi delicias Ioannes ſibi proculdubiò comparaſſet, ſi in aula Herodiana potiùs, quàm in ſpeleis ferarum, verſari maluiſſet. Audite hæc fratres. Verùm delicatæ veſtes, delicati animi teſtes. Ioannes ergò, cuius partes erant aſpera & inuia in vias planas redigere, auſteram vitam aulicis prætulit deliciis. Sub purpura Damaſcena, & ſerico villoſo, ſelectiſsimis, exquiſitiſsimiſque pellibus pellitis, non latitant, qui euangelion Chriſti tali

denunciant grauitate. Audite hæc fratres, vt diſnoſcendorum pſeudoprophetarum argumentum aliquod certum habeatis. Credite fratres: citiùs verum Chriſti præconem ſub pulla cuculla, vtut eius veſtis geſtator hodiè malè audiat, inuenias, quàm euangelicaſtrorum eorum, qui in multitiis & mutatoriis hodiè principibus & regibus à concionibus intercedunt. Sancti patres mundi contemptum docentes, ei profeſsioni aptás quæſierunt veſtes. Hæreticos item ſuis conuenientem inſtitutis ornatum ſemper ſelegiſſe videmus. Vanum euangelion, vanus ornatus: prophanum dogma, veſtis * melitæa ſiue galbana ſequitur. Qui carni indulget, docet quæ carni ſiue veteri Adamo non adeò ſunt ingrata. Eſaiæ trigeſimo. 1. Theſſalonicenſes ſecundo. Tales erant Baalim ſacrifices, de Iezabelis menſa comedentes, 3. Regum decimooctauo. Tales erant pſeudoapoſtoli, ventri ſuo tanquàm Deo ſeruientes, Romanorum decimoſexto. Philippenſes, tertio. Tales & Arrianos deſcribit Nazianzenus, ſuam eregione frugalitatem in victu & veſtitu pia confeſsione recenſens, Oratione vigeſimaquarta. Iouinianiſtæ, Vigilantiſtæ, vt falſæ ſeueritatis doctores extitêre: ita etiam egregiè genio indulgendo, cutem tam in amictu quàm in victu curauerunt. Molliter vixerunt, mollia & mundo placentia docuerunt. Huiuſmodi doctorum hac noſtra tempeſtate fœturam videmus lætiſsimam: eò nanque res eccleſiæ deuenerunt, vt ara tanquàm hara contempta, in aula degere malint Eccleſiaſtæ: & parùm abeſt, quin omnis vitæ auſterioris diſciplina, ipſáque ſacra monaſtice, tanquàm phariſaiſmus damnabilis vitetur. O tempora, ô mores. Crucis Chriſti prædicatores, crucis ſymbola damnant. In charmaſino & byſſo cilicium Ioannis & Heliæ, aliorúmque ſanctorum omnium meloten prædicant. Diuitiarum & gloriæ mundi ſpirantes, Chriſti paupertatem crepant. Ceruiſia & vino fœtentes, locuſtas Baptiſtæ, canunt: ídque ij, qui eccleſiæ reformationem ſibi vendicant. Non talibus eccleſia orta patribus. Primi eccleſiæ fundatores, non Curios ſimulando Bacchanalia vixêre.

Argumẽtum diſnoſcendorum pſeudoprophetarum.

Sed ad institutum. Exuuium camelinum erat quod Ioannes dixit: Genimen viperarum, quis vos docebit fugere instantem Dei iram? Mat. 3. Et quod Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Contrà lana agnella, caudáque vulpina est, quum euangelij loco dicitur: Nullum peccatum credentem damnare. Ede, bibe, lude: & credens, saluaberis. Ornatui studere & amictum negligere, eiusdem meriti esse. Matrimonij, etiam polygamię (quę verum est lenonium) vsum, virginitatem & cælibatum, paria esse apud Deum. Super os facta hominum non curare, modò credant. Hæc & sexcenta hoc genus Iouinianæ scholæ dogmata, quo leuiora sunt, hoc magis leui plebeculæ probantur. Consultissimum ergò fuerit homini, præsens encomion Baptistæ cordi suo immittere, ídque ex ore Christi. Nam quo hi grauissimi & solidæ petræ plùs apud homines ponderis habent, hoc minùs nocebunt leuissimorum hęreticorum sibili. Præcipuum Iouinianistarum studium est, sese huic conformare sęculo. Præcipuum contrà Ioannis & Christi studium est, mortalium animos ab huius mundi abstrahere illecebris, cùm spiritum huius mundi non acceperimus, 1. Cor. 2. Vndè & nobis præscriptum est, ne hunc mundum amemus, neque ea quæ in mundo sunt, 1. Ioan. 2. Quia totus mundus in maligno positus est, qui & transit cum omnibus suis concupiscentiis, 1. Cor. 7. Esa. 40. Id ergò præstemus, vt cum ecclesia cantare possimus: Regnum, mundi & omnem ornatum sęculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. Atque hic æterna sapientia cumprimis admiranda, quod statuit euangelion gemina via prædicandum, ità vt Ioanni Christus succederet: Ille austerus esset, hic lenis, ad vnum tamen scopum tendentes. Ille, vt minabunda austeritate à mundi amore abstraheret: hic, vt blandiuscula benignitate ad cælestium amorem alliceret. Porrò quæ carnis est malitia, neque ille sua grauitate, neque hic lenitate sua profecerunt. Hoc Christus in præsenti loco Iudæis obiicit, dicens: Cui similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis, dicunt: Cecinimus vobis,

Gemina ratio prædicandi euangelij.

& non ſaltaſtis : lamentauimus vobis, & non luxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens: & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Senſus eſt: Inſtar aſpidis mortalium nequitia ſua corda obdurat, cùm ad minas, tum ad conſolationem Dei: atque adeò toto mundo in maligno poſito, paruulus grex verbum Dei iuſtificat, id eſt, verè recipiunt. Canes immundi & porci lutoſi complurimi, ſanctum & margaritas conculcant. Audiant ergò filij Dei Lucam, hunc locum auguſtiùs aliquanto proſequentem: Eccè, inquit, qui in veſte precioſa ſunt & in deliciis. Matthæus mollium ſaltem veſtium meminit, Lucas delicias addit. Vtrunque noui ventres noſtri rident, coram Deo bis rei. Nam quòd ſe tanquàm illuminatos efferunt, & nihilominus in vanitatum mundi tenebris hærent, ſuo ipſorum iudicio duplici pœna ſunt digni. Viderint, an iactabunda ſua fide, inani & nuda, cum nepote illo purpurato ſententiam Dei poſsint eludere: Qui multùm habuit in deliciis, dabitur ei plurimùm in tormentis.

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Eccè ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Capite 14. videmus Ioannem maxima authoritate, prophetica nimirùm, polluiſſe: quem vel infantem, Zacharias prophetam altiſsimi prædicauit, Luc. 1. Habuerunt ethnici ſuos magos & philoſophos, quibus ſacerdotia & regna detulerunt. Sed authoritas prophetica dignitatem philoſophicam longè ſuperauit: quippe qui non humana ſapientia, ſed diuina præpollebant. Nomen hoc prophetæ, in veteri inſtrumento ter maximum & celeberrimum fuit, ídque tum, cùm ſynagoga prophetarum copia adhuc abundabat. Abundauit autem ab ætate Abrahæ vſque ad Machabæorum tempus. Quòd tunc prophetiæ donum ceſſauit, certo id Dei iudicio contigit: vt ille prophetarum defectus, apertiſsimum eſſet argumentum, Meſsiam, quem omnes prophetę annunciarunt, præ foribus eſſe, regnúmque inſtare cælorũ.

Prophetæ nomen ter maximũ ſub Chriſti Aduẽ tũ in ſyna goga defecit.

Vndè quo rarior auis propheta tunc fuit in terra Iudæa, hoc gratior & acceptior fuit Ioannes Baptiſta, & nomen prophetæ hoc magis colebatur in illo. Nunc infelices apellæ, qui ab illa ætate nullum prophetam viderunt, apud extremos Garamantes vatem requirere non grauarentur: adeò ęrumnarum ſuarum ſunt pertęſi. Religio noſtra donum hoc prophetiæ, Iudæis ademptum, ſortita eſt, quod luce clariùs videmus 1. Corin. 14. Acto. 11. Agabus Paulo ſua prædixit vincula. Ibidem 21. vides in Cæſarea prophetiſſàs fuiſſe filias Philippi. Et vt ad extrema hæc noſtra tempora veniam, tempeſtas ea noſtra in quam incidimus, arguit, Brigittam, Hildegardem, & hoc genus fœminini ſexus plures, prophetiæ dono prędităs extitiſſe. Sequitur ergò, finem omnium prophetarum Chriſtum, in eccleſia eſſe. Vndè & Apoſtolus eccleſiæ prophetiæ gratiam nunquàm defore dicit, Eph. 4. Ioannes verò propheta dictus, non ſolùm quòd tantæ grauitatis hominem Iudæa multis ſeculis nullum vidiſſet: ſed potiſsimùm, quia in illo ſpiritum Heliæ prę ſentiſsimum animaduertebant, Luc. 1. Item quod vaticinaretur Chriſtum eſſe præſentem, Matt. 3. Ioan. 1. Adde quòd & baptizando Chriſto viam præparabat, & reſolutione omnium myſteriorum Dei, reliquis prophetis clarior eſſet. Titulum eius, quo propheta dictus, Sapientia diuina hic adauget, plùs quàm prophetam eum dicens. Propheta ſuis partibus ſatis reſpondet, futura denunciando. Hactenùs Ioannes muniis prophetalibus non fungebatur: ſed & eum quem prædicabat, quem vaticinabatur, coràm indice ſacro demonſtrauit. Inſuper & omnes alios retrò prophetas excelluit, quòd Meſſiam ab illis prædictum, ipſe baptizare mereretur. Baptizare Meſsiam, maximæ dignitatis fuit, vndè & Baptiſtæ nomen illi eſt inditum. Porrò ipſe Dominus hoc loco aliam quoque rationem adfert exaucti tituli, dicens: Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Eccè ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Attendenda αὔξησις, id eſt, incrementum orationis. Primò vocat prophetam, dein plùs quàm prophetam, poſteà angelon, poſtremò maiorem omnium eorum, qui ex mulieribus naſcantur. At quæ, quantáve hæc encomia? Nihil

Ioannes dictus propheta.

Ioannes reliquis prophetis maior.

hic tam exile & modicum inuenias, quod non ſummum abſolutæ laudis præconium contineat. De prophetę nominis eminentia, pro modulo noſtro diximus: nunc quid ſibi angelus velit, videamus. Proximam & ſecundam à Deo, hoc ſibi nomen admirationem vendicat. Sed hic non intellige Ioannem, Zachariæ & Elizabeth pignus tantum, ea ratione angelon dici, qua Michael, Gabriel, Raphael, & aliæ cæleſtes mentes vocantur angeli natura ſeu conditione, ſed ſimilitudine officij & conuerſatione. Sic & Malachias Ioannem angelon vocans, ad officium & vitam reſpicit, cap. 3. dicens: Eccè ego mittam angelon meum, & præparabit viam ante faciem meam. Vndè & alius euangeliſta (nè quis Ioannẽ aut ſpiritum aut phantaſma ſuſpicetur) ait: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic obſeruatu dignum, quod Malachias (cuius verbis Chriſtus Ioannem hic angelon vocat) etiam alios homines hoc nomine dignatur, ſacerdotes nimirum, capit. 2. dicens: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt. Angeli dictio, Germanicè ſonat einen botten, von einem herrn zu ſeinen geſcheffren auſzgeſchickt, quemadmodum etiam habetur Eſa. 35. Poteris ergo hic, ſi velis, legere: Eccè ego mitto legatum, nuncium, ſiue famulum, mandatarium meum ante te. Et ex hoc loco collige, prophetarũ quoſdam etiam de Ioanne vaticinatos. Nobile ſanè & venerabile nomen, angelus: ex quo & euangelion deriuatur, vt angelus ſit perſona nuncians, euangelion res denunciata, ipſúmve nuncium, eu ſyllaba recepta. Simili compoſitione etiam dixeris, euangelus pro eudæmone, cacoangelus pro cacodæmone. Cacoangelus, cacangelij nuncius, id eſt, antichriſti præcurſor, quales ſunt omnes qui ſectas in eccleſia concitant: exotica, contra communem ſenſum, dogmata proferentes. Et Chriſtus ipſe in ſecula benedictus, hoc loco apud Malachiam vocatur *Maleach Ha Berith*, hoc eſt, angelus teſtamenti, quod ex ſinu paterno in hunc mundum miſſus ſit, nouum & æternum teſtamentum paciſci: quod & ipſe fatetur Ioan. 6. 8. Et apud Eſaiam ſecundũ Septuaginta vocatur angelus magni conſilij. Et ab hoc angelo myſteria

Angelus dicitur Chriſtus.

Angelus Christus dicitur, à quo Missa dicta.

tremenda, que Græci Liturgian vocant, Missa dicitur. Sed nè mireris Christum dici nuncium siue angelon, attende quod & propheta dicitur Mat. 21. Luc. 7. 24. Ioan. 6. Et quod plus est, fidelis seruus, sub typo Dauid in Esaia & Ezechiele non semel vocatur. Apostolus ergo Rom. 15. audet eum vocare ministrum siue diaconum circuncisionis. Sed hæc omnia secundum humanitatem intellige. Cæterum alia nomina, Deus, pater futuri seculi, verbum, sapientia, consiliarius, & hoc genus cæterum, deitati ineffabili non satisfaciunt. Hæc ad hunc locum. Quid degrumatio & munitio sit viæ, in sequenti Dominica indicabitur. Dominus Iesus qui ille erat, qui mitti debuit, virtutem suæ missionis in nobis declarare dignetur, ad suam solius gloriam. Qui cum patre & spiritusancto vnus Deus viuit & regnat per omnia seculorum secula.

DOMINICA TERTIA ADVENtus, Matth. 11.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera, &c.

¶ SECTIO Literalis.

1 *Ioannes in carcere, argumento est, verum esse quod ait sapiens: Stultus & iustus æquè moriũtur. Et quod ait Poeta: Vocata & non vocata venit.*

2 *Mittit ad Christum discipulos, consolationem ibi contra mortem quærendam insinuans.*

3 *Christi responsio præ se fert, Christum esse authorem vitæ.*

¶ DECLARATIO.

1 *Cum audisset Ioannes in carcere opera Christi, &c. Mors non tardat, Ecc. 14. Paucitas dierum hominis finietur breui, Iob 10. Rapitur pius maturè, nè mundi illecebræ immutent eius mentem. Exemplum Enoch, &c. item sanctus Rupertus, qui dines meritorum, viginti annos natus occidit. sancta etiam Elizabetha circiter eandem vitæ suæ ætatem in Christo obdormiuit. Non hominis vita apud Deum æstimatur ab annis, sed ab operibus bonis.*

2 *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Ioann. 1. In ipso vita erat, &c. Vide Ioan. 11. vbi de Lazari excitatione agitur. In verbo Domini, cõsolatio. Consolamini vos in verbis istis, ait Apostolus. Iterum dicitur: Omnis scriptura per spiritum sanctum est edita ad consolationem, &c.*

3 *Ite, & renunciate Ioanni quæ auditis & videtis. Christi responsum, hoc ipsum egregiè explanat. Beati itaque pronunciantur ij, qui in Domino moriũtur. Gloriæ beatorum declaratio est, quod Christus abeuntibus Ioannis discipulis, Ioannem prædicare incipit. Beatificandi, qui sustinuerunt, Iac. 5. Erunt tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Gratiam & gloriam dat Dominus. Vides Christum, qui verbum est incarnatum, vitæ & omnis boni authorem.*

SECTIO Mystica & Moralis.

1 *Ioannes in carcere, significat Christum ad omnes venire in tertio aduentu.*

2 *Christus ritè vocatus, adest consolator. Nemo ergo desperet. sed certitudinem non dat Ecclesia, cum latrone in peccato perseuerantibus, Christum ad futurum.*

3 *Perseuerantibus in bono, certo aderit.*

¶EXPOSITIO.

2 *Carcer, Mortis habet symbolon. Ioannes in carcere, significat hominem animam agentem. Christus omnium huiusmodi iudex. Qualem inuenit, talem iudicat. Capilli capitis vestri sunt numerati. Mors & vita in manu Dei. Omne iudicium dedit Pater Filio. Non ergo putandum, infirmitatem vllam sinè Dei iudicio temere cuiquam contingere.*

2 *Nulli neganda Dei gratia peccatori. sed stultus, qui dicit, Cras viuam. Poeta ait:*

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam.

Vide Iacob. epist. Augusti. Aut ignoscitur, aut non ignoscitur: (loquitur de sera, animam agentium, pœnitentia) quid futurum sit, nescio. Tene ergo certum & dimitte incertum. Certius certo est, hominem à peccatis se ad Deum conuertentem, gratiam accipere. Gratia pœnitentibus promittitur. Contemptores, & in gratiam peccantes, viderint. August. in ser. de Innocentibus: Hac animad uersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui, dum viueret, oblitus est Dei. Oratio fidei & sacramenta Ecclesiæ animam agentibus non neganda, Iacob. 5.

3 *Qui perseuerauerit in finem, saluus erit. Semen bonum, in patientia multum fructum proferet. Commendatio vitæ Ioannis, argumento est, Opera bona sua semper manere præmia, Etiam ea à morte liberare. Nam & Tabitha eleemosynaria à morte est excitata. Si quis plura cupiat exempla morum, videat exemplo Christi neminem coram esse laudandum. Hæretici & quicunque adu-*

latores, magis laudant suæ sectæ cõplices quoscunque viuẽtes, quam mortuos beatos catholicos canonizatos.

¶ Alia SECTIO Moralis & Mystica.

1 *Ioannes doctor eximius, mittit ad Christum: quo monemur, nè quis suæ fidat opinioni, sed verbum Domini sequendum. Distin. 9 Noli, Negare, Ego solis, Vt veterũ, Si ad, Quis nesciat, &c. Non debetur par reuerentia canonicis scripturis, & expositionibus earum, Ibid. ca. Neque quorunlibet.*

2 *Christus commendauit veritatem suæ missionis re ipsa quo monemur, scriptura nihil esse certius. Est res verbum Dei efficax, non verbum euanidum.*

3 *Christus commendauit Ioannem. Habent ergo proximè & secundum scripturam, suam authoritatem canonizati authores, catholicæ veritatis interpretes. Periculosum est nimis, scripturam exratione sine authoritate exponere.*

DOMINICA QVARTA ADVENTVS, Philipp. 4.

GAudete in Domino semper. Iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, &c.

PRAEFATIO.

EPistolam ad Philippenses eam, vndè præsens lectio deprompta est, Apostolus in carcere scripsit. Verbum Domini non est ligatum. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Philippi dicti sunt à Philippo rege, quem admodum & Alexandria ciuitas Aegypti ab Alexandro, Roma à Romulo, Tiberias à Tiberio. Ioann. 6. Philippi autem, ciuitas est Græciæ, nempe eius partis quæ dicitur Macedonia, cuius fit mentio Rom. 15. Fundamentum spiritualis ædificationis Apostolus in ea vrbe posuit Christum Iesum, 1. Corinth. 3. Verum cum fides non est omnium, 2. Thessalo. 3. non omnes obedierunt euangelio. Obdurati itaque hi, qui Christum recipere noluerunt, Christi Apostolo infensi admodum extiterunt, variis ipsum cum suis collẽgis, iniuriis molestantes, etiam in carcerem coniicientes, Act. 16. Hoc enim sic comparatum est, vt ij qui sese Christo dedunt, huic mundo sint graues, Matth. 10. Ioan. 16. 2. Cor. 6. 11. 2. Timo. 3. Sed Deus nouit suos. Receperũt itaque verbum ij, quibus hoc dabatur, Luc. 8. Ioan. 6. Acto. 13. Electi hi, Dei Apostolum, quod pati fuit, summo honore nusquam non proseque-

bantur, etiam abſentem, item Romæ in carcere detentum: quod ſic Apoſtolus ipſe de Philippenſibus gloriando recenſet Philip. 4. Vides eos qui euangelion denunciant, de euangelio viuere poſſe, Rom. 15. Gala. 6. Atque hæc de Philippenſibus, & de epiſtola ad ipſos data, in genere. Quantum ad hũc locum attinet, Apoſtolus nos primo ſpiritualis admonet lętitię, hoc eſt, monet atque docet, quomodo nos erga Deum geramus: vt certa fiducia bonitatis eius, ipſum ſemper in omnibus laudemus. Secundus articulus eſt, quomodo erga proximos nos habeamus in modeſtia, quæ optima virtus eſt omnium. Dein monet nè ſimus ſoliciti, qui Dominum ſemper prę ſto habeamus. Tandem ad orationis inſtantiam nos inuitat, atque eius orationis exemplum nobis ſeipſum præbet, Philippenſibus ſeſe interceſſorem offerens. Atque hæc eſt lectionis præſentis ſumma. ipſam nunc videamus.

Gaudete in Domino ſemper. Nihil hic liuoris, nihil auditur impatientię. In carcere ſic poteſt benignus eſſe & comis, qui guſtauit de bonitate ſpiritus Dei. Noui Apoſtoli noſtrates Luteranæ ſectæ, quid in carcere facerent, qui etiam liberi impatientes omnia conuiciis irrequietant? Gaudete, noſter ait Apoſtolus, ô Philippẽſes, cum in varias tentationes incideritis. Sic oportet nos probari. Qui non eſt tentatus, quid ſciat? Virtus in infirmitate perficitur. Nemo coronabitur niſi legitimè certauerit. Exultate ergo tanquam gigantes ad currendum viam Domini. Eſt & bona triſtitia, compellens ad ſatisfactionem, 2. Cor. 7. Et luctus à Domino beatitudini tribuitur. Sed in cruce Domini noſtri nos oportet gloriari. Gaudẽtes ergo ſalutarem calicem accipite. Videte ità nè de vinculis meis conturbemini, quæ mihi gloriæ ſunt ſummæ. Maxima omnium tentatio eſt, pſeudoapoſtolorum præſumptio, qua noua dogmata audent vobis ſua obtrudere. ſed & hoc expedit. Oportet vt ſint hæreſes, vt probentur electi. Nemo coronabitur, niſi legitimè certauerit. Breuiter, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Subeat vobis exẽplum beatorum Apoſtolorum & proto martyris Stephani atque aliorũ martyrum, Act. 5. 8. 12. &c. Subeat & vobis exẽplum paſſio-

Gaudij occaſio ma dique filiis delibus prouenit.

nis meæ, in qua mihi ſumma eſt voluptas. Item quod & confines veſtri Theſſalonicenſes ſubinde in cruce ſeriò triumphant. 1. Theſſal. 1. Quòd ſi vos moleſtet ſpiritus malignus, ſpiritus Dei fortior in vobis facite appareat. Si mundus vos odit, quin amore Dei vos ſolamini? Veſtra conuerſatio ſit in cœlo, vbi conciues eſtis: & mundus vobis non incommodabit. Conciues angelorum quid (rogo) poſsit perturbare? Vndique gaudij anſa vobis offertur. Principio integros magnum manet in cœlo gaudium ſi propter veritatem perſecutionem patiantur, Matth. 5. Dein etiam gaudete qui Chriſto nomen dediſtis, quod veſtra nomina ſcripta ſunt in cœlo, etiam ſi extra periculum eſtis, Luc. 10. Denique ſi è peccatorum barathro aliqui veſtrum ſunt reuocati, & ij gaudeant, lętentur & exultent, quoniam & gaudio ipſi ſunt angelis cœli, Luc. 15. Spiritus Dei ſpiritus eſt conſolationis, paracletus, quem ſi accepiſtis, ſpirituale vobis gaudium non deerit, ſed etiam in fletu conſolabimini. De hoc eccleſiæ gaudio dicit Eſa. 61. Gaudens gaudebo in Domino. Idé ferè dicitur. Abac. 3. Pſalm. 31. Eccleſiaſtici niſi hoc certum ſibi haberent & ratum gaudium, miſerabiliores eſſent omnibus huius mundi indigenis.

Iterum dico gaudete. Habet repetitio certũ myſteriũ, quale & habet geminatio vocabuli pacis, apud euãgeliſtas & prophetas. Sed citra myſterium de excellentia ſpiritualis gaudij hunc locum accipiamus: neque enim ſic pręſens lectio erit elumbis, ſiculnea & gregaria. Præcipuè hic obſeruandum quod ſuprà dixit, Gaudete in Domino. Vbi, quæſo, vera ſunt gaudia? Dicis, in mundi diuitiis & gloria? Dicis, in corporis ſalubritate, venuſtate & robore? In potentia? in ſtēmatôn antiquitate? At ethnicorum errati conuinceris ratiocinationibus. Benè dicit noſter Apoſtolus, in Domino. Dicit ille: Anima mea, habes parta cibi in multos annos ſuffectura: ſed ſtatim audit, Stulte, cui hæc congregâſti? Tale nihil de gaudio quod in Domino eſt, dici poteſt. Facies gaudij ſpiritualis, appáret huic mundo triſtis & inamœna. neque enim magno apparatu & pompa intonat Eſa. 42. Matth. 12. Chriſtus perſona ipſiſsima crucis, ſpiritu exultabat Luc. 10. Item Maria virgo Luc. 1. Dauid Pſalm. 9. Dauid, in-

Gaudiũ ſi delitũ vbi ſit ſitum.

quam, etiam gaudens visus huic mundo mœstus, Psal. 42. Saltâsse legimus tantum prophetam, sed ante Arcam vtique Domino, 2. Reg. 6. Mundo gaudente, luget ecclesia, Ioann. 16. Nos ait Apostolus, tristes, sed eccè gaudemus, 2. Cor. 6. In ecclesia, quæ domus nostra est, nostrum gaudium habet locum, solennitates nos recreant ecclesię: in theatro, in aula, in arena, in spectaculis nihil nisi mors ipsa nos deprimit. Melius enim est fideli, ire in domum luctus, quam in domum conuitiis. O mirũ gaudium, in carcere gaudere cæco. Gaudiorum horum spiritualium mundus capax non est. De huiusmudi exultatione etiam agit, 2. Cor. 13.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Fidelis vt se in rebus spiritualibus erga Deum gerat, in superioribus dictum est: nunc vt cum proximo viuat, Apostolus docet. Modestiam, optimam virtutem ostendit esse, Nè quid nimis. Summa iustitia, summa iniuria. Et alius ethnicus ait: *Modestia præcipua ecclesiæ virtus.*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos vltra citráque nequit consistere rectum. Non hoc intellige, quasi homo sanctimoniæ & pietati nimium indulgere possit, sed plus æquo iustus esse poterit quis: nempe tunc cum seuerus & strenuus est, rigorem iuris sequẽs. Cæterum etiam superstitio sanctimoniam vitiat. Abraham immodestus aut crudelis non fuit, filium suum immolare animo prę sumens: quia verbi Dei sequebatur præscriptum. Iephta vero superstitiose fuit iustus, in reddendo voto temerario atque incauto, Iudic. 11. Saul quoque vbi austerus esse debuit, leuem nimium sese exhibuit: regi nimirum Agag, cui soli contra verbum Dei pepercit, reliquo vulgi interempto. Barbariei quoque detestabilis facinus meditabatur crudele, filium Ionathan capite plectere volens, quod in scius etiam in tantilla re, prę ceptum suum sit præuaricatus, nempe in degustatione mellis syluestris, 1. Reg. 14. Sancte moderabatur ius Christus, Ioann. 18. adultere etiam contra legem parcens. Respexit circunstantias, semel lapsam æstimauit, iudices adulteros bis animaduertit. vnde cum misera mitius egit. Neque tamencrimé approbauit. Dixit enim Noli amplius peccare. Venerat non perdere quod pe-

rierat, sed seruare, saluator, non latrunculator. Neque tamen venerat vocare peccatores ad pertinaciam, sed ad pœnitentiam. Hoc quod in suis Episcopis cumprimis requirit ipse egregiè expressit. Oportet Episcopum esse Epion, hoc est, affabilem. Item anexicacon, hoc est, tolerantem malos, 2. Timoth. 2. Talem Christus se suo tempore præstitit. veniet aliud tempus, quando, non anexicacos, sed alexicacos, hoc est, in malos animaduertens, omnibus videbitur. Modestia Græcis dicitur Epiices, sacrosanctam vocabulum. Iurisconsulti vocant emendationem iuris scripti, qua rigor dissoluitur iuris. Epiices siue epiicia, potest etiam reddi æquum bonumque quando ebus prospicitur humanis, nè mali aliqua occasio constituatur. Contrarium eius est vitium acribodicæon, hoc est, strictum ius. Contra immanitatem & barbariem eam omnes ferè clamitant prophetæ, maximè Esaias, Hieremias, atque Ezechiel. Iniquas leges traditiones eas vocant. Christus quoque Matth, 23. acerrimè omnium traditionarios tales insectatur, dicens: † Colligunt onera grauia difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum, cęterum ne digitulo quidem ea mouent. O vtinam hodiernus ecclesię status, vel Mosen Epiicen habeat, traditionum humanarum moderatorem. Canones non reiicit atque condemnat, qui eos pro tempore, loco atque persona variat: nam & ipsi hoc volunt canones. Vndè etiam in ipsos canones crassissime peccat, qui vbi res id postulauerit, non remittit, mitigat, atque corrigit, sed tanquam Dei verbum vsque ad minimum iota atque apiculum contentiosè asserit. Cerebricosi illi homines etiam legi pugnant naturę, quod non solum Cicero & alij cordatiores ethnici, sed & ipsi fatentur canones. Nihil hic dico de constitutionibus, quæ malam præ se ferunt speciem, quęstus putà & huius mundi gloriæ & pomparum. Quis enim nesciat, huiusmodi commenta Antichristicæ intemperiei esse accepta referenda? Moses propter duritiam cordis populi sui, libellum repudij, à quo etiam naturalis abhorret æquitas, quippe quem Romani ægrè receperunt permisit. Volunt itaque canones etiam constitutiones bonas, v. i temporis, loci & personarum commoditas

Episcopi sunt Epij & Anexicaci. i. affabiles & tolerãtes malos.

Ecclesia hodierna canonum moderatores Episcopos desiderat.

atque vſus id petiêrit, mitigari potiſsimum verò hoc, vbi in abuſus abierint. Denique & minus malum, quo maiori occaſio præſcindatur, admittũt. Hæc omnia prudens diſpenſator & œconomus familiæ Dei, per ſe facilè intellexerit. Ad Titum etiam præſcriptionem hanc modeſtię habemus, cap. 3. Cap. 1. vult Epiſcopum quidem dicæon, hoc eſt, iuſtum: eundem tamen etiam cupit eſſe Epiicon, hoc eſt, manſuetum. Hæc virtus vbi non eſt, ibi malum ſit peius. Ius enim ſinè moderatione, nihil eſt niſi tyrannis, omnigeni erroris fons & origo. Nõ hæc dixerim ad nequitiæ humanæ patrocinium, quia neque Chriſtus eius gratia venit. Maleuoli in miſericordiam peccantes, ſinè miſericordia debẽt plecti. Talibus quid dicat Apoſtolus, videatur 1. Cor. 5. 2. Corinth. 13. 2. Theſſ. 3.

Epiſcopũ dicæon & Epiicõ eſſe oportet, id eſt, iuſtũ & mãſuetum.

Dominus enim prope eſt. Hiſce verbis fulcit & corroborat hoc, quod iam dictum eſt, Dominus propè eſt, intelligendum iuxta interpretationem vetuſtorum Græcorum theologorum, nempe de quarto aduentu, hoc eſt, de Aduentu Domini ad iudicium extremum: quod & Ioannes inſtare dicit, 1. cap. 2. Obſerua, tempore Apoſtolorum Dominus ſic fuit propè, tempore diui Hieronymi, dein item tempore Gregorij, item S. Bernardi, Dominus fuit propior: quis ergo non videat nunc poſt tot ſecula, quæ ab illis pręteriérunt, Dominum eſſe proximum? Gregorius & alij pleriq; oſtendunt, portenta ea, quæ Dominus ſub tempus illud horrendum futura prædixit eſſe olim viſa. Quid ergo vetet nos credere, Dominũ proximè nobis eſſe? Dein & prope eſt, quia mille anni ante Deum tanquàm dies heſterna quæ præteriit, 2. Pet. 3. Tertiò propè eſt, quia incertum tempus eius eſt aduentûs. Vigilate, ait, quia neſcitis qua hora Dominus veniet. Meminerimus, ſi ſapimus, parabolæ Matth. 25. Luc. 12. dicamus nobis, iamiam veniet, immò adeſt. Lampades ergo oleo plenas in manibus ardentes habeamus, Domino iamiam obuiam ituri. Meminerimus item gnomes Matth. 24. ſeruorum fidelium & infidelium, quorum aut merces erit vita æterna, aut quorum pars erit cum hypocritis. Poſſumus etiam hunc locum, Dominus propè eſt, intelligere de potentia ma-

Dominus prope eſt multis rationibus.

ieſtatis, quæ nuſquam non eſt. De qua accipiendum hoc quod dicitur Abrahæ: Eſto vir perfectus coram me. Magna nobis incumbit honeſtatis neceſsitas, cum agamus ante oculos iudicis cuncta videntis. Concionator itaque præuaricatur, niſi ſubinde clamitet: Pœnitentiam agite. Dominus enim prope eſt, Matth. 3. Pœnitentiam agite: nolite amplius peccare: quia Dominus propè eſt, Ioann. 5. 8. 2. Corinth. 13, 1. Ioann. 2. Confitemini peccata veſtra, quia Dominus propè eſt, 1. Ioan. 1. Iac. 5. Membra veſtra arma iuſtitiæ date, ad ſanctificationem, quia Dominus prope eſt, Roman. 6. Orate, quia Dominus propè eſt, Matth. 5. 26. Ieiunate, quia Dominus propè eſt, Matth. 9. & 2. Cor. 6. Date eleemoſynam, quia Dominus propè eſt, Matth. 5. Luc. 11. & 12. Audite verbum Dei, quia Dominus propè eſt, Matth. 17. Et facite illud, quia Dominus propè eſt, Matth. 7. Luc. 11. &c. Ad præſcriptum Domini quodque, haud inepte ſubditur: Dominus propè eſt. Si ſatanas ad crimina allicit, dicat ſibi quiſque: Dominus propè eſt. Si ingruit tyrannis, dicat martyr Chriſti: Dominus propè eſt. Propè autem ad coronandum confeſſores ſuos, & ad perdendum eorum perſecutores, 1. Pet. 5. 2. Theſſ. 1. Audiatur hic ſanctus Iacobus cap. 5. Eccè agricola expectat precioſum fructum terrę, patienter expectans illum, donec accipiat pluuiam tempeſtiuam & ſerotinam. Patiẽtes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam aduentus Domini appropinquat. Verbum hoc, Dominus propè eſt, facit præſentiſsime aduerſus omne deſperationis tentamentum. Propè fuit Dominus Iob & Tobię, cæterisque omnibus piis in omni tribulatione. S. Antonio adſtitit agonothetes. Quæratur itaque & inuocetur, quia prope eſt. Noli metuere, ſed confide, Eſa. 55. Crede pſalmographo dicenti: Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, Pſalm. 144. Item omnibus qui tribulato ſunt corde, Pſalm. 33. Saltem vide vt inuoces eum in veritate.

Nihil ſoliciti ſitis. Neceſſaria admonitio. Quid enim adeo profectum remoratur religionis, atque cura & ſolicitudo huius vitæ: Nónne etiam ij qui iam animam agunt, ſoleant vel cura moleſtari liberorum atque hæredum?

Solicitudinum va

dum? Vox omnium ferè, si filia esset desponsata, si filio puellam quandam desponsâssem, si pignora essent adulta, sine omni molestia fatum subirem. Timendum, eam curam esse desperationis certum argumentum. verisimile est, inquam, solicitudinem eam esse certum infidelitatis indicium. Hæc enim omnia ethnici, Dei ignorantes, curant. Immò etiam plerique ethnicorum, vt Fabricius, Valerius Publicola, & alij eius albi, hæc non curarunt, futuri in illa die Domini, nostri iudices, qui non obediêrimus prophetæ, dicenti: Iacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Item, Nunquam vidi iustum derelictum &c. Momentum est, omnis huius vitæ cursus. Mundus hic nihili est, vanitas est, res caduca est: vita ea futura, æterna est. Qui nos in æterna illa conser uare potest, quarè illi non fidimus, etiam nos in hoc huius vitæ momento posse nutrire & seruare? O latentem infidelitatem, ô certum latentis perfidię indicium, curam & solicitudinem huius vitæ. Non ab re Apostolus noster vigilanter atque obnixè adeò curam à fidelibus omnem studet adimere: scit reuerà totius religionis nostræ cardinem hac in re versari. Nam & Christus primam beatitudinum, paupertatem ordinauit spiritus. Adeò cura angit mentem humanam, vt nè quidem hominem vel ad Deum suspirare permittat. Nam vbi thesaurus hominis, ibi & cor eius est. Neque suapte authoritate Apostolus solicitudinem prohibet. Dominus propè est, Dominus ipse tantum malum vetat Matt. 6. verbis claris, & Matt. 13. parabola non obscura. Adstipulatur Paulo Petrus 1. cap. 5. Breuiter, Apostolus vult nos sinè solicitudine esse, 1. Corint. 7. Dicis, Nunquid omnem curam Apostolus prohibet? Omnem huius vitę solicitudinem Apostolus funditùs abolere nititur. Ait ergò, Nihil soliciti sitis: intellige, de huius vitæ negociis. vult enim, quanto liberiores sumus ab huius vitæ curis, vt tanto anxij magis simus de rebus spiritualibus: quanquàm etiam in talibus nos velit quàm longissimè abesse ab omni superstitione. Cùm steteritis, ait, ante reges & præsides, nolite cogitare aut præmeditari, quid aut qualiter respondeatis, dabitur enim vobis &c. Sed neq; hoc suffragatur ociosis, discinctis & supinis. aliud est a-

quos Apostolus vult esse fideles.

Paupertas prima beatitudinum ecclesiæ.

Solicitudinem omnē à fidelib⁹ Apostolus adimit

cedia, aliud superstitiosa cura. Apostolo incũbuit omnium ecclesiarum solicitudo: nemo in ecclesia scandalo affectus, quin hoc scãdalo Apostolus sit vstus & excruciatus: sed longè ab omni fuit superstitione, desperationis filia.

Sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. Solicitudo nihil proderit, oberit immò magis. Oratio verò non oberit, proficua verò cumprimis erit. Illam ergò pestilentem supprimite, hãc salutarem in vobis excitate, in hac vos exercete, in ea facite toti sitis. Oportet enim semper atque sine intermissione orare. Hic enim fidelium situm est robur. Hoc certum propugnaculum, & aduersus omnia noxia vallum. Orationis verò partes quatuor sunt, orare nimirùm, obsecrare, gratias agere, & postulare siue petere. Quatuor hasce conditiones sub vno orationis clauduntur vocabulo. Primum est ipsa supplicatio, qua homo Deo supplex, locum orationis aptum quærit, se prosternit cùm mente tum corpore. Nam adorare, supplicare & se alicuius pedibus subiicere, significat. Secundum est suspiratio & cordis affectus per precatoria verba, quorum oratio Dominica methodus est, cùm compendiosa tum absoluta. Tertium est gratiarum actio, consideratio acceptorum beneficiorum, qua homo sese ad orandum excitat. Exemplum tale in psalmis cuique legenti passim est obuium. Quartum petitio seu postulatio, qua homo ea quæ ad Dei gloriam & suam salutem sunt, postulat: idque in nomine Iesu, per Christum Dominum nostrum. Vbi seriò, siue (vt verbis vtar Christi) vbi in spiritu oratur, nullum horũ abest, quod etiam aliâs diximus. Preces nostras innotescere apud Deum, nihil aliud est, quàm frequenter precari. Assidua oratione homo familiaris fit Deo. Loquitur nobis Deus, cùm literis incumbimus: alloquimur nos ipsum, quoties orationi instamus. Rudiùs & planiùs verbum hoc poteris interpretari: Oratio vestra innotescat apud Deum, hoc est, Audiat preces vestras Deus. Nam tametsi sciat quid nobis cõmodũ sit, vult tamen sibi hoc ipsum per nostras orationes manifestari. Atq; hæc hactenùs.

Oratio fidelium armatura & propugnaculũ.

Orationis quatuor sunt species.

Preces nostræ vt apud Deũ innotescãt

Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda ve-

ſtra & intelligentias veſtras, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Eccè tibi fructum orationis. Qui malè habet, precetur: & benè ſecum agi videbit. Dominum enim cordis ſui habitatorem & hoſpitem ſentiet. Pax Dei & Deus pacis, quæ in hoc capite ſibi cohærent, vnũ ſunt. Pax Dei eſt ea, quam mundus dare non poteſt: gaudium corporis tranquillitas mentis, qua homo ſuſque deq; fert, de Dei erga ſe benignitate certus. Deus pacis, eſt eius pacis author, Ioan. 14. Apoſtolus ergò pacem ferè Deo tribuit. 2. Cor. 13. Coloſſ. 3. 1. Theſſal. 5. 2. Theſſ. 3. Pax illa exuperat omnem ſenſum, hoc eſt, nemo eius precium ſatis intelligit. ratio humana tanta non eſt, vt tanti doni precium ritè æſtimare poſsit. Adiecit Apoſtolus hic pacis eius commoditatem & vſum, vndè precium hoc ex aliqua parte theoreticus colligere poterit. Cuſtodire dicit pacem eam corda noſtra. Eſt itaque pax iſthæc, cordium noſtrorum cuſtodia, munitio, ſcutum, propugnaculum, vallum & murus. Hæc niſi nos ſeruet, hoſti prædæ ſumus. Hæc niſi Deum habitatorem nobis conciliet, diabolus peruium ſibi nos habet receſſum. Senſum eum Græca veritas præ ſe fert. Huc facit hoc Col. 3. Pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris. Statim iterùm pacis ſanctę facit mentionem atque concludit perorando, dicens: Hoc facite, & Deus pacis erit vobiſcum. 2. Cor. 13. itidem ſic claudit epiſtolam, dicens: Eſtote pacifici, & Deus pacis erit vobiſcum. Illi pacis Deo ſit laus & gloria per æterna ſecula, Amen.

Pax Dei & Deus pacis, vnũ ſunt.

EADEM DOMINICA QVARTA Aduentus, Euangelium.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?

PRAEFATIO.

PRæſens, fratres chariſsimi, quam audiſtis, lectio, Ioannem nobis in perſona totius ſynagogæ exhibet, Chriſtumque prophetam illum, cui ſe Moſes & omnes prophetæ ſubmittunt, reſpondentem introducit. Quæſtionis legalis ſumma, in expectatione atque adeò in inquiſitione Meſsiæ, quẽ eccleſia poſsidet, verſatur. Chriſtus verus ille ſoter, in hunc mundum, miſſus, promiſſum illum ſeruatorem, per ſua ipſius opera ipſe ſe

Ioan. 1.

declarat,& omnes ſe verè recipientes, beatos pronunciat. Interim & eos quos ſuæ gratiæ abuſu ſcandalizandos præuidit,perſtringit,eos omnis ſalutis expertes adumbrans. Verè recipitur primò per ſanam fidem: quia ſine fide impoſsibile eſt hominem Deo poſſe placere, Heb.11.Dein per effectum fidei, hoc eſt, per ſpem viuam atque per ſpiritus ſancti fructus, reſeruatur atque poſsidetur idem ſeruator.In Deo ſiquidem manet, qui in charitate manet,1.Ioan. 4. Scandalizatur in Chriſto, qui alterum tantùm approbat, & vtrunque confundit: quidquid enim ſine fide fit,peccatum eſt,Rom.14.Et ſine bonis operibus fides mortua eſt,Iac.2. Vtrinque diſcrimen,vtriq; perire.Hic naufragatur Pelagius, cum Iudæis,Saracenis, & infidelibus omnibus: illic deperit Aëtianus,Iouinianus, Vuicleff, cum pſeudochriſtianorum turba,fidem Ieſu Chriſti,in bonorum operum fraudem & in malitiæ prætextum accipientes, Chriſtum lenonem & patronum conſtituentes iniquitatis. Locum hunc eccleſia nobis hodiè proponit, vt diſcamus quid præſtemus, vt inſtantis feſtiuitatis gratiæ nos ritè præparemus, non Chriſto habitaculum exhibituri. Locus ſcitu cùm neceſſarius,tum ſalutaris.¡Faxit Deus, ipſum auribus audiendi,audiamus.

EXPOSITIO.

LEgationem qualem ad Ioannem Hieroſolymitani miſerint, quare hominem conuenerint, quid ex eo ſciſcitati ſint,denique quid conſtantis vir animi dederit reſponſi, in lectione euangelica præſenti audiſtis.

Legatio ſplendida hæc, hodiè ſolenniter legitur. Lectionem eam euangeliſta Ioannis vocat teſtimoniũ,vtique de Chriſto,cuius ſe ſaltem clamanté in deſerto vocem fatetur, Chriſtum verò Meſsiam, cuius ne dignus quidem ſit calceamenta ſoluere, non ſui buccinator,ſed Chriſti præco Ioannes.Euangeliſta ſuprà dicit:Hic venit in teſtimonium,vt teſtimonium ferret de lumine.Reſtabat,vt ſcriberet item,quodnam eius teſtimonium de luce fuerit.Hoc ipſum in præſenti loco præſtat. Saluator item ipſe infrà cáp. 5. tam de legatione hac Iudæorum,quàm de Ioannis reſponſo,ait: Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem

non ab hominibus teſtimonium accipio : ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ego autem teſtimonium habeo maius Ioâne. Opera enim quæ dedit mihi pater, ipſa teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me. Acſi dicat : Parui momenti res eſſet Ioannis de me teſtimonium, niſi & ipſe μαρτύριον de cælo cui collata humana, minuſcula apparent omnia, haberem. Sed nónne res ter maxima eſt, quòd legationem hanc ad Ioannem mittunt Iudæi ? Sanè eſt. Quis enim non videat ex hac legatione Iſraëlem ſenſiſſe inſtare tempus Meſsiæ, & ex Danielis hebdomadis annalibus, quas iam finitas viderant, de Meſsia ſolicitudinem hanc recepiſſe ? Et tantæ rerum temporumque variationes, huic curæ non mediocre pondus contulêre. Videre itaque videor, Iudæos illo in tempore conſultando varia iniiſſe conſilia. Caiphas & Annas, indagatores profectò ſagaces extitêre: qui pro temporis ratione, ſynagogam conſultatione vacuam & conſilij inopem non deſtituêre. Certum itaque eſt, pragmaticos & conſultiſsimos eos viros, conſilium iniiſſe, vtrum Meſsiam reciperent, Ieſum ne, an Ioannem. Dixiſſe itaque faciamus: Ecce plebs moræ impatiens, Meſsiam cupit : vndè & cumulatim ad Ioannem in deſertum properat. Sed & Ieſum Galilæum illum pars plebis maximi facit. Vtrum ergò horum Meſsiam conſtituamus, quæſtio eſt. Hic non defuerunt qui dicerent illum maioris eſſe æſtimationis, ſacerdotis filium, genere non obſcurum, neque ſine manifeſto miraculo ortum, ſterilis anus prolem, qui & patri adempta vocis organa reſtituerit : hunc obſcuris natalibus editum, & eſſe Galilæum, fabrum lignarium: illum ſingularis ſanctimoniæ, plebis conſortia vitare, in pumicibus cilicio tectum recubare, locuſtis melleque ſylueſtri famem ſedare: hunc, quantùm ad conuictum & cætera plebeia commercia, populariorem eſſe: publicanorum, peccatorum & ethnicorum conſortia non vitare, nonnunquàm etiam per infirmorum curas ſabbathum violare. Ad hæc Gamaliel aliquis facta Chriſti adducit : & ſic in ſententias contrarias concilium ſcinditur. Vulgus ab Anna & Caipha pendens,

Synagoga curioſa.

clamitat: Nunquid à Galilæa veniet Christus? Scrutamini scripturas, & videte quia à Galilæa propheta non surrexit. Hic ambitiosulus quispiam in medium prorupit, dicens, nec ipsum quoque Ioannem Messiæ gloriæ satis respondere, cùm prophetæ Messiam regem denunciauerint, qui non inter feras deliteſcat, sed qui acropolin Sion celebret, Romanæ iugi tyrannidis futurus abrogator, populique Dei assertor. Post multa huiusmodi varia iudicia, tandèm in hanc sententiam omnium ferè pedibus itum est, vt legatio ad Ioannem mittenda designetur. Stat sententia, eliguntur sacerdotes & Leuitæ, placet legatorum grauitas, committitur legatis, vt ipsum Ioannem interrogent: Tu quis es? Sed vos ô pharisæi, ô legis consulti, ô magnates populi, & decuriones nobiles, quæ vos hypocrisis excæcauit, quæque dementia vexauit? Nunquid sanum consilium intendistis? Haudquaquàm. Imprudens siquidem vestra consultatio, vos gentemque vestram perdidit, & æternæ insipientiæ reddidit mancipia. Erat alter horum Messias: sed vos vestrapte culpa dementati, vltrò & volentes erraſtis. Iesu Nazareni natales credan' vos latuisse? Religionem, sapientiam & potestatem toti Iudææ & Israelis terræ cantatissimam vos præteriisse credan'? Certò apparet, vos ea, quæ lubet, nôsse: cætera, tanquàm ignota, respuere. At quare vos in diebus Herodis vnà cum rege timor inuasit, cùm ex Magis orientalibus audiretis Christum natum? Nónne ille metus adhuc tenet? Immò nónne in immensum accreuit? Regem vobis à Deo obtrudi, non qualem vos cupitis, semper timuistis, opibus & mundi gloria nullum, iustitia & veritate ter maximum. Atat, hinc illa vobis tanta circunspectio. Quasi Christum omninò ignoraueritis, misistis ad Ioannem: quasi eum, cuius testimonium nunquàm recepistis, plurimi feceritis. Sed mentita est iniquitas sibi. Quare sacerdotes & Leuitas non legastis ad Iesum? Timebatis eius responsum graue & certum? Sed Deus hoc effecit, vt vos ipsi respondentem vobis Iesum audieritis. Hoc quod tum acceperatis responsum, si vanum fuit, quare non confutastis? Si sanum, quarè non comprobastis? Messiam, sine quo saluari non potestis, & sine

quo tota lex vestra in inanem fabulam abit, optabatis: quarè ergo non potius eum, qui Messias erat, percontati estis? Insanos vos, qui Ioannem Messiam arbitrati estis. Vbinàm legitis, Messiam Ioannem vocitandum? Iesum vero Messiam fore, atque adeo ritè Iesum appellandum, tot figuræ adumbrant, totque vatum oracula ostendunt. Iesum Sirac, capit. 47. Abacuc tertio, & alia hoc genus scripturæ loca consulite. Et quis prophetarum vaticinatus est, Messiæ matrem anum fore, ô Iudæa, effœta veri anus? Tergiuersare quantum libet: nunquam tamen efficies, vt Haalma vetulam significet. Dein, quarè Messiam alibi quam in Bethlehem ortum, & à Nazareth oriundum, expectas? Sed breuiter aut date miracula per Ioannem edita, aut negate Messiam miraculis fore clarum. Hic tandem, vt vaticinia omittam omnia, Christianus dico, Thalmudica vestra superstitione miserè vos ludificatos, scripturas nescire: neque item posthàc, in infidelitate Thalmudica permanentes, intelligere posse. Et qui fit, vt mundus Messiam ægerrimè adeo recipiat? Pseudochristis à sui primordio vltro sese submisit: quod & in ecclesia legimus factum. Pseudoapostolos etiamnùm in maiori precio videmus haberi, quam orthodoxæ confessionis professores. Iudæi (quod dictum est) Messiam sibi dari ardentissimè optabant: sed pro eorum moribus, non eum quem illis Deus designauit: cui etiam Antichristum, atque adeo ipsum cacodęmona, præferent. Iudęorum exemplum imitati sunt Asiani, quos Turcas vocamus. ij cùm audissent Iudæos & Christianos multùm de Seruatore Christo supernè mittendo & misso concertare, incidit & illis Christi cupiditas, modo ille ipsorum ingenio & moribus conueniat. Gens itaque illa, cuius truculentia apud omnes ferè cùm historicos tum poetas celebratur, Messiam recepit, feris immanem magis omnibus: vtporè cuius Alcoranus nihil humani, nihil antiquorum philosophorum sapiat, sed qui planè amusus & barbarus, Manliana imperia multis vincat parasangis: vt in eos alludat, Mopso Nisa datur: &, Dignum ollæ operculum. Sed quid ego hæc de exteris? Vero verius est, nos cum dictis gentibus in eodem er-

Iesus propriè Messiæ nomẽ.

Mundus ægrè Messiã recipit

Christum etiã Christiani pauci verè recipiunt.

rore teneri. Christon Iesum, eum quem nobis mundi contemptor, eremique cultor Baptista indicauit, quem Paulus ille laborioſus & ærumnoſus Apoſtolus prædicauit, quotuſquiſq; hodiè verè, hoc eſt, totũ recipit? Credere & baptizari, vtcunque probatur: ſed ſeruare ea quę ille præcepit, tanquam ocioſum exploditur. Pars in externis traditiunculis, cibi, potûs, dierum obſeruatione, & hoc genus rerum, quæ * ab ipſo pereunt vſu, Meſſiam æſtimant: parum facientes internum affectum, & ſanę fidei ſynceros fructus, iuſtitiam, pacem & gaudium in ſpiritu ſancto. Pars Christum ſimulant, iuſtitiam nullam operum quantunuis bonorum requirentem, ſed qui fidem ocioſam probet, quique indulgentiſsimus ſit ad quiduis, modo credatur. Ita hic atque illic Christus quęritur: in medio eccleſiæ ſtantem recipit nemo. Aut prorſus Iudaizare, aut græcizare, immo etiam pergræcari hominem velle, non eſt de veteri prophetarum ſchola.

Christus ſe ingenio mundi nõ attẽperat.

In ſumma, Chriſtus in nomine Domini venire vult, non qui ſe noſtro attemperet ingenio, ſed qui voluntatem patris perficiat. Diuidi ergo non vult, factor & doctor, opere & fide recipiendus eſt. Quanto te Iudæis præſtare putas frater? Immo tuáne, an illorum inſania peſtilentior? Vtrum conſultius, Ioanni manum dare, an Voluptiæ? Non te adeo offendit delicatule (ad molles hæc dico) perſona Chriſti vilis, atque verbum eius anceps, gladius vtrinque ſcindés. Chriſto & mundo, Chriſto & tibi, Chriſto & Zabulo vna vis obſequi. Sed, ſi neſcis, Zelotypus eſt: ſolus vult coli. Sapias ergò, & tibi ritè proſpice. Baptizatus, æquè poteſt coram Deo abominabilis aut fieri aut eſſe, ac infidelis. Et nè mihi hæc dicenti ſuccenſeas, Apoſtoli ſunt verba. Christus quoquè ipſe apud Lucam dicit: Is qui ſcit voluntatem patris, & non facit, pluribus vapulabit. Iudæi è Solymis, vbi ipſiſſima mundi gloria regnauit, miſerunt ad Ioannem in deſertum, vbi arctiſsima diſciplina. Nunc qua fide, commiſſa eorum à quibus legati ſunt, peregerit, quidq; reſponſi ibi receperint, audiamus.

Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Christus. Quid, oro, hic interrogatis, qui credere recu[illegible]tis? Nunquid Ioanni fidem adhibuiſſetis, ſi

Christum se dixisset? Nemo seipsum prędicare, de se testimonium dare potest nemo. Vndè si Christus noster de sua doctrina & factis testimonium ipse protulisset, parùm certè à vobis laudis retulisset. Iterùm rogo, cur non dixistis, Tu es qui venturus es? an alium expectamus? Logodædali & artifices, rē ipsam tangere noluistis. Quis es tu, dicitis, ac si diceretis: Tu qui populo adeo celebris es, videris supra humanam sortem quidquam spirare: sed non satis videmus, classicum ne an gregarium, aut supra omnem humanæ conditionis aleam, te credamus. Ex teipso hoc tandem audire collibet. Ad hæc ille: Absit vt Messiam me vobis ingeram. Non sum, inquit, Christus. Vbi indubia veritas, ibi constans simplicitas. Iudæi, quoniam subdoli erant, fuco vti & tergiuersari, Ioannes omnia liberè agere & dicere. Ipse, quis esset confitebatur: & Iesum, quis esset, non inficiabatur. Bonus ordo: Cōfessus est, & non negauit. Coram amicis fides profitēda, apud hostes non neganda. Hæc nos qui Christi nomine censemur, obseruemus. Nobis siquidem incumbit, ad eius quæ in nobis est, spei patientiam reddendam, semper esse paratos, primę Petr. capite tertio. Et seruator dicit Matth. decimo. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in cælis. Et quoniam plerosque Euangelij, (quod Apostolus iudicio mundi sermonem vocat insipidum) pudet, sequitur: Qui autem me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis, Lucæ nono. Qui erubuerit sermones meos, hunc & filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Vndè Apostolus ait: Non erubesco Euangelion, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Romanorum primo, & primæ Corinthiorum capite primo. Christum in hoc seculo confiteri, maximi est discriminis. Infideles nihil æquè grauiter ferunt, quod etiam ante Christi clarificationem, re ipsa satis est declaratum. Huius rei illustre exemplum habes Ioann. nono. Dicunt ibi parentes cæci, cui Dominus visum dedit: Ipsum interrogate, ætatem habet, de se loquatur ipse. Hoc dixerunt, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis con-

Christicō fessio, maximi discriminis res est in hoc mūdo.

fitereturillum esse Christum, extra synagogam fieret. Petrus quoquè (Matth. vigesimosexto) negat: sed postea non minori fidutia, quàm ipse Ioannes, confitetur Act. quarto & quinto. Dij & huius seculi Domini, molestè ferunt Christi prædicari gloriam, qua omnis eorum disperit gloria. Vndè nihil allud, nisi Christi abnegationem, quæsiuerunt prisci tyranni, nostros martyres tot tormentorum generibus exercentes. Qui Christum negauit, vita donabatur & gloria: adeo Christi confessio fuit capitalis. Atqui eò res peruenit, vt omnis lingua Christum solum Deum confiteatur, qui & omne se genu flectit cęlestium, terrestrium & infernorum, Philip. 2. Vides glor .m Ioannis, qui liberè se Christum non esse respondit: licet hoc Iudæi non apertè rogitarent. Sic & alibi dicit: Me oportet minui, illum succrescere. Quantis plagis dignus putandus seruus, Domini sui sibi gloriam arrogans? Si omnis arrogantia, iuxta scripturam damnabilis, maximè erit execrabilis, qui Dei sibi gloriam vsurpat, cum alioqui omnis gloria sit Dei, Esa. 42. Nemo sibi assumit honorem, ait Apostolus Hebr. 5. Hic iterùm modestiæ admonemur. Sibi Dei titulos vendicare, nihil à Luciferi fastu abest. Turcarum Cæsar quid est: Nónne lutum? Vndè ergo illi deitatis tituli? Abhorres hoc in Turca? At magis damnabile est in fidelibus. Zabulus, quæ sua est peruersitas, à condito seculo Dei detrahere solitus est gloriæ. hominibus ergo eum furorem inspirauit, vt sibi Dei titulos asserere non dubitarent. Maximè per antichristum hoc sacrilegium reuiuiscet in terra. Iterùm atque iterùm videamus, nè suos ille pręcursores in mundo habeat. Pharisaicum (iuxta Hieronym.) supercilium est, cùm dicimus: Nos soluimus, Nos ligamus. Sed Pharisaicum eum fastum nemo ita vitet, vt in similem incidat culpam. Sedent æquè in loco sancto, numen sese ostentates, qui dicunt: Penes nos solos est veritas. Legantur patres, nec ne, parum refert. hoc saltem sibi homo persuadeat, sicubi nostræ opinioni dissentire videantur, hoc errori esse deputandum. Audiamus hic, fratres, Apostolum, qui monet nos nō plùs sapere quàm oportet, sed sapere ad mensuram, & ad sobrietatem, secundum mensuram fidei, quam cuique suam Deus diui-

Arrogãtia regnat in Ecclesia omniũ pessima.

sit, Romanorum duodecimo.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: Non sum. Nomen Heliæ hic exprimunt, quod de nomine Christi ausi non fuerunt. Et verisimilius fuit Ioannem fuisse Heliam, non solum propter vitæ genus austerum, verùm etiam propter Malachiæ vaticinium de illo capite quarto, nempe hoc, Eccè ego mittam vobis Heliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis. Hoc ex loco Iudæi opinionem hauserunt, Heliam Messiæ antecessurum. Nec hac sua sunt decepti opinione: nam in hoc etiam Ecclesia illis consentit. Saltem de Heliæ persona illi tunc errauerunt, & etiamnùm errant. Malachiæ prophetia, bona parte adimpleta est in Baptista, in spiritu & virtute Heliæ misso. Testis angelus, Luc. 1. dicens ad Zachariam: Hic erit magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex matris vtero, & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Et Dominus ipse dicit Matth. vndecimo. Si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus est. Clarius adhuc capite decimoseptimo. Dico vobis quia Helias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioãne Baptista dixisset eis. Dicis: Quod si Ioannes, secundum Christi & Gabrielis testimonium, Helias est, quarè hoc diffitetur ille? Pernegat se talem qualem Iudæi æstimabant, personalem putà & corporalem. Sic Christi & Gabrielis affirmatio est vera, & negatio Ioannis non est falsa. Helias Thesbites, in Anathoth viculo Galaad fuit ortus: Ioannes Zachariæ in diebus Herodis regis Iudææ, regnante Augusto, in ciuitate Iudææ satus extitit. Ille sub rege Achab in multa virtute signorum claruit, tandem in curru igneo in cælum raptus, 3. Regum 17. 4. Regum 2. Hic sub Octauiano & Tiberio Augustis, tempore Herodis regis Ascalonitæ, Archelao & Herode Antipa, in deserto baptismum pœnitentiæ prædicauit, nullius signi miraculo clarus. Haudquaquam

Ioannes fuit Helias, & qui hoc.

ergò erat Helias, quantum ad corpus & perſonam: ſed, quod Dominus & Gabriel dicunt, ſpiritu & virtute, Nè Pythagorica locum videatur habere μετεμψύχωσις, i. * tranſmutatio, ſecundũ quam de aliis corporibus in alia corpora animas mortuorum tranſire dicunt. Pythagoras item, vt hoc ſuum dogma ſuis perſuaderet, animam Euphorbi Troiani dixit ſe poſsidere, ac per hoc perſona Euphorbum ſe eſſe adfirmauit. Sic & Ennius de anima Homeri ſeſe iactitabat, & Iulianus ille apoſtata Alexandri animam dixit ſe eſſe ſortitum. Hac de re Socrates hiſto. Trip. lib. 6 Sed nihil ad nos næniæ hæ.

*trãſmen tatio,

Tranſmu tatio Py thagorica

Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Dixerunt ergò ei: Quis es, vt reſpõſum demus his, qui miſerũt nos? Strenuè demãdato officio funguntur legati. Tertia hæc eſt quęſtio, ſed nec ea cupitum reſponſum eliciũt. Verè prophetalibus, hoc eſt, maximis virtutibus Ioannem prędituṁ videmus, modò quis ritè attendat. Vulgus (quod Matth. 14. vides) prophetam verum Ioannem credidit. Zacharias quoque puerulum iam natum, prophetam altiſsimi appellauit Luc. 1. Sed & Chriſtus prophetæ nomine eum dignatur Matth. 11. Et fortè erant in populo, qui Ioannem vnum de veteribus prophetis rediuiuum crederent, quod & de Chriſto plurimi arbitrabantur, Matth. 16. Marc. 6. Luc. 9. In ſumma, Ioannem ſupra hominem (quod & erat) aliquid eſſe putabant omnes. Rogârunt ergò, num prophetam ſe venditaret. Erat enim (quod & ſuprà monuimus) prophetæ nomen tunc facilè præcipuum: & vt rarum, ità quoque charum. Sed nunquid Ioannes ſe hic prophetam, contra ea quæ de eo dicta ſunt, negat? minimè, ſed prophetam ſecundum vulgi opinionẽ ſe negat: hoc eſt, vnum ex defunctis, ad ſuperas has auras tum, quando ſynagoga plus quàm vnquàm anteà vate opus haberet, reſuſcitatum. Vulgi item opinio de Chriſto, ipſum aut Heliam, aut aliquem ex prophetis vocantis, cõfutatur Matth. 16. Qui ergo Ioannes talem ſe annueret prophetam, qui nec ea ratione eſſet Helias? Initium vitę eius, erat à partu matris ſuæ Elizabeth, & non ante: quẽadmodum & aliorum mortalium eſſe, in conceptione & partu incipit. Quòd ſi cui hic ſenſus nõ ſatisfacit, Chryſoſtomi & Theophylacti addat ſententiam. Accipiunt

Ioãnes ſe prophetã eſſe negat, & qui hoc

illi hunc locum de propheta certo eo, quem Moſes Deut. 18. Chriſtum ſignificans, promittit. Senſus huius anſam, ex articulo qui in Græco habetur, ὁ προφήτης, quod & plerique legunt, Propheta ille, emphaticè pronomen ille proferentes, nimirum ille quem Moſes promittit, ſumpſere. Sed & in hoc ſenſu Ioannes illum ſe prophetam multo minus fuit auſus fateri. Per prophetam à Moſe promiſſum, Chriſtum ſignificari, Stephanus protomartyr teſtis eſt locuplex, Actorum ſeptimo. Nunc, ſi libet, collige Ioānis virtutem & ſpiritum Quis vatem & cardiognoſten dubitet? quis medendi imperitum neget? Vidit populi errorem, cui ſe prophetam negando, medicum præſtitit. Sed ſupercilioſi phariſæi, audientes quòd ſe prophetam negaret, nè quà leuitatis, illis à quibus miſsi erant, venirent arguendi, porrò inſtando & vrgendo quęritant, vt ſequitur:

Ioānis ſpiritus vnde potiſsimū æſtimetur

Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini: ſicut dixit Eſaias propheta. Attendite, chariſsimi, domus Dominicæ columnam immobilem Ioannem Baptiſtam, qui nullis mortalium blanditiis ad gloriam huius ſeculi allici potuit. Suprà dixerunt: Quis es tu? Helias? Propheta? Iam dicunt: Quid dicis de te ipſo? Magnę vir animæ, qui captiũculis illis ad magnificandam opinionem ſuam ipſius, commoueri non poterat. Nec item impiger fuit ad laudes Chriſti prædicandas, quas ſuæ glorię obfuturas nouit. Diſce hinc, ſatius eſſe, populari aura planè orbari, quam aliquid quod te ſit maius, etiam nõ concupitum, à plebe recipere. Sed proh pudor, videas hodie dogmatiſtas, qui paterentur ſi vel ſupra omnes ſanctos patres à vulgo celebrarentur. Singularis fera, aliter facere non poteſt. Vineam Domini deuaſtatura, luminaria ſacra & columnas Eccleſiæ non poteſt non carpere, ſicubi ſuæ opinioni viderit diuerſos. Vnde hodie tot in Eccleſiæ conuicia audiuntur, niſi quòd ſunt, qui Leuiathan eum, columnamque auream Nabuchodonoſor nolunt adorare? Non ſat habet cohors prędicantum (vt ſeſe ipſi vocitant) vt illi aliquid tribuatur ſed niſi vſque ad minimum apiculum ſuæ opinioni ſubſcripſeris, atque omnia eius ſomnia pro certis oraculis prædices, periiſti. Quid huic gregi, niſi

Dogmatiſtæ nouæ inſigniter ambitioſi.

ſpiritus Heliæ atque Baptiſtæ, quo tamen ſeſe adeò efferunt, deeſt? Intenſas procul dubio ſuperbię fides relaxarent, criſtasque (quod aiunt) demitterent, ſi ſpiritus ille, ipſorum vnquàm capitis capillos motâſſet. Ioannes ſpiritus & virtutis Heliæ vir, hic, quidnam de ſe ſentiat, rogitatur: quod tanto ægrius ab illo excutitur, quanto prõptius os ſuum ad Chriſti laudes ſoluit. Reſpondet tamen, tot compulſus conuiciis. Quaſi dicat: Nôſtis hoc Eſaiæ *Kol kore Ba Midbar*, hoc eſt, de voce clamantis in deſerto? Nôſtis autem, legis Dei ſacerdotes & Leuitæ, phariſæi item, ſacræ ſcripturæ exercitatiſsimi. Audite ergo, & animum intendite ad hoc ipſum *Kol kore*, hoc eſt, Vox clamantis ego ſum. Hanc confeſsionem de meipſo nunc ſuo loco profero, opinionem Chriſti, quam de me concepiſtis, eluens, Chriſtóque ſuam gloriam reddens. Eccè tibi verum eſſe quod Chriſtus dicit: Qui ſe humiliat, exaltabitur. Ioannem infimum locum tenentem, ſponſus editiori dignatur. Humiliat ſe Ioannes, ex Eſaiæ vaticinio dicens ſe vocem eſſe clamantis, Chriſtus illum ex Malachia exaltat. Sic in Ioanne & virtutis exemplum, & veritas prophetiarum illuceſſit. Qui humiliter vatis ſe vocem ex Eſaia dicit, apud Malachiam diuinę maieſtatis angelus magnificatur. Nec ſibi vates pugnant, ſed virtutis nobis merita adumbrant atque commendant. Cęterum apud vtrunque vnum officium & opus celebratur. Vaticinium Eſaiæ, 40. planè eſt conſolatorium, quippe quod duplicem gratiam Meſsiæ non Hieroſolymitanis ſolum, ſed omni carni promittit. Verum quia tanta gratia noui teſtamenti in vniuerſum mundum venire, & in Iudæa (vndè ſalus) naſci non debuit, niſi homo miſſus à Deo, per ſpiritum Heliæ viam prius, qua Meſsias ille conuenienter & decenter aduentaret, faceret atque muniret: propheta ibidem loci de homine illo Chriſti præcurſore, clarè vaticinatur. Vocem autem clamantis in ſolitudine, illum vocat propter oraculi certitudinem, ne quis de modo viæ faciendæ addubitare poſsit. Non in regis aut mollis antiſtitis aula, non in popinis & caupo nis, ſed in antro deſerti propheta vocẽ clamaturam prædicit, nè quis de perſona prodromi Chriſti dubitare poſ

Ioannes vox clamantis.

Ioannes vox clamantis in deſerto.

sit. Modus viæ faciendæ, ex voce satis sit euidens. Est autem vox: Pœnitentiam agite, & baptizabimini. Vocis quoque certitudinem sensibus imis reponite, nè cui pseudoapostolus illudat. Persona & vox sibi pulchrè consentiunt. Doctor, quod alios docuit, primus præstitit. Malachias factorem, Esaias doctorem exprimit. Ille factorem siue refectorem viæ Domini prędicit Ioannem fore, hic præconem. Vtrunque idem significant. Doctorem & executorem, documentum & exemplum exprimunt. Vbi veritas in veritate docetur, vtrunque in eodem doctore inuenitur. Qualis doctor, tales discipuli. Pœnitentiam docendo & faciendo, Ioannes Christo viam præparauit: per viam dignæ pœnitentiæ, discipuli Ioannis Christum receperunt. Officium Ioannis hoc nemo credat esse abrogatum. Nam quemadmodum Christus tunc ad illos intrauit, quos Ioannes sibi auditores & factores pœnitentiæ præparauit: sic etiamnùm in corda nostra vult venire. Peccatum suum agnoscere, lachrymis abluere, & bonis operibus corrigere, atque adeó pœnam tenere, est gratiæ viam munire. Hoc symbolon nisi proferas, ignotum te Christus præteribit. Contrà haudquaquàm emanserit, vbi pœnitentiæ talem fructum viderit. Tantum regem sinè præcursore & præcone præuio aduenire non decet: tanti regis aduentum mundissimus apparatus decet. Ioannem itaque, id est, pœnitentiæ verę ecclesiasten verum nisi admiserimus, doctrina gratiæ ad nos nunquàm pertinget. Vox clamantis, vestibulum Euangelij etiamnum personat: huic si cor tuum obdurueris, ad asylum propiciatorii nunquam peruenies. Dicis, quę vox? Consule Euangelistas: dicunt illi omnes vocem esse, Pœnitentiam agite, dignos pœnitentiæ fructus proferte, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Summa: Priusquam assecuto gratiæ affectu, ad veram pacis visionem peruenias, necessum erit, vt desertum pœnitentię peragraueris. Si Christo desponsari cupis, paranymphum fac audias. Si præco, gemit & flebile carmen gutture profert lugubri, hoc talasio siue epithalamion Hymenæi erit gratius. Dulcia enim non meruit, qui non gustauit amara. Sed neque paranymphi vox sem-

Ioãnis officium adhuc tenet.

Ioannes quæ vox.

per eſt dura & terriſona, neque etiam vox ſponſi perpetuò carni eſt iucunda: vtrinque enim triſtibus dulcia miſcétur. Tunc itaque ò animula humana tibi probè conſulis, vtrunque ſi audias & ſerues. Iuuat audire vocem paranymphi, Eccè agnus Dei qui tollit peccata mũdi, Ioann. 1? Audi & hoc Luc. 3. Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. & ſequentia. Placet & hoc † auſpicis: Qui credit in filium, habet vitam æternam, Ioan. 3? Caue eiuſdé hoc ne diſpliceat, Omnis arbor quę non facit fructum bonum, excidetur, Matth. 3. Quod ſi per hæc quis inops fit animi, ſuapte hoc illi culpa contingit: & ob id ego ſummoperè diſcrucior & vror. Verum hic aliter fieri nó poteſt. Oleum lætitię caput tuum nunquam imbuet, niſi Ioannis aqua frigida cor prius macerauerit. Si contritionem prius incuſſerit, exomologeſin excuſſerit remiſsionis peccatorum ſacramentum efficaciter conſequeris, & ad cor tuum dicetur: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Non morieris, Matt. 9. Luc. 15. 2. Reg. 12. Nec tibi quidquam de Chriſto ſiue Baptiſta, quos indiuidua tenet copula, promitte. Huius ergo vocem audi, & illius opem ſume. vtrique obaudi, & cum vtroque ibis in paradiſum. Tu ergò, ſi me ſatis audias, omnem doctrinam huic non conſentaneam, tanquã præſens aconitum fugito. Qui tibi hoc noſtro tempore nudã, ſolam & meram fidẽ ad abſolutam iuſtitiam prędicauerunt, mirè tergiuerſantur, Proteo & Vertumno quouis mutabiliores. Dicunt & nunc, opera bona fidem veram, iuſtificantem nimirum, requirere: breui, ſimulàc furor efferbuerit, bonis operibus cum eccleſia rationem iuſtificandi retribuent. Tu interim Chriſti verbum, (vt à prora Euangelij ad puppim veniam) quod etiam in calce Euangelij tibi pœnitentiam & indulgentiam vnà proponit, audi & cuſtodi. Chriſtus rediuiuus, tale Euangelium prędicandum ſtatuens, vocem prędurſoris ſui perpetuat. Q. d. Non in Iudęa ſolùm, ſed in omni mundo vocem præcurſoris, & eiuſdem amici mei, me prędecedere volo. Nuſquàm enim pedem ego tulero, niſi vbi illum viam mihi feciſſe videro. Huius ſatis. ſequentia videamus.

Ioannis vocẽ Euãgelij finis perpetuat.

Et qui

Et qui missi fuerant, erant ex phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergò baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque propheta? Sorex hic ſuopte ſe prodit in dicio. Viden' phariſaiſmum perpetuò latére non poſſe, etiam ſi ſub ſacerdotali aut Leuitica dignitate ſit illatebratus? Faſtus ſine inuidentia eſſe non poteſt. Superbum genus hominum Ioanni inuidebat, videns eius æſtimatione ſuis rebus & gloriæ multùm decreſcere. Ioannes (quod apparet ſignum quoque eſt, quo cogitationes cordium multorum reuelantur. Liuor phariſaicus ait: Quare baptizas? Vt audio, baptizare & docere non debuit, quia neque Chriſtus, neque Helias, neque propheta ille fuit. Sed vbi ex lege veſtra poteſtis oſtendere, nemini integrum eſſe baptizare & docere, niſi horum trium aliquis exiſtat? Reſponſum veritatis non ſapit veſtro ſtomacho mendaciis aſſueto. Genealogiæ nunquàm finiendę & fabulę aniles vos iuuant. Harum ſi aliquid Ioãnes in mediũ protuliſſet, aures illi præbuiſſetis arrectas. Iuxta propheticã authoritatẽ dixit ſe vocẽ clamantis. quid vltra cupitis? quid vultis? Quòd baptizãdo & docẽdo in deſerto aliquid noui auſpicatur, trepidatis: nec immeritò. Præſagit animus veſter omnẽ eſſe, corbã veſtrũ collapſurũ. Omnis plantatio quã non plãtauit pater cęleſtis, eradicabitur: & veniente corpore, vmbra ceſſabit. Quid Ioãnes eius poteſt? Suapte volũtate nõ venit. Deus patrũ veſtrorũ miſit illũ, ſinè cauſa ergò illi exaſperati ſuccenſetis. Videte manſuetudinem Ioannis, æquo animo tanta faſtidia ferentis. Bonæ conſcientiæ & diuinæ fiduciæ certum argumentum: quod in ſequentibus liquidiùs aliquanto demonſtrabimus.

Ioannes quoque ſignum quo cogitationes reuelantur.

Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Et hic tempus loquendi. Pręſumpſerant Iudæi, Ioannis vocationem in dubium vocare, ſuamque falcem in alterius meſſem iniicere: in Dei', inquam, maieſtatem, ius ſibi vſurpare pręſumpſerunt. Ioannes licèt & anteà contra phariſæorum auſus edentulus non tacuerit, tamen hic longè clariùs quàm vnquàm anteà loquitur, ſuique officij rationem reddit. Senſus

est: Ego (quod vos mouet) ritè baptizo. Videte vos, ne (quod aiunt) in cælũ expuatis. Officiũ baptismi mei latibulo opùs nõ habet. Propter hasce partes missus sum, & viuo. Væ mihi, nisi mandatum meũ strenuè peregero. Verùm ne erretis, diligenter discernite quid de Christo aliàs sæpè sim testatus. Ego (quod videtis) baptizo, sed Iordanis latice præterlabentis. Quid ergò baptismum meum miramini? Hoc vnum scitote, Messiam illum, de quo vos tanta inuasit cura, aliud habere baptisma. Et hoc quoque vos minimè latére volo, Messiam eum longè non abesse, natum inter vos, conuersari in synagogis vestris, & in ipso templo videri, audiri, immò etiam premi: sed in persona vsqueadeò plebeia, vt facilè cognosci non queat, nisi illi, cui omnis gloria mundi planè vilescat. Ego, quantùm ad huius vitæ ætatem, illo sum maior natu: vndè & in hanc docendi aream descendi. Hoc fortasse est, quòd maiorem illo me vos facitis: sed verè ille ante me factus est, & post me est venturus. Huiusmodi verbis baptista Christi diuinitatem satis liquidò confessus quidem est: nemo tamen ea ipsa verba, nisi qui Christi est, intelligit, nec intelligere potest. Qui Christi est, non solùm in Syria, sed & in vniuerso mundo, illum qui secundùm diuinitatem antiquus dierum dicitur, nouit: & quid Ioannes voluerit, dicens, Post me venturus est, non ignorat. Incircunscripti, immensi & immortalis Messiæ gloria, in vniuersum mundum venit. Angusta fuit illius gratiæ Iudæa. qui Deus omnium est, omnes vult saluos fieri. Talem Messiam quòd Iudæa noluit recipere, sui exitij ipsa sibi causa exstitit.

Baptismꝰ Ioannis, baptismus aquæ.

Quòd baptismum suum aquæ lauacrum vocat, subindicat aliud adhuc superesse tingendi genus, se maius. Quod verò id lauacrum sit, apud Euangelistas vndique videre possumus. Matt. 3. de hoc dicitur baptismo: Ego baptizo vos aqua in pœnitentiã: qui autẽ post me venturus est, cuius non sum dignus calceamẽta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Marc. 1. Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos in aqua, ille verò baptizabit vos in spiritu sancto.

Luc.3. Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam. Vides trium Euangelistarum testimonio baptismum Christi, Ioannis lauacro successurum, spiritum esse & ignem. Sic baptizare, non erat virium & partium Ioannis: pro sua itaque conditione humiliter baptizauit lympha, vt homines spiritus baptismi & veri baptistæ cupidos redderet. Sic & Moses victimis suis [redacted], hominibus victimæ vnicæ & perfectissimæ sitim esuriemque mouerat. Et sicut Moses in domo Domini sui fidelem seruũ egit, Domino deferẽs suum honoré, sic & Ioannes officij sui rationem reddendo, vnicè Domini sui gloriæ sategit. Occasionem accepit ex quęstione quam de suo baptismo fecerunt pharisæi, de Christi lauacro differendi. In dissertione ista, serui & Domini discrimen tale esse ostendit, qualis & baptismatôn est differentia. Quasi d. Quanto Domius seruo maior est, tanto baptismus serui minor est baptismate Domini: quantoque creator creatura præstat, tanto officium creaturæ, ab officio creantis superatur. Sic hic se res habet. Famulus baptizat aqua, Dominus spiritu & igni, & in creatura, perque creaturam creator recreat. Quantùm ad res ipsas attinet, vt aqua & ignis duo sunt elementa, sibi præ cæteris contraria, ita vtrunque cæteris præstat. Altero totus mundus semel est obrutus, altero tandem planè est absumẽdus, Gen. 7. 8. 2. Pet. 3. Atqui pugnantia sibi elementa ea, in hoc sacramento baptismi planè conueniunt & sibi consentiunt, nec homini incommodant vlli, immò certior prẽsentiórque salus nulli homini contingit, nisi per hæc duo elementa. His nimirùm duobus vnus constat baptismus, vt ex geminis elementis, vnum fiat sacramentum. Nemo tamen hic arbitretur, iuxtà igni atque aqua oportere baptizari. Ioannes & alij mortales baptizarunt aqua. Deus qui spiritus est, Ioan. 4. non baptizat nisi spiritualiter. Homo corporea creatura, Deus incorporeus. Vndè ille corporea substantia, aqua nimirùm, baptizat, hic inuisibili gratia: ille de terra, hic de cælo: ille exter-

Aqua & ignis duo præcipua elemẽta in baptismo sũt.

Ignis spiritualis est baptismi contra Iacobitas.

nè, hic internè: ille sæpiùs, hic semel. Neutiquam ergò in baptismo Christi spirituali elementalis ille & visibilis ignis locum habet, quemadmodùm in baptismo Ioannis, apostolorum & nostro, aqueus ille humor quo tingimur. Vndè apparet error Iacobitarum in Syria, qui sua pignora elementali ingni iuxta atque aqua baptizando, candenti ferro characterem crucis frontibus tizando, candenti ferro characterem crucis frontibus ex verbo Ioannis, dicentis: Ipse verò baptizabit vos aqua & igni. sed non satis attendunt, quòd Ioannes dicit Christum baptizare igni, non hominem, cui baptismus saltem aquæ, creditus est. Et quæ Dei tandèm maiestas fuerit, si hominis opera Dei sibi non commissa, possit omnia arrogare? Hominis est, mandata Dei facere. Deus omnia quæ vult, facit in cælo & in terra. Roget quis, nónne tria sunt, aqua, ignis & spiritus? Hic non: quia catholici nunquam triplicem cognouerunt baptismum, ignis, spiritus & aquę. Duplex in Ecclesia baptismus prędicatur receptus, spiritus & aquæ. Apodixin, id est, argumentum eius professionis habent Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, &c. Tit. 3. item dicitur de lauacro regenerationis & renouationis sancti spiritus. Quod verò Matt. 3. & Luc. 3. de spiritu & igne dicitur, vtraque dictio vnum significat, nempe baptismum spiritualem Christi. Si dictio sacrosancta spiritus deesset, & solùm ignis exprimeretur, posset homo opinari & ignem materialem ad absolutum baptismum requiri. Nunc verò vocabulum hoc reuerendum ociosè non est additum. Hoc enim vocabulo omninò reuincitur, Christi baptismum, spiritualem esse, & è cælo. contentiosulus aliquis triplicem baptismum, secundùm trinam proprietatem substantiarum trium diuersarum, statuens, videat Mar. 1. Act. 1. Apud illum dicitur: Ego baptizo aqua ipse verò baptizabit spiritusancto nõ post multos dies. Illic Baptista de ignis lauacro nihil commemorat, & Soter hic nullius ignis mentionem facit, quòd sub vocabulo spiritus compræhendatur. Vndè & à Matthęo Lucas nihil discrepat. Neque Lucas sibiipsi dissidet, alibi ignis solius, alibi ignis & spiritus baptismum describens. ¶ Ignis ab apostolis exprimitur, quòd Ioannes id elemen-

Ignis & spiritus in baptismo idē sunt.

ti, ſuæ aquæ oppoſuit, oppoſitio vt iſtæc, deitatis & humanitatis ſpiritualitatis & corporalitatis (vt ita dicam) diſcrimen inſinuet. Vſitatiſsimè ſiquidem in omni lingua ignis ſpiritus habet ſignificatum. Apoſtolus dicit: Deus noſter ignis eſt conſumens. Idem dicit Deum inhabitare ignem inacceſsibilem. Et Pſal. 103. dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Et in prophanis literis ignis accipitur pro amore, certè incorporeo. Exemplū baptiſmi ſpiritus, habemus Act. 2. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſedítq; ſupra ſingulos eorum, puta ſpirituſſanctus. Hic ſpiritus & ignis eodem coincidunt, nempe in hoc, quòd prædominatur Spiritus. Hic perficitur hoc quod Dominus prædixit: Vos baptizabimini ſpirituſancto nõ poſt multos dies Act. 1. Et hoc, Induamini virtute ex alto, Luc. 24. Vides itaque hic, Chriſti baptiſmum eſſe ſpiritus & ignis: ſed non niſi eius ignis, qui ipſe ſpiritus eſt ſanctus. Obſerua ſpiritum ſanctum viſum eſſe in linguis igneis: & diſce in baptiſmo ſpiritus omnia, quæ de baptiſmo ignis in ſcriptura dicuntur. Apoſtoli ſemel aqua erant loti: ſed & hic ſpiritu, pòſt & ſuper aquam, à Chriſto baptizantur. Et nos baptiſmate ſpiritus baptizari habemus: nos ignis ille ſacer manet, vt perficiatur baptiſmus aquæ. Aqua Ioannis rem non conſummat, niſi & Chriſti ignis accedat. Ignis penitiùs expiat quàm aqua: hoc eſt, igneus ſpiritus Dei quidquid nobis carne & ſanguine peccaminoſum innatum eſt, inſtar ſtipularum abſumit. Sic aquę baptiſmus ſimulac ignitus fuerit, hoc eſt, poſtquàm carnis voluntas & ſenſus expiati fuerint, tum primùm locum habet ſpirituſſanctus ignem ſui amoris cordibus noſtris infundendi, vt noſtris igniculis ignis ſubindè addatur. Lotorię virtutis eſt aqua: ſiue ergò eluat, ſiue reluat, exteriùs ſaltem lauat. Ignis vim habet* conſummatoriam, flamma expiatoria eſt. Crede mihi, magnæ molis eſt, ex carne & ſanguine aliquid boni formare. Vndè tam aqua Ioannis, quàm omnium apoſtolorum latices & lymphæ, abſente Chriſti igni, ſunt inefficaces. Dei filius, cuius baptiſmus eſt, quíque verus baptiſtes, eſt animarum noſtrarum antiſtes, niſi igneo, potenti & efficaci ſuo nos baptizet ſpiritu, omnis ope-

Exemplū baptiſmi ſpiritus.

Apoſtoli retincti, ſed ſpiritu non aqua.

ra aliorum baptiſtarum luditur. ¶ Vltrò citróque ſacra ſcriptura diuinam maieſtatem in igne nobis exhibet. In rubo ardenti, Exo. 3. In monte Sinai, cùm lex daretur, Exod. 19. & 24. Vndè Moſes dicit, legem dextera fulgenti atque candenti ſibi datam, Deut. 33. Regem Dauid in igne Deus exaudiuit, 1. Par. 21. Deum in igne venire Eſaias dicit 66. Verbum denique Dei, ignitum eloquium dicitur, Pſal. 118. Igni confertur Hiere. 23. Murum igneum ſeſe Deus ſuis promittit Zacha. 2. Hęc toties repeto, vt inculcem rudioribus, Ioannem nouè & ocioſè Chriſti baptiſmum igni non comparaſſe. Ignis ſiquidē, Dei, qui ſpiritus & animus eſt, inſtar ſupra omnia alia craſsiora elementa refert. Sed neque citra authoritatem Ioannes Chriſti baptiſmum, igneū atq; adeò ſpiritualē vocat, Mal. 3. Ioannis verba fundata ſtabiliūtur. Dicitur ibi. Ipſe quaſi ignis conflans* & herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentū, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Propheta per liquationē, purgationē & expiationē, tanq̄ ex diametro ad Chriſti baptiſmū reſpicit: & Ioannes iis verbis vtēs, Chriſti baptiſmum igni cōparat: hoc eſt, opus Dei, igni baptizare vocat. Q. d. Spiritusſanctus, qué Chriſtus dat, ocioſus non eſt: ſed receptus, in dies magis atque magis purgat, & vetuſtatē abſumit omnē, nouūq; hominē, bonorum operū fœcundum, & ſupra niuem candidatū generat. Hāc, chariſsimi, Chriſti baptiſmatis proprietatē obſeruate, ne quis ſibi tantū placeat & blādiatur de baptiſmo aquæ. Ioannis & apoſtolorum baptiſmus, nobis præmanibus eſt. aqua omnes tincti ſumus. de eius ſacramenti gratia, Deo ſit laus & gratiarum actio in ęternum, Amen. Grandis & termaxima res eſt, mediante aqua in † [redacted] ſanctiſsimæ Triadis baptizari. Sed & Chriſti verbum audiamus baptizati: Niſi, inquit, quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum, Ioan. 3. Eccè tibi baptiſmi vtranque ſpeciem, aquam & ſpiritum. Si negligis baptizari ſpiritu, ianua regni cælorum tibi peruia non erit. Faceſſant retinctores noſtrates, identidèm ſucclamitantes, Baptiſmus Baptiſmus: ſed nihil niſi aquam proferentes,

Ignis diuinæ maieſtatis inſtar.

** & quaſi*

† nomine

Rebaptizari habemus, ſed ſpiritu nō aqua.

quasi nobis aqua defuerit aut desit. Agè ergo Anabaptistes miselle, spiritum (si potes) prome. Hic latet res, huc tende, hic animis est opus. Nihil est, septies, immo septuagies septiès, perfundi aquâ, & in abyssum immergi, si baptizatus flaminis sacri perpetuò expers maneat. Sed heus tu mi frater: nónne sacramenti baptismatis virtutem eleuas, & sacrosanctæ Trinitatis nomini detrahis tua istac iteratione? Cedo, quem aqua tua retingis? Saracenúm ne, an Iudæum? Nónne Christon, hoc est, per sacramentum baptismi Christo incorporatum? Discredis? Cedo ergo, in quem, hoc est, in cuius nomine sunt priùs baptizati? Ioannis? Minimè gentium, sed in nomine patris & filij & spiritussancti, in Christum. Quid ergo citra exemplum sanctorum, sinè dominico præscripto, contra Ecclesiam rebaptizas? Locum haberet exemplum Pauli Actor. 19. si ij, quos remergendo submergis exotica forma, in Christon per reuerendum atque tremendum sanctæ Trinitatis nomen non essent baptizati, vt tuo officio ab hæreticorum abysso in Ecclesiæ vnitatem emergerent. Nunc nihil agis, nisi quod sanctum Triadis nomen contumelia afficis, eiusque virtutem nominis, quantum in te est, aboles & euacuas. Eià ergò absiste ab infando inceptu retingendi, sed baptizatos semel forma Ecclesiæ, euangelizando ignito eloquio perfunde, Rom. 6. ignem habes, nempe illum: Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Galat. 3. Quotquot in Christ[illegible] baptizati estis, Christon induistis. Col. 2. In Christo circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliationem corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Christi Dei, qui resuscitauit illũ à mortuis. Præcipuè & hoc Petr. 1. ca. 3. In arca Noę paucę, id est, octo animę saluę factę sunt per aquã. Quod & nos nunc similis formę saluat baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientię bonę interrogatio in Deum. Hæc & hoc genus apostolicarum prunarum & scintillarũ, per aures in corda baptizatorũ, quantùm potes, ingere: baptismum vero aquæ non repete.

Vnus in Ecclesia saltem est baptismus, quemadmodum etiam nisi vna fides, vnus Christus, vnus Deus, Ephes. 4. Baptismus ille vnicus, illuminationis superni luminis est sacramentum. illuminatus ergo, opera tenebrarum caue. Lucis opera baptismus exigit. exigentem habes. nihil supereſt, nisi vt hoc quod exigitur, præstes. ¶ Caue ergo, iterùm dico, caue præsumptuosæ & simulatæ illuminationis prophetas, qui spiritu tenebrarum perciti, operibus noctis blandiendo, locum Mar. 16. in suam ipsorum perniciem interpretantes, satis esse ducunt, si vel aqua baptizati sint, de bonis operibus nihil soliciti, siue sequantur, siue non: Nónne hi æquè errant, atquè Catabaptistæ, qui nos secundùm formam Ecclesię semel aqua baptizatos, iterùm ad immunda sua fluenta reuocant, vt infelix eorum accrescat caterua? Certè vtrinquè simili erratur exitio. Contra vtranque hæresim hic breuiter obserua: Primò, sufficere, quantum ad aquæ sacramentum attinet, semel forma Ecclesiæ catholicæ in sanctæ Triadis nomine esse baptizatum, & Ecclesiæ membrum sub vno capite Christo esse factum. Dein Christi baptismum, ad Ioannis & apostolorum baptismum. i. ad Ecclesiæ ministerium, requiri. Tertio, in eius baptismi argumentum, fidem operosam viuidamque vndique exigi, vt nouus homo in vitæ nouitate ambulet. Sic vita æterna in quatuor consistit articulis: Aqua, spiritu, fide, & conuersatione. Contestor omnes hæc audientes: si quis aliquid adiecerit, ignem scilicet Iacobitarum, & geminatam aquam retinctorum, aut aliquid dempserit, putà ignem & spiritum diuinum, Iouinianam iustitiam citra fructus spiritus. i. bona opera statuendo, Deum ad animam eius plagas additurum, gratiamque suam illi denegaturum, partem eius è libro vitæ auferendo.

Nouæ Euangelicæ sectæ baptismi spiritus hostes iuxta atque dibaphi.

Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioānes baptizans. Fidelis historici est, topographia historiæ veritatem affirmare & fulcire: quod Ioannem Euangeli. hic facere videmus. Habet præsertim locum diligentia ea, quoties grandius aliquid inciderit. Vndè grauitate certa Ioannes, ea quæ prædicta sunt, hoc scribendi schemate duxit perpetuanda. Sensus huius particulæ est: Baptisten sui baptismatis non puduit, neque de suo officio

erubuit. Neque enim in angiportu, sed in loco celeberrimo, Christi anteambulonem agens, baptizauit: nempe in flumine omnium nobilissimo Iordane, Iudæam & Galilæam præcipuas filiorum Dei sortes, interlabendo discernente. Hic Iosue mirandis factis claruit, Ios. 3. Psal. 114. Hic Christus baptizatus, Matth. 3. Trans Iordanis flumen sita erat † Bethbara, quæ celebratur Iudi. 7. vbi Gedeon præcepit Israeli, vt Madianitis Iordanem præriperet & præoccuparet. Ibidem loci Oreb & Zeb, insignes Madianitarum duces, sunt occisi. Bethabara interpretantur electam domum. Significat Ecclesiam electam vt luna, & præelectam Christi mansionem. Vbi ab apostolis & apostolorum successoribus, sacra traduce baptizatur, vbi veritas & efficacia sacramenti. Viderit vitis aliena. Qui hic Bethabora legunt, cum illis mihi ratio non est. Bethabora enim oppidulum erat etiam in deserto quidem, sed aliud à Bethbara, vt vides Ios. 15. 18. Interpretantur domum deserti, quod in deserto situm esset, sic dictum. [redacted] ? Esaias Ioannem denunciauit clamaturum in deserto, putà eo deserti loco, vbi preterlabebatur Iordanis, Mat. 3, Lu. 3. Verùm nè quis arbitretur hodiè Bethabara legi inceptum esse pro Bethania, nouerit Chrysostomum ho. 16. adfirmare, exemplaria correctiora habere Bethabara: neque item Bethaniam sitam esse trans Iordanem. Idem & Theophylactus asserit in Ioan. 11. & 12. Hunc nostræ paruitatis laborem, aures vestras pulsantem, digitus Dei cordibus vestris clementer inscribat. Huic sancto pneumati cum filio & patre vni & trino, sit laus & gloria per æterna secula seculorum, Amen.

Bethabara interpretatio & significatio.

DOMINICA QVARTA ADVENtus, Ioann. 1.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sac, &c.

¶ SECTIO Literalis.

1 *Splendida de Messia indagatio, Christum verum Deum & verum hominem declarat.*

2 *Præclara Ioannis de Christo testificatio, Christo omne iudicium & omnem potestatem traditam exprimit.*

3 *Descriptio loci, facit ad certitudinem rei insinuandam.*

¶ DECLARATIO.

1 *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas. Sacerdotes & Leuitæ mittuntur: si reges & principes essent missi, non tanti esset legatio. Mittuntur ex Hierosolymis, quod item legationem declarat esse magnificam. Interrogant de Christo. Vide, synagogam veterem non expectasse tyrannum externi regni. Fuerunt, fateor, plerique carnales, sed nihil hoc ad veros Israelitas.*

2 *Ego vox clamantis in deserto, &c. Ioannes multa magnifica de Christo dicit. Vnde collige, Christum iudicem esse viuorum & mortuorum. Dicit se vocem esse clamantis, non clamantem. Christus stabat & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &c. Christus verbum quod condidit & continet omnia. Ioannes eius verbi vox est, id est, præco testis. Christus quoque lux est, Ioannes lucerna. Ioannes baptizat aqua, non spiritu & igne. Indignus ergo, qui procumbens, Christi calceamentorum soluat corrigias. Hoc est. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat. Inutiles serui sumus, etiam cum omnia quæ nobis præcepta sunt, præstiterimus.*

3 *Hæc in Bethabara facta sunt, &c. Bethania trans Iordanem. Topographia seruit rei certitudini. Iordanis est nobilissimus Palæstinæ fluuius. Duæ Bethaniæ: altera citra Iordanem, non procul ab Hierusalem, vbi Lazarus suscitatus: altera trans fluuium ipsum Iordanem, vbi baptizabat Ioannes. Notus in Iudæa Deus. Salus ex Iudæis Messias Israeli promissus. Iordanis, sacramenti baptismi habet typum. Adeo omnia de Christo mysteria continet Iudæa. Vnde Euangelista exprimit tanta sedulitate etiam ipsum locum, vbi hæc sunt facta.*

¶ SECTIO Mystica.

1 *Euangelion, est verbum crucis, mundi potentibus & sapientibus stultitia.*

2 *Electis, virtus Dei ad salutem.*

3 *Euangelion hoc ipsum, in Ecclesia efficax salutis est, tam in doctrina, quam in sacramentis & disciplina.*

¶ DECLARATIO.

1 *Iudæis carnales, carnalia tantum sapiunt: nihil ergo in scriptu-*

ta quærunt de Christo, nisi pompam & gloriam huius mundi, quale est hoc Genes. 49. Iuda, te laudabunt fratres tui, &c. vbi multa hyperbolicè dicuntur de Messiæ gloria, mystice omnia accipienda. Item apud Esaiam: Festina prædicari. Item: Quis est iste de Bosra? Ioannem credebant Christum, quia ratione natalium & externa specie sanctimoniæ, mundo glorioſior apparuit, filius Pontificis, & austeritatem vitæ amplectens, quam filius fabri, inter plebeios degens, cum hominibus edens ac bibens.

2 *Ioanni Christus & verbum Christi virtus Dei Ioannes significat gratiam, significat populum gratiæ. Altera dies significat tempus Euangelij. Require de altera ea die statim post hanc lectionem. Prima dies significat legis tempus. Tertia dies est, in qua Christus resurrexit, & significat tempus gloriæ. Paulus stercus reputauit omnem legis iustitiam, vt fidei obtineret iustitiam. Obserua: Non sum dignus soluere calceamentorum eius corrigiæ siue ligulas: hoc est, Non sum dignus tangere carnem incarnati verbi, Non sum dignus nomẽ Iesu in os meum accipere, Non sum dignus Verbum incarnati Verbi prædicare.*

3 *Bethania significat Ecclesiam. Quod si secundum Vuicelium & alios, Bethabara legis, nihilominus manet mystica interpretatio Ecclesiæ Bethabara significat electam domum. Ecclesia est quoque electa & præelecta. Hic Christus baptizatur, hic Christus testimonium habet Ioannis & Ecclesiæ: hoc est, extra ecclesiam non est veritas verbi & sacramentorum.*

¶ SECTIO sensus Moralis siue Ethici.

1 *Euangelion, teste Paulo, est virtus ad salutem omni credenti.*

2 *Mundus gratiæ obicem ponit. Electi, atque adeo veri catholici, qui per Ioannem Christo viam munientem significantur, vita & doctrina Christi gloriam, non suam, quærunt.*

3 *Hoc ipsum Ecclesia sic exigit.*

¶ DECLARATIO.

1 *Euangelion virtutem esse Dei ad salutem omni credenti, supra satis est dictum, Vide Rom. 1.*

2 *Obex gratiæ ponitur fastu, concupiscentia carnis & oculorum. Contra per humilitatem, frugalitatem & castimoniam, gratiæ Dei via paratur. Illud vides in parabolis nuptiarum, item in parabola cœnæ, item in parabola boni seminis & mali &c. Hoc illuxcessit in exemplo Pastorum, Magorum, centurionis & aliorum. Act. 7. vide qui semper spiritui sancto resistant.*

3 *Remouetur obex per veram catholicam & orthodoxã doctrinam. Hæresis obicem alium supra alium profert, disciplinas Ecclesiæ reprehendens omnes, bona opera merito priuans suo, peccata paria faciens, &c. Attendatur, mysterium loci quam Moralitatẽ importet. Bethania dicitur domus obedientiæ significat ergo obedientiam conuenire baptizatis. Bethabara significat electam domum. Eliguntur solum obedientes. Obedientia plus quam victima.*

IN FESTO NATIVITATIS Christi, Ad Titum secundo.

APparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, iustè & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, In Christo Iesu Domino nostro.

PRAEFATIO.

QVàm paucissimis verbis Apostolus totum complectitur Christianismum. Gratia, inquit, Dei seruatoris nostri Iesu Christi apparuit, in quo verbo mysterium incarnationis adumbrat: Consilium æternum Dei delineat, nempe hoc, quo prædestinauit nos in Christo seruandos omnes. Maxima hęc Dei erga nos (vt eadem Epistola ait) benignitas, maximam ergo & gratitudinem importat atque è nobis exigit, Rom. 6. & alibi grauissimè inuehitur in eos, qui gratiam Dei ità accipiunt, quasi in ansam nequitiæ ea nobis contigerit. Videre videor Apostolum in hæc nostra respexisse tempora: adeò frigidè hodie Christus traditur, quasi euangelium sit lenocinium. Sola fides vsque ad nauseam, nedùm saturitatem, prædicatur: operum bonorum præ-

Hæretici pauliniſtæ noui, Paulum accusatorẽ præcipuũ habebunt.

mium,iuſtificationis putà & gloriæ,quaſi prorſus papiſticum commentum, exploditur. Doctrinam eam qui fructus ſequantur,nôrunt qui tempus antequàm nouum illud euangelium naſceretur,rectè peruiderũt,noſtrúmque hoc præſens tantæ nouæ lucis conſiderant. Apoſtolum Paulum noui illi Euangeliſtę identidem crepant,idque ad tertium quodque verbum. Sed præſentiſsimum tandem accuſatorem habebunt eum ipſum Apoſtolum quem adeò perfidè torquent atque lacerant. Audiant breuem hanc lectiunculam: primò docet gratiam nos aſſeruiſſe,non in ocioſæ fidei prędicationem,ſed in duplicem gratitudinis anſam. Secundo cauſam eam, quarè gratia tanta nobis acciderit, explicat: nempe nos ad gratiam eam adſcitos, vt ſectatores bonorum operum efficiamur. Denique dicit hoc ipſum verè eſſe euangelium prædicare:reliquam doctrinam omnem,adulatoriam eſſe & pernicioſam.

Apparuit enim gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus. Nè quis gratiam Dei in vanum accipiat, cauſalis coniunctio non eſt omittenda. Parænesin moralem præmittit,dicens:Senes vt ſobrij ſint, Anus ſimiliter in habitu ſancto,Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint:Seruos dominis ſuis ſubditos eſſe &c. Sequitur: Apparuit enim. Aptè cauſalis appoſita. Summa eſto,Non ad licentiã,ſed ad pœnitentiã nobis gratiã Dei apparuiſſe. Sic & Dauid gratiæ ſubdit iudicium,Pſalm.100. Et Apoſtolus ait: Neſcis quia longanimitas Dei ad pœnitentiam te inuitat?Roman.2. De gratiæ Dei contemptoribus vide Galat.5. Apparuit gratia Dei.teſtes paſtores,teſtes Magi,teſtis Baptiſta,teſtes Apoſtoli & diſcipuli,teſtis Centurio, qui Chriſto crucifixo ait, Verè filius Dei homo iſte erat.

Apparuit gratia: quarè autem hoc?Nonnè vt gratiſimus? Vtiquè. Sed nunquid hoc ſinè fructu?Minimè gétium: gratiam pro gratia, è claritate in claritatem: habenti dabitur,& abundabit. Viderit quiſque vt gratiam Dei prædicet. Chriſtus venit quæſitum peccatores. Rectè hoc. Quærit autem, vt ad curſum iuſtitię inducat. Quid ergò ſtadium euangelici curſus, hæretici inuium faciunt.arctum ſtadium alterum antiquantes?Indulgen-

Hæretici curſui virtutis moræ nectere præſumũt

tiam non ſatis eſt prædicare. fit enim peccandi licentia, niſi vnà doceatur pœnitentia. Non traditur ſyncera pœtentia, niſi tres eius partes clarè & exactè vnà expriman tur. Humiliauit ſe ſummus: ſed nunquid vt infimi quique vermes ſeſe efferant? Haudquaquam, ſed vt ſeſe nihili eſſe agnoſcant, & excelſi dexteræ ſeſe humiliare diſcant. Nunquid & hoc facere ſinè fructu ipſos dicemus? Quis hoc dixerit, oro, niſi gratiæ Dei abiuratus inimicus, Iouinianus, & hoc genus hæretici, bonorum operum & Eccleſię diſciplinarum hoſtes, eccleſiæ perduelliones? Quemadmodum Chriſti erga nos bonitas non exactè prædicatur, niſi moralia quoque eruantur: ſic & tota hiſtoriæ frigidè traditur, etiam ſi omnia myſteria ad ſaturitatem vſque excutiantur, niſi moralia vndique ſatis grauiter explicentur. Exempli gratia: Chriſtus prędicatur natus ex virgine, ſubeſt myſterium hiſtoriæ, nempe hoc Chriſtum verum eſſe Deum. Nam vt diuus ait Bernardus, Dei filium nulla alia decuit genitrix, quàm virgo. Quid nunc? Satin' hoc ad abſolutam iuſtitiæ prædicationem? Haudquaquam. Sed optimo fundamento dignum ſuperſtruendum ædificium. Quale autem hoc? Virginitatis prędicatio & meritum. Hæc omnia iam appárent in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Nihil horum ante Chriſtum natum, claritate tanta mundo fuit cognitum: vndè pauciſsimi item ſeſe propter regnum cœlorum caſtrârunt. Poſt prædicationem verò euangelij Chriſti, etiam ij qui in coniugio erant, caſtimoniam liberorum ſuſcipiendorum officio benè prętulerunt, nedùm qui liberi erant, matrimonij laqueis ſeſe mancipare non ſtuduerunt: niſi vidiſſent ſe ſinè certo animæ ſuæ periculo ſolos degere non poſſe. Antichriſti euangelion longè aliud erit, nempe quòd merita bonorum operum virtutumque omnium vſqueadeò leniter tradet, vt etiam bigamiam ſtatuat. Chriſti euangelion prædicatum eſt omnibus hominibus, de Chriſti euangelij ſenſu nemo dubitare poteſt, tot & tantis eccleſia Chriſti exemplis abundat ſanctorum martyrum, confeſſorum, virginum & continentium. Si in hunc diem latuit mundum, delirat Apoſtolus, qui dicit apparuiſſe olim. Quod dicit, omnibus hominibus, intellige etiam

Catholici opera bona fructus ſpũs mxtà atque fidẽ prædicãt.

Euãgeliũ antichriſti bonis operibus adueſatur.

Euãgeliũ prædicatiõ eſt.

ethnicis. Ireneus & alij vetustissimi scriptores testantur etiam Germaniæ ecclesiam, matris Romanę non esse postremam filiam, sed ab antiquitate gloriam ferre præcipuam. Rectè ergo ait Apostolus, omnibus hominibus. Insaniunt ergo noui euangelistæ, nouum euangelium suum adeò extollendo. Quòd operum bonorum, fructuum fidei, fructuum spiritussancti, iustitiam prædicamus, hoc non facimus in fraudem, sed magis in laudem glorię gratiæ Dei. Omnia Christo Domino nostro referimus accepta, idque sensu orthodoxo & catholico. Mortuus est Christus propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, Roman. 4. Gratia & veritas per Iesum Christum, Ioann. 1. Euangelion quoque dicitur gratię, Actor. 10. Breuiter, non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat saluari, nisi nomen Iesu, Actor. 4. Hoc euangelium nostrum, quod è matris ecclesiæ suximus vberibus, nempe ab eo, cuius perfectio consistit in charitate & bonis operibus, in gloriam gratiæ Dei, per spiritumsanctum semper edendis siue proferēdis. Maledicta meretrix illa hęresis blanda, immò & calumniosa, quę vel blāditiis vel conuiciis ab isthoc nos euangelio Romanæ ecclesiæ absterrere conatur.

Erudiens nos, vt abnegantes impietatem & seculatia desideria. Vides quid sibi Christianismus velit. Hic est scopus totius epistolę ad Titum. Insanum quis non immeritò dixerit Apostolum, qui tantopere in morali versetur prædicatione, si nulla ex bonis operibus iustitia est sperandа? Gratia, atque per hoc status euangelicus erudit nos, primò vt cauti simus & hęreticis nęniis fidem non adhibeamus. Gratia prædicatur non parcè, sed plenè. Sinè merito datur, vt per eam ad meritum tendamus. Hæresis perfectam eam prædicationem gratiæ, heu mihi, quantum mutilat? Friuolos facit hæresis apostolos, aut certè negligentes. Conferantur hæc nostra tempora noui euangelij, cum temporibus superioribus: conferantur noui apostoli & apostolæ cum vetustis illis. Illi sua omnia reliquerunt, & pauperibus distribuerunt: his nihil satis: illis gloria mundi mors, hi ad mundi pompam nati videntur. Erudit nos euangelion, vndè

Christianismus præcipue circa opera vere saturbona

Euāgelīū est peda-

gogia, sed alia à synagoga atq; ab ethnica philosophia.

non immeritò pædagogia dici potest: sed alia est ab ea, quæ fuit synagogæ. Ecclesia spiritum sanctum, non Mosen, habet didascalon. Vnctio nos docet non exactio. Quid autem docet vnctio? Solan fidem? Audiatur Apostolus, credatur verbo Dei, Vt abnegantes impietatem & secularia desideria. Impietas primò est infidelitas omnis, tam Iudęorum quàm ethnicorum, superstitionis. Iudæos itaque monet Euangelion relinquere fiduciam legis iustitiæ. Ethnicos itidem cohortatur, sua numina abnegare & detestari, Iouem, Saturnum, Apollinem, Mercurium, Venerem, Iunonem, Mineruam, &c. Idololatria, Eusebię est expers omnis: asebia est omnis cultura deorum. Est autem asebia, aliquid quod extra Deum, extra fructum spiritus sancti, & præter verum Dei cultum est. Impietas dein est, quod sobrietati, iustitiæ & pietati opponi potest, nequitia carnis & vanitas mundi, cui etiam sub sacramentum baptismi abnegamus traditione ecclesiastica, vtique etiam apostolica. Abrenunciandum item est fidelibus, secularibus desideriis, hoc est, criminibus quibuscunque. Desiderium hic accipitur quasi oblectamentum, vxorem ducere, & eam tanquàm meretricem adamare: & dicere, Venire non possum: iuga boum emere, villam item in potestatem suam redigere: & dicere, excusationem dic accipiat. Hæc mundi sunt gaudia, atque adeo desideria. Contra hæc mundi desideria agitur, Galat. 5. Petrus quoque ea damnat 1. capit. 2. Item Roman. 3. Ephes. 2. & 4. 1. Timoth. 6. 2. Timot. 2. 1. Pet. 3. 1. Ioan. 2. & alibi in sexcentis locis cupiditates hæ seculi huius taxantur. Ioannes quoq; ea crassiori Minerua exprimit, dicens: mundum nihil aliud esse, quàm desideria carnis & oculorum cum fastu. Iam theori sacrę deditus quisque secum perpendat, vbinam verus Christianismus sit situs. Militia nostra non ex desidia & verborum copia probatur, sed ex strenuitate. Regnum, ait Apostolus, cælorum non est in sermone, sed in virtute.

Sobrie, iuste & pie viuamus in hoc seculo. Præmissę primæ parti pædagogiæ gratiæ, alteram præsentem hanc Apostolus subdit. Prima est, declinare à malo: altera, de qua hic agit, est, facere bonum. Hæc operationis bonæ

Pietatis

pars,

pars,tres habet sectiones atque articulos,citra quos vix fidelis aliquis atque baptizatus iustificabitur.Sobriè viuendum nobis accepta gratia:quod est exercitium, castigatio atque disciplina, qua vtendum erga nos ipsos. Iustos nos decet esse, in omnibus officiis & conuersationibus: atque hoc est quod proximo debemus. Pios nos esse decet, hoc est, timentes,colentes,atque amãtes Dei:atq; hoc est quod Deo debemus. Debemus, inquã, tam Deo quàm proximo: ergò inutiles serui sumus, etiam si omnia quæ iubemur, præstiterimus. Fatemur hoc,& cum Apostolo (si tamen nostrûm alicui hoc fieri verè poterit) dicimus: Nihil mihi conscius sum, atqui non in hoc iustificatus sum. Sed hæc cum Apostolo dicentes,sensum eum, quem Apostolus habuit, retinemus:hæresin nullam comminiscimur. Tradux ecclesiæ, de sensu Apostoli nos facit certiores. hæreses ergò auersamur. Bonum opus non ex nobis æstimamus, sed ex eo qui ait,Sine me nihil potestis facere. Item ex eo,sine quo ne quidem nomen Iesu possumus nominare. Dicimus ergò cum Christo de Maria vnguenti effusione: Bonum opus operata erga Christon,cum euangelio Christi prædicandum vel vsque in finem seculi. Dein cum eodem Christo dicimus: Quicunque dederit haustum aquæ frigidæ vni ex minimis, mercedem suam habebit. Si secundùm nouos Iouinianistas eiusdem meriti est,per ieiunium sese affligere,& genio indulgere: nubere,& propter regnum cælorum se castrare:ociosè Apostolus tantoperè sudauit in commendatione virtutum siue operum bonorum. Sobrietas propriè est circa potum inebriatiuum. Dicitur sobrius, quasi sine ebrietate. Per sobrietatem temperantia etiam significatur, gulæ & crapulæ contraria virtus. Largè sobrietas accipitur pro modestia in re. Apostolus hic propriè loquitur. Abstinentia siquidem est omnium quodammodò basis virtutum. Euangelistæ nostrates luxum fastuosum & vanitatem vestium cùm matronarum nostratium tum heroum, omnem ethnicorum profusionem & turpitudinem superantem,ioco quodam eludunt: itidèm faciunt de ebrietate & crapula. Vndè etiam sobrietati suam non tribuunt commendationem. Nos magni meriti

tres species ad salutẽ præcipuè commodæ.

Sobrietas qualis virtus.

virtutem cum Apostolo profitemur, iustificandi ratione haudquaquàm carentem. Iustitia item est virtus cuique suum tribuens, neminem calumniis afficiens, omnibus sese fruendum præbens. neque hæc virtus, quę circa officia ciuilia versatur, suo fraudanda est præmio. Dicimus ergò cum Ioanne: Qui facit iustitiam, iustus est: vtique apud Deum, cuius gratia iustitiæ obseruans existit. Pietas est ipsa religiositas: theosebia, timor Dei, gloriæ Dei ardor, cultus diuinus, non solùm in affectu consistens, sed in effectu se prodens, cæremoniis putà & solennitatibus ecclesię ritè vtens, exemplo Dauid, qui ante arcam Domini exultando & ouando, à Michol impiè est irrisus. Hæresis fastidiosa Michol, ità etiam irridet catholicos, huic pietatis cultui deditos: vndè Dei spiritu maledicta, nunquàm proficiet in æternum. Verbum Domini manet in æternum. Ecclesia prævalet portis inferorum in æternum. qui ecclesiæ sunt, benè operari non absistunt, scientes quòd Dominus qui retributor est omnium bonorum, operis boni per Christum facti, non obliuiscetur. Huc faciunt loca scripturę Roma. 13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, 2. Corint. 6. Eccè nunc tempus acceptabile, nemini dantes vllam offensionem. Ephes. 4. carpit eos, qui Christum nomine profitentur, factis non item. Videat sacerdos catholicus ipse.

Iustitia suum cuique tribuit.

Pietas qualis sit.

Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri iesu Christi. Attendamus fratres ordinè, obseruemus sensum, notemus mysteria. Vel hic liquet, bona opera, sobrietatem, iustitiam & pietatem iustificare, seruare, beare. Hic vides Thomam nihil delirare, spem beatitudinis definientem: Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, proueniens ex gratia Dei & ex meritis nostris. Spes peccatorum peribit. Qui arat, debet arare in spe fructus percipiendi. Dixerat Apostolus de gratia, eam nimirùm apparuisse. Deinde rationem, quam ob rem apparuerit, solerter addit, dicens, eam nos erudire, vt declinemus à malo, & exequamur præstemusque id quod est bonum. Postremò optimo ordine, gratiæ Dei & bonorum operum vsum subnectit atque exprimit, dicens: Expectantes beatam spem, ac si dicat: Sic

Opera bona iustificant.

Operum bonorum fructus, spes.

itur ad astra. Illa spes non confundit. Non dabit in æternum Dominus fluctuationem iusto, Psalm. 54. Qui verò dicent: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? item, quorum lampades sunt extinctæ, pudefient, audientes horrendum verbum: Nescio vos. Expectatio beatæ spei, est expectare beatitudinem speratam. Expectatio est longanimitas, patientia, perseuerantia. Qui perseuerauerit vsque in finem, beatus erit. In patientia vestra, ait possidebitis animas vestras. Aduentus gloriæ magni Dei, 1. Corinth. primo vocatur Apocalypsis, propterea quòd in maxima Dominus tunc apparebit gloria, & quòd tunc electi filij Dei manifestabuntur, Roma. 8. Philip. 3. Hic vocatur Epiphania propter maiestatem eam, in qua Dominus tunc apparebit, Matth. 17. 25. Luc. nono. vigesimoprimo. Magni Dei, ait: & addit, quis ille sit magnus Deus, nempe Iesus Christus. Quarè ergò non maior vel maximus? quia nisi vnus omnipotens, omnia in omnibus solus. Ethnicorum dij alij aliis sunt maiores, & minores. noster Dominus solus est, ergò magnus, nihil eo maius. Maximos illos tyrannos veniet maximis tormentis adiudicaturus. Neque poterunt maximi illi gigantes, magno Deo resistere. Beatus qui se huic magno submittit, huius mundi maximus rex, atque adeò huius mundi deus.

Magnus noster Deus, quippe quo nihil maius aut maximū.

Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. Suprà dicta repetit & fulcit. Dixit gratiam nobis apparuisse, atque nos erudiuisse: hoc ipsum iam repetit, atque adeò geminatione isthac corroborat, nobisque commendatitius facit. Obserua & hic ordinem eruditionis spiritualis. Erudit nos spiritus Dei in euangelio, vt abnegemus impietatem, & viuamus sobriè, hoc est, fugiamus mala, & amplectamur bona. Hoc ipsum & hoc loco agit. Dicit seruatorem sese pro nobis obtulisse, vt redimeret nos ab iniquitate, & faceret populum bonorum operum studiosum, vt infrà latiori campo explicabimus. Hic obserua, Apostolum Christi mortis duplicem vsum tradere.

Primò nos liberauit, quia præter Christi mortem, nulla vita extat reliqua. Mors ea, mortis mors & inferni est aculeus.

Christi mortis duplex vsus.

Secundò, Non omnibus Christi mortis effectus contingit. Continget autem illis qui Christo commoriuntur, huic mundo putà & omnibus huius mundi pompis vanitatibusque. Vide de hac re Rom. 6. 1. Cor. 5. Gal. 1. Ephes. 5. Colloss. 1. Petrus quoque hac de mortificatione præclarè dicit, 1. cap. 2. Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt insequeremur vestigia eius. Item, Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quo peccatis mortui, iustitiæ viueremus. Attende puerum nobis natum, cuius imperium super humerum eius. Mortalis factus immortalis, hoc est, mortalitatem assumpsit & corpus passibile, vt eius vibicibus seruaremur

Nativitatem Christi & passionẽ Apostolus cõnectit.

O grande mysterium incarnationis, ô sacramentum salutare passionis Dominicæ. Cohærere ea fecit Apostolus, quia natus vt pateretur. Sed attende neque historiam rectè tradi, neque item mysteria ritè explicari, nisi & moralia sedulò doceantur. Non autem docentur moralia rectè, nisi etiam declaretur, sanguine Christi omnia fidelium bona opera imbui, hoc est, Christi fieri merito, per spiritum sanctum nimirùm, qui nobis Christi beneficio datus est. Sic denique bona opera, meritoria sunt maioris atque maioris gratiæ atque gloriæ. Noui euangelistæ bona opera sua orbant laude, negantes ea aut iustificare, aut seruare. Sic enim cantillant: Sie gelten nichts sie kunden nicht behutten, hoc est, nullus eorum est vsus, neque enim custodire possunt. O purum putum euangelium. illi me planè est, Sola fides iustificat, etiam excluſa charitate & omnibus charitatis fructibus. Qua

Euãgelio nouo respõdẽt mores euãgelist. nouorum.

le euangelion, tales & facit auditores, ex talibus item prædicatur prædicantibus. Quid prædicantibus nouellis effœminatius? quid mollius? quid impurum magis & æquè in syncerum? Insignes vitiis omnigenis prędicantes, discipulos habent magistris tantis non absimiles. Ogganniunt subindè ecclesię sanctorum, professionem catholicam & disciplinas ecclesiæ identidem taxantes, quia mendacij & veritatis nulla est conuentio.

Et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare, In Christo Iesu Domino nostro. Vide an sufficiat solùm, credere Christum incar-

natum & mortuum. Si sufficit, superuacaneum est quòd Apostolus dicit nos sanctificatos ad bona opera. Si bona opera necessaria sunt ad beatitudinem, atque adeò ad iustitiam, vana est doctrina noua solius fidei. Opera bona necessaria esse ad salutem, vides tum alibi, tum etiam Ephes. quinto, Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, vt illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum, vt adhiberet eam sibiipsi gloriosam ecclesiam, non habentem vllam maculam aut rugam, aut quidquam eiusmodi, sed vt esset sancta & irreprehensibilis. Eadem ferè legis Coloss. primo, in hęc verba: Reconciliauit vos in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos in conspectu suo. Videtis charissimi, Christi mortem non debere prædicari ad solam fidem, citra charitatem iustificantem, acediæ & socordiæ materiam. Hæc in genere, nunc singula verba excutiamus. Vt mundaret, ait, sibiipsi populum peculiarem. Mundaret, hoc est, designaret, sanctificaret, vendicaret &c. Ethnici seriùs vocati ad exercendam colendamque vineam mysticam, diximus: Nemo nos conduxit, Longè aberamus à testamento Dei, nesciebamus voluntatem eius, non populus eius. Nunc verò sumus & vocamur filij Dei viuentis. Sed filij non natura, sed gratia, vt imitemur & æmulemur eius sanctimoniam, atque erga nos benignitatem. Estote, ait, sancti, quoniam ego sanctus sum. Iterùm: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Zacharias quoque ait: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Mundati sanguine testamenti, aqua salutari, hoc est, baptismi sacramento, vbi candidam recepimus vestem, puram ad iudicis tribunal perferendam. Desponsati sumus illi per fidem, corda nostra fide sunt sanctificata, Acto. decimoquinto, vt fidem seruemus tanto & tali sponso, non solùm ab omni nos idololatria cauendo, verùm etiam omnem hęresin & schismata omnia fugiendo. Populum sibi sanctificauit acceptum, gratum atque peculiarem. Ethnicus superstitione idololatriæ omissa, Iudæus, quoque carnali obser-

Fides sola non sufficit.

Christianorũ duo præcipua nomina quæ.

uatione legis in spiritualem mutata, nouus fit populus Deo specialis, gratus & charus. Christianos duobus nominibus præcipuè vocatos, hic obserua. Primum nomen ab Hebræis dictum est *Segullah*, Græcè περιούσιος, quo sanctus Apostolus Paulus vtitur. Ethnici, præcipuè Demosthenes & Lucianus, accipiunt periusios vocabulum pro copia, abundantia atque affluentia. vndé etiam periusios plerique diuitias interpretantur. De huius etiam vocabuli interpretatione multùm laborârunt catholici prisci. Non simpliciter *Segullah* opponimus periusię dictioni. Sic enim *Segullah* Exodi decimonono Deute. 7. Psalm. 135. Mal. 3. à Septuaginta versoribus in periusia est edditum. Hoc nomine significabant Israëlem Dei esse peculiarem, electum, & gratum populum. Olim erat Israel *Segullah* Dei, nunc sunt ipsum etiam ethnici in Christum credentes. hoc est, sunt populus specialis Dei, specialiter Deo acceptus, cuius religiosa conuersatio, Deo est gratus odor & holocaustoma: iuxta quod & capillus vnicus capitis sponsę, immodicè sponsum afficit. Atque hoc de primo Christianorum nomine. Iuxta alterum nomen Christiani sunt zelotæ καλῶν ἔργων, hoc est, homines qui bona opera non solùm sponte sua operantur, verùm etiam qui enixè & exquisitè bonis studeant operibus. Veri fideles hac in re imitantur ipsum patrem cæleste, sponsum nostrum Christum, & spiritum Dei sanctum. Dominus noster *kanna* siue zelotypus est, hoc est, vehemens nostri amator, Exod. 20. Decet igitur & nos esse *Am kanna tobim debarim*, hoc est, æmulatricem gentem operum bonorum. Hoc quoque importat Paulina dictio zelotes. Haud scio an etiam possit vnico Germanico exprimi vocabulo. Neque enim periusios dictioni nostræ linguæ dialectos respondere potest, vt habeat dictionem tali consonam & competentem. Grandia mysteria, grandia requirunt vocabula. I nunc euangelista Luterane, & grandia ea mysteria extenua atque elude, sola fide Christianum absolutum absolutæ iustitiæ docendo. Si frons tibi aliqua est & cor, nè dicam spiritus Dei, teipsum hic mendacij notabis. Sed si plura eius sensus loca requiras de bonorum operum commendatione, vide Matt.

26. Bonum opus operata est in me. capit. 5. Vt videant vestra bona opera. Item 2. Corint. 9. 1. Tim. 5. 6. 2. Tim. 3. Tit. 1. Act. 9. 1. Petr. 2. Dicis Apostolum in tertio capite huius epistolæ ad Titum, aliter scripsisse, nempe in hæc verba: Postquàm bonitas & erga nos amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritussancti, quem infudit nobis opulentè per Iesum Christum seruatorem nostrum, vt iustificati gratia illius, hæredes efficeremur iuxta spem vitæ æternæ. Attende Apostoli verba: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Opera iustitiæ, ait, hoc est, opera iustificantia. atque hoc propter opera fidei, opera spiritussancti fructus, verè iustificantia. Sed hęc opera citra fidem sunt mortua. talia fecimus ante fidem Christi, vndè & nullum eorum erat meritum. Aliud itaque cap. 3. agit, aliud hic. Ibi agit de operibus legis, quemadmodum etiam Rom. 3 4 9. Galat. 2. 3. 4. Luce item clarius hoc vides Philipp. 3. vbi dicit iustitiam legis, quæ sibi in Iudaismo lucrum maximum erat, reputasse detrimentum, propter eminentem scientiam Domini Dei nostri Iesu Christi. Hæc quoquè Apostoli verba, obscura non sunt. Ait, Quæ fecimus, non, Quæ faciemus, aut facturus in nobis est spiritus Dei. Misisse vult Deum filium suum nobis Sotera mera sua gratia, mero amore erga nos suo, Ioann. 3. tunc cùm adhuc inimici eius eramus, Romanor. 5. Hoc ipsum huius epistolæ capite tertio, fusius prosequitur. Et nos quoquè confitemur non solum legis prærogatiuam, immo etiam omnium sanctorum angelorum puritatem, nobis eam gratiam incarnationis & passionis non meruisse, sed gratis eam nobis gratiam contigisse. Hoc ita esse, etiam gratiæ nomen arguit. nisi enim gratuita esset, gratia dici non posset. Sed qui ex fide cordis sumus iustificati, oportet vt porro fide oris, & eius fidei fructibus, bonis operibus iustificemur ex fide in fidem, & gratiam pro gratia. Sic secundum sensum catholicum, Apostolus noster sibi vndique consentit, qui secundum nouum Euangelium vndiquè sibi luctatur. Summam Euangelij Christi Apostolus

Paulum in doctrina fidei & bonorũ operũ sibi cõtrarium non esse.

Apostolus Paulus in doctrina fidei & bonorum operum, secundũ nouum euãgelium sibi non cõsentit.

paucis perſtrictam, omnibus verè fidelibus Dei verbi diſpenſatoribus ſic commendat prędicãdam. Faxit Deus, tale Euangelion denuò prædicetur, nouo exterminato antichriſtico illo rixarum pleno. Sponſus Eccleſiæ tempore pacis natus, rex pacis, exploſo nouo illoc Euangelio, priſtinæ pacis decus, ſuæ eccleſiæ reſtituere dignetur, Amen.

EADEM IN FESTIVITATE NATALIS Chriſti, Euangelium.

Luc. 2.

EXiit edictũ à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem, &c.

PRAEFATIO.

QVicunque Chriſti nomine cenſemini, hac potiſsimùm luce gaudete. Qui Dei eſt, qui verbo Dei vel tantillum afficitur, hac feſta die gaudeat, lætetur & exultet. Gaudete, iterum dico, gaudete filij Dei & ſerui Ieſu Chriſti. Audite Eſaiam ad ſolida tanta gaudia vos exortantem, ca. 40. Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem. Iterum ibidem: Conſolamini conſolamini populo meus. Item ca. 52. Conſurge conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuę Hieruſalem ciuitas ſancti. Gaudete & laudate ſimul deſerta Hieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Hieruſalem, parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Gaude ſponſa: ſponſus enim tuus diademate, quo eum mater ſua coronauit, tanquam ſponſus de thalamo ſuo procedit. Angelõ poſt prophetã audi, te ad tanta tua gaudia exhortantem: Annuncio, inquit, vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Vobis enim natus eſt hodiè ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Vides me haudquaquam temerè ad ſumma gaudia vos exhortatum eſſe, cùm hoc non ſolùm prophetæ factitent, ſed & ipſe archangelus, natiuitatem ſalutaris Dei Ieſu Chriſti annuncians, hoc agat. Athana-

sius in li. quęst. affirmat fideles electos in ecclesiæ solennitatibus præcipua quadam dulcedine tangi. In loco eo etiam huius sacrosanctę meminit solennitatis, natalis scilicet nostri Saluatoris Iesu Christi. Idem asseuerat, sensum eius dulcedinis & spiritualis lætitiæ, aptissimum argumẽtum esse in sacramento baptismi spirituſſancti accepti. Eia ergò fratres & sorores charissimi, huius festiuitatis profundissima sacramenta ritè perpenditè. Oracula de incarnatione Christi recolite. Hinc cordis dulcedo proculdubio nobis cõtinget: sunt enim eloquia Domini super mel & fauum dulcia. Scriptura de incarnatione atque animatione verbi, iam cõpleta est omnis. Semẽ Heuæ adest: caueat sibi antiquus serpens, cuius caput iam conterendũ, vetus prophetia commemorat, Ge. 3. Semen eius, inquit, cõteret caput tuum, in vniuersalẽ redẽptionẽ generis humani, iure cum veteri Adamo protoplasto illo, perditi & dãnati. Semen itẽ Abrahamicum adest, in quo omnibus gẽtibus benedictio promissa est: hoc est: id per quę maledictio Adę & Heuę vnicè est aboléda, adest. *Siloh*, quẽ patriarcha Iacob mittẽdũ vaticinatus est missus est. Nihil supereſt, nisi vt apprehẽdamus filiũ, nè quà ira scatur Dominus, & pereamus de via iusta. Vos miseri Iudęi, hãc Dauidis vocẽ, ad vos potissimũ dictã, intelligite: Vos ergo credibiles & docibiles Dei exhibete. Messias quẽadmodũ vobis peculiariter promissus est, ita in vestra terra & ex vestrate puella homo est factus, Gen. 49. Heus tu Iudææ, olim verus Iudęus, audi, & Deo gloriã Dei dãdo, veritatẽ ne erubescas fateri. Propheta siue *Nahi*, quẽ Moses prędixit aduẽturũ, adest: idq; in medio vestri Iudęus ex Iudęis, hoc est, verus Deus & homo. Veritas est, & nõ alienigena. Cũ exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidũt in eo. Audite ergo eũ: sin, quid Moses vobis Deu. 18. interminetur, scitis. Virgo (res mira) enixa est, fructus benedictus virgineus Emanuel (quę mirabilius) verus intercedit. Emanuel iste (quod omniũ mirabiliſsimũ est) infra omnes infimos sese submisit. Hoc vt olim est prædictũ, sic iam cernitur effectũ. Puer natus est nobis, & filius datꝰ est nobis, Esa. 7. Puer, inquã, qui tot mira nomina sibi Esa. 9. vẽdicat. Dicitur enim Mirabilis, Cõsiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri se-

culi, Princeps pacis: qui titulus ne Ptolemæum offenderet, Septuaginta puerũ eum, magni consilij angelon vocitare maluerũt. O ineffabilis magnitudo, vnigenite Dei & primogenite Marię, qbus linguis te prędicemus? quibus verbis natiuitatẽ tuam celebremus? Stirps Iessę pullu lauit, virgamq; viuã & vitę fructũ, Deum nimirũ, in salutẽ omniũ credentium, produxit incarnatũ: & delicię eius, esse cũ filiis hominũ. Thema habemus laudis, Deus nobis ad suam laudẽ labia nostra aperire dignetur. O stirpem terq; quaterq; beatã. O stirpem electã & prędelectã, & super omnes Deo gratã: ex te, & per te accepimus florem & fructũ vitæ, per tot secula patribus expectatum, etiam ipsis Archãgelis iucundũ, nedum hominibus gratum. Messiam eũ aduenisse, vel ex hebdomadibus anno rũ Danielis potest ostẽdi. Quid ergo misera plebs, tãto vati fidem non habes? Quid fatidicum & veracem falsidicis & vanis mutas? Nihil est ꝙ messiam semel natum, tibi denuò speres renasciturũ, quia nullus hoc propheta prędixit. Sed vno ore hortãtur omnes, vt eum qui iã natus est, asseras, cordisq; brachiis & manibus gratissimè amplectaris. Assere ergò & amplectere Messiam tuum, puerulũ semel tibi natũ, & semel tibi datũ filium. Si non acceptas, agè, causam quare abnuas, in medium profer. Cedò, quę aqua tibi hęreat, quo minus saluatorẽ tuũ recipias. Si hebdomadæ annales Danielis non sunt adimplętę, quãdo tandẽ censes adimplẽdas? O perditiõis ętęrnę maledictã cęcitatẽ, quę neq; videt, neq; intelligit, sexagintanouẽ hasce *Sabim*, hoc est, hebd. annorũ, non modo esse elapsas, sed & plus quã centenarium hebdomadũ earundẽ, supra esse exactũ. Nũc cũ post præscriptum tẽpus aduẽtus Messiæ, tot secula sint prolapsa, quẽ (rogo) expectas? Nisi forte in manu vestra est, certum tẽpus pro incerto, hoc est, *Sabiim* pro Gręcis kalẽdis, accipere, vestros ipsorũ prophetas veros theologos, tanquã matęologos, angelis & hominibus deridendos exponendo. Quod si ante Iesum nostrum hebdomadę Danielis sunt impletæ, Messiam qui ante illũ natus sit, quiq; vos à Romano tyrannide asseruerit, date. Nihil veri, nihil rationi consentanẽũ proferre potestis, magis, quam pisces muti obmutescentis, creaturis omnibus ludibriũ facti. Eccè ve-

Messiam aduenisse Iudæis, ostendi potest ex hebdomadibus Danielis.

ſter *Eſrim ve Arba* ante veſtros oculos eſt. voluite & re uoluite, quęrite & perquirite: & ſi quid cõtra Ieſum Nazarenũ puerulum infantulũ, verum mũdi ſaluatorẽ, inue neritis, proferte. Audiemus vos, ſed ea lege, vt & nos viciſsim audiatis. Nulla vos Pharaonica ſęuitia opprimimus, nõ vrgemus, ad fidẽ ſanam cõpellendo. Biblia quę à cunabulis legitis ſacra, non machęrã, non haſtã, vobis proponimus. Verũ quoniã Ieſum Nazarenũ, quem nos verũ Meſsiã confitendo adoramus, negatis: veſtra impia tergiuerſatiõe coacti, ex vobis ſcire cupimus, qua biblica ſcriptura hoc faciatis. Literã bibliorũ nõ recuſamus, Thalmud & Targũ deprecamur. Sed hẽ, nihil niſi inficiari propudioſũ, vobis pro ratione eſt, nè mẽtiatur noſter Apoſt. de vobis dicẽs: Vſque in hodiernũ diem cũ Moſes legitur, velamẽ poſitũ eſt ſuper cor eorũ: cum autem cõuerſi fuerint ad Deũ, auferetur, 2. Co. 3. Et hoc ad Ro. 11. Dedit illis Deus ſpiritũ cõpunctionis, oculos vt nõ videãt, & aures vt nõ audiãt, vſq; in hodiernũ diẽ. Hęc Moſes, Eſa. & alij prophetę nõ ſemel huic genti interminãtur, nè Apoſt. noſtrũ reiiciant. Miſereatur Deus gẽtis huius, & cęcitatẽ eam ab ea auferat, vt in puſione dulciſsimo noſtro, hoc ipſum nobiſcũ, quod nos in paſtoribus, Magis, Simeone, Anna prophetiſſa, & cũ hoc genus cęteris nõ contemnẽdę opinionis hominibus, videmus, tãdẽ conſiderare valeant, Deum nimirum verum, omnipotentem, æternum, eiuſdem cum patre & ſpiritu ſancto gloriæ & maieſtatis. Sed quarè non fidelibus potius, quam infidelibus euangelizamus? Veſtra charitas, poſt prophetias de ſacroſancta Meſsiæ natiuitate olim prolatas, nunc euangelicam hiſtoriam ipſam attentè audiat. Sed nè ad eam hiſtoriam ſacroſanctam immundis pedibus adeamus, cum Bernardo prius Dei omnipotentis gratiam depoſcendo, cantemus:

Lætabundus
Exultet fidelis chorus,
Alleluia.

(Et cætera quæ ſequuntur, vſque)

Quem docet litera,
Natum conſidera,
Ipſum genuit puerpera, Amen.

Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.

Messiam aduenisse, ablatum à Iuda sceptrum argu it.

Hic statim dicat aliquis: Quid Romani imperij tyrannidi & Christi natiuitati? Nihil quidem sed non sinè grauissimis rationibus euangelicæ historiæ inseritur. Nos ex multis vnam tanquam præcipuam esse dicimus, certitudinem natiuitatis sanctæ. Sceptrum siquidem à Iuda ablatum, pax vniuersalis, & cætera hoc genus, certitudinis eius euidens præ se ferunt argumentum. Haudquaquam sinè certo Dei consilio Mariam supernè grauidatam virgunculam, cum desponsato sibi compare germano, in ciuitatulam Iudææ è Nazareth Galilææ oppidulo, peruenisse credendum. Euangelista delineat hoc non esse temerè factum, sed castos hos coniuges, Augusti tyrannide impulsos, huc pedem mouisse. Augustus Iulij vltor, M. Bruto, Antonio, Cleopatra & aliis suis hostibus deuictis, toti mundo formidabilis, iterum totius orbis potitus, latéque rex, vndique rebus humanis pacatis, proscriptionem vniuersæ terræ meditabatur. Statuit itaque vt vniuersus orbis censeretur: nempe sic, vt homines sua sibi nomina darent omnes, & vt tributum imponeretur singulis. Fecit hoc, vt & rerum & capitum numerum atque summam inuestigaret. De censu Quiritium agit etiam Pompo. Lætus. Commemorat quoties sit habitus & sub quibus principibus. Idem etiam recenset Romæ & in Italia millies sesquimillia capita inuenta esse. Huius rei abbreuiatus titulus sic habet, C.C.C. hoc est, censa ciuium capita. Suetonius testis est, Augustum ter Quæstorem extitisse. Idem id negocij vocat, censum populi agere. Idem etiam * viratem subdit. In libris Cæsaris Iulij itidem de censu habito legitur, nempe ibi, vbi census fit quot millia Heluetiorum ex Gallia, maxima clade accepta, miserè euaserunt. Descriptionis huius meminit etiam Lucas Act. 5. quod Eusebius lib. 1. vocat censum conscriptionis, & Tertullianus appellat censum Augusti, quem (vt deinceps ait) testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua * Custodiuit. Contra Marc. lib. 4. Municipales itaque cùm omnes, quisque in suam ciuitatem vndè oriundus fuit, profiscí cogerentur: factū est, vt & Maria virgo prægnãs

** Viritim cap. 15. primi lib. de bello Gallico, iuxta recentem distinctionem.*

**custodiũt*

cum Ioſepho,cui deſponſata & credita erat, in Bethlehem peruenirent:cũ quod ex tribu Iuda eſſent, tũ quod ex ſtirpe Dauid genus ducerent. Octauianus cognomẽto dictus Auguſtus,propter fidem ſacrę hiſtoriæ,& propter certitudinem vaticiniorum adimpletorum, in literas euangelicas receptus eſt: Iſtac ratione & Tiberij fit mentio Luc.3. Auguſti item nomen,ad melliflua Chriſti natiuitatis tempora optimè quadrat. Dicitur enim ſacer,ab auium quæ in auſpiciis adhibebantur,guſtu. Vndè Ouidius in Faſtis:Sancta,patres auguſta vocant:auguſta vocantur.

Auguſti nomen regno chriſti quadrat.

Tẽmpla,ſacerdotum rite ſacrata manu.

Dicitur item ab augeo,quaſi auctor. Vnde idẽ: Augeat imperium,noſtri ducis augeat annos.Sueto.Tranq. nomen hoc ab auium † geſtu vel ab auctu deriuans, dicit Auguſtum hunc Octauij filium, magis Romulum debuiſſe appellari, propterea quòd in architectura inſignis eſſet.Extat eius rei hoc illius dictum,Romam lateritiam reperi,marmoream reliqui.Ioſephus lib.5. Iuda. hiſt. cenſet Cæſarem Auguſtum appellatum ab augendo,atque Hebraicè dici Moſeph,hoc eſt,ductor ſiue auctor,idque ab aucto imperio eius. Auguſti hoc nomen ad memoriam noſtri ſoteris conuenire,vt noſtros prophetas taceam,ne ethnicos quidem latuit vates & Sibyllas. Vnde Cumenæ vaticinium hoc apud Maronem celebratur.

Talia ſecla ſuis dixerunt,currite,fuſis,
Concordes ſtabili fatorum numine Parcę.

Et hanc puto cauſam, quare noſtri Cæſares etiam hoc ethnici hominis nomen ſibi gaudeant retinere. Conuenit & primi nomen imperatoris,noſtro monarchę. Cæſar,à cædendo dicitur: quo nomine finis idololatriæ & omnium errorum ſignificabatur:vt Chriſtus, reciſa idololatria,ſolus & verus Deus in vniuerſo orbe adoretur. Auguſtus ille Cęſar late quidem rex extitit.ſed Chriſtus noſter is eſt,qui (vt Lactantius ait) claudit cuncta pugillo. Ille imperium Romanorum Dei prouidentia ſortitur. Nam & Chaldæorum,& Græcorum,aliáſque monarchias, Dei prouidentię adſcribit Dan. 2. Hic verò noſter ſoter,ipſe eſt per quem reges regnant,& in cuius

Cæſarismo mẽ regno Chriſti quadrat.

manu cor regis esse dicitur. Diuino itaque consilio comparatum est, vt & orbis, qui alioqui vastus dicitur, quasi angustus in Augusti manu contineretur. Vnde factum puto, vt Augustus hanc descriptionem atque censuram primus meditaretur. Edixit, vt omnia capita prouinciarum omnium censerentur, seque quisque ex asse cum omnibus facultatibus Cæsari profiteretur. Hunc censum primum in Syria (vt manifestaretur sceptrum à Iuda ablatum) esse agendum, Deo opt. max. fuit visum. Syria autem est amplissima regio, & non minor pars Asię, multas regiones complectens. Sunt itaque Galilæa & Iudæa Syriæ prouinciæ, quemadmodum Germaniæ sunt Sueuia, Francónia, Saxonia &c. Descriptio hęc atque Cæsaris edictum, in Syria primò (quod dixi) eo tempore facta est, idque Cyrenio siue Quirino, eius prouinciæ præside. Attende diligentiam Euangelistę, qua nihil omittit, quod ad certitudinem historię facere possit. Sic & infrà Pontius Pilatus, latrunculator in Iudæa, homo ambitiosulus & omniam iniquissimus, sacræ committitur historiæ. Hæc ad literam. Mysterium huius descriptionis, magi orientales egregiè vel re ipsa ediſſerunt.

Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Syriam Romano imperio subactam hic vides. Eandem in Quiritium manus venisse Iudæi ipsi fatentur, Ioann. 19. dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem. Idem vides Act. 23. Ibant omnes, faciunt quod factu necessarium fuit. Obediunt Cæsari, sed non contra Deum: nam & lex ipsa dicit, reges & regna, Dei esse ordinatione. Idem & nobis Apostolus Rom. 13. ex lege præscribit, & Petrus 1. cap. 2. etiam dyscolis, modò contra Deum nihil iubeant, nos cupit obaudientes. Pręceptorum apostolicorum exemplum hic videmus apertum. Palęstini Cæsari, quisque pro se, nomen suum reique familiaris apographum dederunt. Iurisconsulti & archigrammatei, huiusmodi capitum & rerum professionem apographen vocant. Simile apographis quiddam vides lib. 3. Machabæorum.

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod

esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. Bono spiritu ducti Ioseph & Maria, Cæsaris legi obtemperauerunt. Casti & pij coniuges, ethnici & impuri imperatoris obseruantes extiterunt, non dubitantes, eum qui sese magistratui subdit, Dei ordinationi sese submittere. Non mediocris, quod adhuc in Europa saltem tenet, imperii Romani est commendatio, quod iustus ille Ioseph & benedicta virgo Maria, cum cęteris piis & iustis, qui tunc floruerunt, vtriusque generis hominibus agnouerunt regnum hoc vniuerso orbi prælatum. Accedit huc, quod saluator ipse integræ & maturæ ætatis, etiam postquàm regnum cœlorum in hoc mundo prędicando & miracula edendo esset orsus, hoc ipsum regnum & doctrina & exemplo cohonestauerit, Matth. 17. 2. Marc. 12. Luc. 20. Maior adhuc regni eius extat gloria, quod vnà cum eiusdem primordiis Euangelii quoque iubar instàr solis radiorum cœpit in vniuerso orbe illucescere. Quis non videat, monarchiam eam in cultum Christi regis gloriæ esse electam? Gloriæ crucifixi quantum Cęsar debeat, pii quicunque facilè vident. Nôrunt enim, ad quid & per quem ad tale rerum fastigium sint auecti. Quòd in posterioribus diebus nostrę ac patrũ memoriæ, Asia & Aphrica ab hoc regno defecerunt, sibique tyrannidem omni barbarie barbariorem constituerũt, pessimo mediusfidius, pessimo ducti sunt genio. Et in eos hoc prophetæ conuenit. Constituistis vobis regem, sed non ex me. Adde quod nec Daniel Turcicum hocce vidit regnum Certo argumento, tyrannidem eam quæ nihil, nisi Dei iræ flagellum est breui, vbi se quisque ad præcepta euangelica correxerit, abolendam. Sed neque tyrannis ea regnum Christi, quod perpetuum est, Luc. 1. Esa. 9. extinxit, licet vnà cum monarchia Romani imperii, non mediocriter sit debilitatum.

Imperij Romani quanta gloria.

Aphricani & asiani qua culpa meruerunt vt in Turcicæ tyrannidis manus pervenerint.

Aphricani & Asiani Dei ordinationi resistentes, iugum imperii sacri excutiendo, meruerũt vt & Christi regno priuarẽtur. simul enim & Cæsari & Christo perfidi sunt facti. Quis post reginam cœlorum & iustum Iosephũ, Cæsari dubitet atq; cunctetur sese humiliare, regu

lus atque meteoros siue Optimâs Ecclesiæ, nisi qui Antichristo viam velit factam? Ioseph & Maria regnum Christi illustrando, Cæsaris edicto vltró paruerunt: & erat obedientia ea vtrique grauis, & omnium laboriosissima. De capite siquidem censorum, aut certe de proletariorum numero fuerunt: ars illis sua census erat. Hic verò à conquisitione victus cessando, ferias agere & peregre suis impensis sine commeatu ire cogebantur. Contiguas & confines fatemur Galilæam & Iudæam: sed montana interiecta, capite sequenti Lucas commemorat. Et profectio hęc virgini Mariæ, quæ vera fuit apocrypha, non potuit non esse molestissima. Quid enim apocrypharum maximæ, cum tumultu maximo? Ad de quod & virginalis verecundia creuit, sacræ diuino tumore allui. Quis post hoc exemplum, in officio pietatis, vel rebus vel labori parcat? Euangelista hac periodo siue orationis membro, de domo & familia Dauid, tanquam epexegesi declarat, Iosephum de stirpe Dauidica, cui peculiariter Christus erat promissus, originem trahere. Cogebatur quisque ad suæ prosapiæ traducem & patriam sese recipere: vnde quidquid adhuc reliquiarum Dauidicæ gentis superfuit, ad Bethlehem oppidulum pedem conferre cogebatur. Bethlehem verò dicitur ciuitas Dauid, quod is in oppidulo eo esset natus & educatus. Iesse eam coluit, & Dauid cum parente suo in ea sepulti requiescunt. Cæterùm Ioseph ex Dauidica progenie fuisse, Euangelistæ Matthæus & Lucas luce clarius ostendunt. In genealogia Christi sic dicit ille: Mathan genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hic Iosephum vocat filium Heli, non vtique ratione naturę, sed sacramenti coniugii. Fuit enim Heli (qui & Ioachim dicitur) naturalis genitor virginis Mariæ. Sunt tamen qui ex priscorum patrum monumentis colligunt, Heli & Iacob fratres fuisse vterinos: illum verò sine liberis defunctum, & hunc semen eius (secundum legem Deut. 25.) suscitâsse, atque Iosephum genuisse. Vt Iosephus sit huius filius secundum carnem & sanguinem, illius secundum legem. Sufficit hic, verbis Euangelistæ fidem accommodare nos:

Obedientia Mariæ et Ioseph qualis & quanta.

Ioseph fuit de tribu Dauid.

nos:& credere, Ioſephum fuiſſe ex familia & domo Dauidis, Mariam item cum Ioſeph, eiuſdem propaginis ſobolem ſacram extitiſſe. Huc facit lex, qua cautum eſt, ne quis ex alia tribu vxorem ſibi adſciſcat,& ne mulier, niſi ſuę tribus viro nubat. Quòd Euangeliſtę magis deſcribunt, Ioſephum honeſto eo loco, hoc eſt, ex Ieſſæ progenie ſatum, receptum ſcriptorum omnium modum ſcribendi ſunt ſecuti. Nuſquàm enim inuenias in ſacra pagina, marito vxorem in genealogiæ ratione præferri, quantumuis ſanctam. Quòd verò Ioſepho Ieſſe ſiue Dauid genearcha conſtituitur, certè & Mariæ atauus rex ille oſtenditur. Puſio ille diuinus qui nobis natus eſt, & filius qui nobis eſt datus, nihil quidem ex Ioſeph recepit, ex Maria verò virgine carnem recepit & ſanguinẽ, tamen poſtquàm vna eademque patria, id eſt, parentela Ioſepho cum Maria ſit communis, Ioſeph cui virgo legitimè fuit deſponſata, tanquàm caput, in Chriſti connumeratur genealogia. Summa, Euangeliſtæ declarant Chriſtum eſſe filium Abrahę & Dauidis, qui non ex Ioſephi ſemine, ſed ex benedictiſsimo intemeratę virginis ſit natus. Neq; hic ſilentio puto prętereundum, quinque in ſcriptura ſacra inueniri Ioſephi nomine dictos, quorum tres inſignes nobilitate viri extitêre. Ioſeph patriarcha filius Iacob, Gen. 30. 37. Ioſeph coniunx virginis Mariæ, de quo in præſentiarum agitur, & Ioſeph Arimathianus, de quo Mat. 27. Lucas hic dicit Mariam deſponſatam Ioſeph, quod Matthæus clariori campo deſcribit. Porrò hic noſter an & aliam adhuc vxorem habuerit, & ex ea filios eos, quos Iudęi Chriſti fratres frequenter appellitant, genuerit: an verò hi Chriſti fratres, ex Mariæ virginis vterina ſorore Maria, Cleophæ vxore, ſint orti, aliâs oſtendemus.

Ioſeph qua ratione magis commemoretur ex tribu Dauid, quàm Maria.

Ioſephos ſcripturæ canonicæ quinque commemorat.

Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret.

Cùm eſſent ibi, inquit: Qui? Vbi? Ioſeph & Maria in Bethlehem. More amantum hic loquitur. Amantes de amicis ſermonem habentes, propter maiorem emphaſin propria nomina non exprimunt. Quale & hoc Mariæ illius: Si tu ſuſtuliſti eum. Poeta quoque dicit: Non hoc promiſſus tuæ. Sic & hoc loco Euangeliſta neque nomen Mariæ, neque nomen Bethlehem exprimit. Affe-

Bethlehẽ Christianis omnibus oppidum plurimum celebrandum.

ctum & mentem attende Euangeliſtæ. præuidit Euangeliſta, in poſterioribus diebus hæreticos fore cultui Mariæ & ſanctorum minùs æquos. Errorem hunc præueniens, oppidulum ipſum, nedum theotocam, cuius ſe æternus ſermo carnem & ſanguinem gnatus agnoſcit, nobis vult commendatiſsimum, quòd in eo verbum ſit caro factum. Attendendum & hic, quàm ſapienter, quamque ſuauiter diuina prouidentia diſpoſuerit omnia. Commodiùs longè Maria in Nazareth, vbi indigena morabatur, parere poterat. Sed regem gloriæ Chriſtum Ieſum, in Bethlehem eniti oportuit. Michæas prædixit Meſsiam eum, qui venerat chirographum maledictionis ſua natiuitate delere, in Bethlehem naſciturum, cap. 5. Dicit ibi: Tu Bethlehem Effrata, paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio, à diebus ęternitatis. Hoc eſt, Oppidulum licet ſis paruulum, haudquaquàm tamen ignobilis eris ô Bethlehem Effrata. Notanter dicit Bethlehem Effrata, in differentiam alterius Bethlehem tribus Zabulon, de quo Ioſ. 19. Noſtrum hoc, de quo iam agemus, dicitur Effrata, ex priſco, quo olim ſic vocabatur nomine, Geneſ. 35. 48. O Bethlehem Effrata, nequaquàm es minima in principibus confitentium Deum. digna ſiquidem es, quæ omni laude extollaris in aſtra. Et tu mundi Domina, verè (quod Auguſtinus ait) omni laude es digniſsima. Vndè etiam matrix Eccleſia, vel in hæreticorum inuidiam, te indeſinenter ſalutat: idque cumprimis in huius feſti diei ſacro tremendo, vbi cantat: Gaude Dei genitrix, quam circunſtant obſtetricum vice concinentes angeli gloriam Deo. Cæterùm quòd Michæas Meſsiam infantulum noſtrum dulciſsimum, Bethlehemitanum Hebraicè *Moſchel Be Iſrael* vocat, in Chriſti reſpicit natiuitatem. Quod autem addit, Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis, deitatem profitetur. Hoc eſt quod Euangeliſta dicit: Cùm eſſent ibi, Maria alma, apocrypha, intacta, prophetis & Sibyllis admirabilis, in Bethlehẽ ſanctiſsima ciuitatula. Quod Eſaias dicit Almam parituram, quodque Hieremias dicit, mulierem virum concepturam, ne quis dubitet adimpletum, Michæas accedit, & locum ipſum in quo ſa-

Duo oppida Bethlehẽ, dicta.

Mariæ virgo omni laude digniſsima.

cramenta fieri decuit, adſignat. Quòd Euangeliſta dierum Mariæ implendorum meminit, nouem menſes intelligit, humani generis naturali partui datos. Nam poſt quàm (vt ex Michæa iam audiuimus) filius Dei verus homo, vera Adami progenies naſci voluit, voluit & in materna aluo tot menſibus, quot imperfecti fœtus embryones, è commiſtione vtriuſque ſexus ſati, coaleſcunt & animantur, tanquàm in thalamo manere. ¶ Quòd ſi apella quiſpiam mirabitur, vt verus homo citra ſolitum naturæ vſum concipi poſsit: dicat, qua genitura Adam, quo ſpermate Heua ſint concepti. Et certè citra omne virile ſeminarium Adam, ex quo Heua, verus homo eſt: vndè & Adam Hebraicè homo eſt dictus. Chriſton ergò quis non videat & verum hominem, & ſecundum Adamum? Conſentiunt ſibi hi duo Adami in hoc, quòd vterque citra virile ſemen homo verus exiſtat. Horum alterum alterius damnum reſarturum, prædicitur Gen. 2. & 3. Vndè & priorem illum Apoſtolus typon ſiue figuram vocat futuri, nempe Chriſti huius noſtri puſionis auguſtiſsimi, Rom. 5.

Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio. Sacroſanctæ hic & ſaluificæ natiuitatis deſcriptionem habemus euangelicam: qua renouamini ſpiritu mẽtis veſtræ, cuius nectareo liquore omnem mentium dulcorate amaritudinem. In hoc ſiquidem partu virgineo iucundiſsima nobis omnia Deus propoſuit. Euangelion itaque præſens audite, conſiderate, credite: & creditum, imis mentibus reponite. Maria virgo perpetua, angelis purior, Maria humilima ſanctæ Triadis ancillula, angelis altior, Maria mundi domina, cæli regina, Dominum mundi & cælorũ regẽ nobis eſt enixa. Maria omni generationi p̃dicanda, generis humani ſatorẽ & ſotera peperit: filia Abrahæ & Dauidis, filiũ Dei verũ hominem in hunc mundũ huic mundo protulit. O arcã diam virginẽ Mariã, dignã antequã omnis mundus cũ Dauide animis piis exultet. Deberemus fructum ventris tui adorare, adorantes ingemiſcere, & ingemiſcentes largas lachrymas cordis dulcedinis teſtes p̃fundere. Maria virgo peperit carne, quem concepit ſpiritu: ventre, quem conce-

pit potiſsimùm mente. Peperit verò ſinè omni dolore, quod Hebræi ſic exprimunt, *Belo Zaar*, Non concepit more aliarum mulierum, ritè ergò præter aliarum legem eſt enixa. Ritè ſine omni afflictione peperit eum, qui venit æternos compeſcere cruciatus. Hæc conſiderans, flere potiùs quàm loqui noſter geſtit animus. Sed quis nobis hæc dabit, niſi verbum? Quale autem verbum? Hoc Eſaiæ: Eccè virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Item hoc, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et hoc Hiere. 23. Eccè dies venient, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex. Item 33. Germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ. Eccè *Zemah*, id eſt, germen hoc, virgo hodiè nobis peperit. Saluabitur igitur Iuda, & Hieruſalem habitabit confidenter. Exaudiuit Dominus ſanctum patriarcharum & prophetarum cuneum. Abraham vidit hunc diem, & gauiſus eſt. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Indubia fides eſt noſtra, qua credimus in filium patris vnigenitum, conceptum de ſpiritu ſancto, natum ex Maria virgine alma. Non delirat pſalmographus, dicens Pſal. 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. De hoc Dauidis filio dicitur Matt. 1. & 22. Luc. 1. Rom. 1. Filium hunc ſuum, Dauid quoque Dominum ſuum ingenuè fatetur & adorat Pſalm. 109. Certa fides noſtra & ſalutaris. Chriſtus enim puerulus noſter nobis natus, eſt Dei filius, æterna ſapientia, verbum æternum caro factum: exultemus & lætemur in eo. ¶ Sed nè ſolida noſtra hæc & vera gaudia confundantur, oportet vt à falſis prophetis ſcripturam adulterantibus, attendamus. Mánes ab Acheronte noſtris temporibus Antichriſti præcurſor, in Germaniam olim felicem, rediit. Sunt enim qui dicunt Chriſton ex Maria nihil recepiſſe: ſed per eam tanquàm ſol per vitrum, & tanquàm per canalem aqua, in mundum veniſſe, vt mentiatur Deus in ſuo iuramento Pſal. 131. Et ſecundùm Manichæos, Gabriel archangelus nugas tenebricoſus conſtituitur, quòd Chriſton Dauidis filium pronunciat, Matt. 1. Luc. 1. Hallucinatur Apoſtolus Roma. 1. dicens

* *Zemah.*

Manes hæreticus ab inferis in Germaniam remiſſus.

Christon genitum filium Dauid secundùm carnem. Vah tibi immunde spiritus prædicatorum nouorum. Cauete vobis, attendentes blasphemias infandas prophetarum pseudologorum. Si connixerimus in hac hæresi, Christi humanitati aduersa, conniuentia ea erit etiam fraudi deitatis gloriæ Christi. Expergiscere dormitans Germania. Attende. Nonnè spiritus impostor humanitatem Christi etiam in sacramento altaris negat, atque Christon, quantum in ipso est, ex hoc sacro abigit & eliminat? Nihil ergò supereſt impietati, nisi vt & deitati manus inferens, Christon è cælo deturbet. Expergiscere Germania, & noli tanquàm parua negligere, vndè magna possunt excrescere. Artifex ex musca crabronem, immò etiam, draconem facere potest. Dixerunt plerique hac nostra tempestate, non esse articulum fidei, credere Mariam perpetuam virginem. Dixit hoc aliquis odio monastices, vt operibus bonis & disciplinæ ecclesiasticæ, cui excidit, sua merita detrahat. Ex musca ea crabro & draco ille Manichæicæ labis est natus. Et tu si muscam eam sanctorum meritis detrahentem, in aurem admiseris, senties asilum te quoquouersùm agitaturum. Vt itaque gaudia solida tua tibi permaneant, in simplicitate catholica fac permaneas: Christum verum Deum & hominem tibi natum & datum suscipe, Mariam veram Dei genitricem, etiam post partum perpetuam virginem, omni laude digniſsimam prædica.

Mariam perpetuã virginem credere, est articulus fidei.

Quòd Lucas Christon primogenitum vocat, non accipe, quasi plures liberos sit enixa virgo Maria. Ioannes appellat Christon monogenem, id est, vnigenitum Dei. Mat. 1. & Luc. 2. nũcupant prototocon Marię, id est, primogenitum. Ille verum Deum, hi verum hominem designant. Et quis hac in luce, nisi qui volens hæresiôn in tenebras incurrat, cæcutiet? Non possunt Heluidiani ex scriptura canonica conuincere, vt primogenitus semper accipiatur pro eo qui maior natu est inter multos fratres & sorores. Nam & vnigenitus omnis, primogenitus est. Neque in Græco primogenitus hic ad matrem refertur. Sic enim habet Græcus: Peperit filium suum, primogenitum illum. Sic & apud Matthæum legitur, vt prototocon quisque sine negocio intelligat, Christum esse eum,

Primogenitus & vnigenit⁹ Mariæ Christus.

Primogenitus Marie ille Christus multos habet fratres

de quo dicitur Roma.8. Primogenitus inter multos fratres. Maria vnici filij benedicta mater inter mulieres, ille benedictus fructus benedicti ventris, inter multos Christos primogenitus, oleo lætitiæ præ consortibus vnctus, speciosus forma præ filiis hominum, caput Ecclesiæ, per quod gratiæ & benedictioni Dei participamus. Per hunc primogenita in Aegypto seruabantur, & nos illi maritati atque incorporati, in ipso & per ipsum seruabimur. Ille noster primogenitus, Dominus & pontifex maximus, etiam Dei est vnigenitus, hoc est, vnum cum patre & spiritu sancto secundùm esse deitatis. Primogenitus Mariæ secũdùm humanitatis veritatem: qua verus homo est & verus germanus frater omnium, sibi sacramento fidei adhærentium. Huius sui primogeniti filij Maria mater, iure & sacramento primogenituræ, soror germana est inter multos fratres & sorores. Ritè ergò τὸν πρωτότοκον, per coma distinctum legitur: sic tamen, vt de vero Mariæ filio accipiatur. Christus siquidem verè Mariæ est vnigenitus, atque adeò etiam primogenitus, caput Ecclesiæ, & pontifex animarum nostrarum. nam & apud Matthæum & Lucam vnigenitus vocatur, ratione dignitatis primogenituræ, qua caput nostrum est, & benedictionis fons & origo. Hoc ius primogenituræ, dominij & sacerdotij, præsignatum est in fratribus Iacob & Esau. Hoc nomine cohonestat Dominus Israel, Exod. quarto dicens: Israel primogenitus meus. Exod. decimotertio vult sibi primogenita sanctificari, Numer. tertio. primogenita sibi vendicat. Ad hæc omnia alludunt Euangelistæ. potissimùm verò aciem fidei in Psal. 88. intendunt: Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. Quod propriè de Christo dicitur, qui & Coloss. 1. dicitur primogenitus ex mortuis. De quo aliàs.

Vnigenitus Dei Christus.

Primogenitum hunc tantum, Euangelistá dicit pannis inuolutum, & in præsepium positum. Quem cęli cęlorum capere non possunt, pannis inuoluitur, & in præsepium ponitur. Altissimus infra infimos omnes se humiliat, è throno regni cælorum in septa veniens iumentorum. Quid ergò miseræ opes, quid fumosæ ceræ atq; imagines superbitis? quid ferocis, quid insolescis puluis

& vmbra? Huc ad reginam cælorum, ad matrem altiſsimi oculos mentis tuæ intende. Huc in Bethlehem, inque ſtabulum ipſum deſcende. Attende Omnipotétis aulam, conſidera torum & apparatum reliquum omnem. Attende, inquam, & ingemiſce: attende, & erubeſce. De regis cælorum ingemiſce miſeria: de tuo miſerabili luxu erubeſce pœnitens. Vos inopes & infimates, huc acié métis oculorum coniicite atque defigite: attendite Deum, cui omnis pompa & mollities eſt odioſa, veſtrá vilitatem, veſtram paupertatem in vnigenito ſuo cohoneſtare. Attendite hoc ipſum, & inde exemplum patientiæ vobis deſumite. Nè dimoueamini animis, ſi ædes non poſſideatis re familiari confertas. Neutrum horum rex habuit angelorum: vndè ſi vel ſepta publica (quod procul dubio fiet) tibi habitanda contingant, Deo, qui propter te pauper eſſe voluit, gratias age. Si panni qualiſcunque vſum Deus (quod omnino faciet) ſuppeditauerit, plenè laudare memento. Fac omni humana ope deſtituto vel canes tibi vulnera linguant. animum deſpondere noli, certus te regni cælorum ſymbolon accipere, modo tua qualicunque ſorte viuas contentus: gaudens ſi profundiſsima te paupertas vrgeat, nè quà ſeruus ſupra Dominum, creatura ſupra creatorem, efferri videaris. Diuites, non attendentes quid pſalmographus dicat, Domini eſt terra & plenitudo eius, quibus Neronianæ ædes ſunt auguſtæ, quibus etiam Crœſi diuitiæ non ſufficiunt, inuaſores rerum alienarum, fures & latrones, Plutonis ſymbolon circunferentes, paludem igniuomam gehennę hęreditabunt. Sufficit Lazaro animi magnitudo patientia. Sed eccè tibi diuitum inſolentiam. Reginæ cælorum, virgini prægnanti, pauperculę & peregrinæ hoſpitia præripuerunt, & ad mandra, nimbis, niuibus, ventorumque flatibus peruia, compulerunt. Hic primogenitum ſuum & noſtrum, tenerrimum & omnium ſpecioſiſsimum, peperit, pannis inuoluit, & in præſepe poſuit. Vides quæ ſuæ Chriſtus rex gloriæ hic cunabula atque exordia habuerit. Si totius vitæ filum, ſi denique finem conſideraueris, eundem tenorem vndique inuenies. Non fortuito hoc ita contigit. hic tam fidei ſacramenta, quam virtutum exempla nobis petenda.

Chriſtus pauper natus, paupertatem ſanctificauit, diuites ad reſipiſcentiã vocauit.

Ad præsepe hoc se contineat, qui in cælesti palatio post hanc vitam regnare desiderat. Neque ludibrio habẽdum hoc, quod Palæstini etiamnum de hoc sancto præsepio commemorant. Est sanè locus hic sacer dignus, quem maiores nostri elegantissimo templo cohonestauerint, beatissimæ Theotocæ dedicato. In hoc tam celebri templo crypta est non minus augusta: in ea præsepe vel certè eius locus atque monumentum extat, æquè atque templum ipsum, dignum quod ab omnigenis fidelibus frequentetur & excolatur.

Et pastores erant in regione eadem, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos, & timuerunt timore magno. Natus est Saluator mundi, vnigenitus Dei primogenitus virginis beatæ. Natiuitas ea humano eloquio maior, cælestibus primò animis celebranda. Ortus iustitiæ solis, per spiritus, quos Dominus flammam ignis esse voluit, hominibus decuit denunciari. Cui vero hominum ordini, cui cõditioni, mentes has diuino igne flammantes, partum diuinum primo annunciare decet? Nónne iis, qui nato saluatori consortes magis existunt, pastoribus miseris, in sudore vultus sui panem suum comedentibus, & in patientia quidquid ærumnarum superantibus? Pauperes, ab omni auaritia & ab omni luxu alienos, paupertatis amator & ipse omnium pauperrimus, mundi sator & soter, teste Apostolo, elegit. Inopes & miseri ritè Christi in summa inopia nati, Euangelio primi euangelizantur? nisi Euangelium non sit, cælestium & terrestrium thesaurorum Dominum, in opibus & egenis inopem & egenum natum. Felices itaque ciuitatulæ minimæ ciues, ærumnosi gregum pastores: excubiæ vestræ satis sunt auspicatæ, vestraque penuria faustissima. Edormiat crapulam in ostro & bysso diues epulo, vigilate vos famelici, animis constantissimi, & miserorum consolatorem paracletum illum cælestem, natum esse audiatis, cum eo & per eum æternitatis diuitias accepturi. Abelis, Abrahæ, & aliorum patrum exemplo, Moses Iethrõ soceri sui oues pascendo, & ipse gloriam Dei contueri, meruit. Sed Bethlehemitani pastores, glorioſiora quam ille vidit, viderunt. Moses ænigma &

Angeli natiuitatẽ Domini ritè primò prædicauerunt, idq; pauperibus.

vmbram conſpicatus: noſtris paſtoribus datum eſt, ipſum verbum carnem factum, facie ad faciem contueri. Erit is lux hominum: nox igitur ea, quæ mundi eſt vmbra, paſtoribus tenebricoſa non fuit. Dormitauerunt, qui aſcenderunt equos: ſed non dormitauit eorum perditio. Veſtri, ô paſtores miſelli, beati oculi, quos inſomnes claritas militum Dei perſtrinxit. Vos primitiæ noui teſtamenti lucem quæ non Syrorum ſolùm, ſed & Arabum oculos vigilantes & ſcios terruit, angelorum & hominum lumen vidiſtis. Lucem, inquam, quæ in hunc mundum venit omnes homines in laudem & gloriam gratiæ ſuæ illuminare. Sed audiamus nunc porro Euangelion, quod paſtoribus miſeris timore magno exterritis, in conſolationem & lenimen eſt ab angelis denunciatum.

Et dixit illis angelus: Nolite timere. Eccè enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodiè ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Eià metus hic & pauor omnis à paſtoribus ablatus. Nihilo ſecius atque ſol tenebras depellit, Euangelium omnem timorem abluit. Nam quod nuncium iucundum magis eſſe poterit, quam natum eſſe mundi redemptorem? Non abſimilis eſt vox illa euangelica, ad mulieres prima luce facta: Nolite timere: Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic. Et illa: Viri Galilæi, quid ſtatis adſpientes in cælum? Hic Ieſus qui à vobis aſſumptus eſt in cælum, iterùm veniet vt vidiſtis eum. Obſeruet fidelis anima, Omnipotentem & ſolum ſapientem certo conſilio hoc ita decreuiſſe, vt noſtri ſaluatoris natiuitas, reſurrectio & aſcenſio, primo per angelos pauperibus, mœſtis & pauidis ſint denunciatę. Attendat & hic, vel ipſos opiliones & pecoris magiſtros, miſeros & ineruditos homines, totius mundi Euangeliſtas factos. Neque enim hæc læta nuncia, ipſorum ſaltem ſunt paſtorum, ſed mortalium omnium, ipſis paſtoribus, vniuerſo orbi pronuncianda, per angelos credita. Miſelli itaque & afflicti quicunque vbicunque gentium, auribus cordis Euangelium conſolationis precipite. Qui ſedebant in regione vm-

Maxima quæque ſalutis noſtræ myſteria per angelos ſunt primo denunciata.

bræ mortis, peccatorum mole depreſsi, lux vera, quæ vita eſt hominum, apparuit eis. Meſsias noſter infantulus, in præſepium pannoſus reclinatus. Meſsias ipſe, veritas ipſiſsima eſt, fallere non poteſt. Euangelion eius omni fuco caret: ſimplex enim (iuxta prouerbium) ſermo veritatis: attentum ſaltem auditorem requirit. Veritatis itaque orationem expendamus. Meſsiam primo natum (id quod euangelij ſumma eſt) euangeli nobis annunciant. Dein eum nobis natum, nobiſque datum prędicant. Nobis filij Heuæ exulantibus, Meſsiam eſſe natum, qui nos ad beatas eas ſedes, vndè ſatã décidit, deducat. Tertiò, nobis hodiè eum eſſe natum. Spes quæ differtur, adfligit: & quod hodiè, hoc eſt, in præſentiarum fit, certius eſt. Præſens ergo, ac per hoc certa, eſt euangelica conſolatio, ſi modo in indignum auditorem non inciderit. Quarto, titulum Meſsię aptiſsimum & conſolatione plenum tribuunt, ſotera eum vocantes, vtpotè qui populum ſuum à peccatis illorum ſaluum faciet. Quinto, locum vbi natus ſit, oſtendunt: non Corinthum, quo facilè non eſt cuiuis adire: non arcem, non theatrum atque emporium, tot oſtiariorum manu ad arcendos pauperes circunuallatum, non denique labyrinthum aliquem diſcriminoſum: ſed Bethlehem oppidulum, vbi neque Herodes, neque Caiphas, ſed vbi paſtores potiſsimum habitabant: vbi & Dauid, priuſquam rex deſignaretur, patris ſui paſcebat tonſas. Sexto denique inuolutum pannis infantulum Chriſton iacère denunciant, in omnium eorum, quæ prædicta ſunt, ſignum. Quid, bone Deus, huic euangelicæ prædicationi deeſt? Quis natus ſit, & quibus, quarè item & quando, & vbi, luculenter exprimitur. Faſciæ item viles, & præſepe ſitu caneſcens, ore prædicatur angelico: vt omnes pompa-rum admiratores, dij huius ſeculi, inferni mancipia, confundantur Mandra, pannus, præſepium, vacerra, fœnum, denique & ipſa crux, ſigna ſunt per quæ Chriſtus vult cognoſci. Hæc ſunt imperium ſuper humerum Meſsiæ: cui ſi hæc defuiſſent, haudquaquam noſter ſaluator eſſe potuiſſet. Et hoc hic obſerua: ſignum quale hic dat præſepe, tale & ſepulchrum dat Marc. 16. Externæ quidem res ſunt, ſed ſine quibus humana mens ſatis

Faſciæ & præſepe diuites confundunt.

Præſepe & pãnus ſignũ quo Chriſtus agnoſcatur.

firmari non poteſt. vt videant quam errent, qui Eccleſiæ ſacramenta, certa gratiæ Dei organa, negligunt, immo etiam contemnunt. Hoc in loco plurima arcana indicanda quidem eſſent & edifſerenda: ſed non video, quare vos tanta mole obruam. iuxta literam ergo genethlicon, quod angeli Euangelio præſenti ſubiunxerunt, videamus.

Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum & dicentiũ: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Si vnius angeli, etiã archangeli, voce minus afficeris, agè cæleſtis multitudo te militiæ afficiat. Attende multitudinem angelorum lucis im menſam Mat. 26. contra cacodæmonum (qui innumeri ſunt Mat. 8) malitiam. Militiam cęleſtium ſpirituum piis ſemper præſto eſſe, non ſolum exempla ſcripturæ, ſed & promiſſiones Dei cum plurimæ, tum certiſſimæ oſtendunt. Sed cæleſtis στρατιὰ hic neque ſtrictis flammantibuſque gladiis, neque buccinarium clangore ſtratiotica-rum agit: nullus hic Mauors, nulla Bellona, nulla Enyo, ſed hymniſonis vocibus angeli pacem prædicantes. Vndè & Athanaſius creaturam angelicam, hymnologicam appellat. Nec ipſi angeli tantorum gaudiorum vacui ſunt atque exortes: nemo enim facilè æſtimauerit, quæ & quanta gaudia cæleſtes mentes de hac Chriſti auguſtiſſima habuerint natiuitate, etiam in ipſo cælo. De angelorum exercitibus ſacerdotes conſulant Dionyſium de cæleſti Hierarchia capite ſexto. Reſpondent angeli ſcripturæ, dicenti: Laudate Dominum omnes angeli eius. Reſpondeamus & nos: Quod ſi angeli qui meri ſunt ſpiritus, tanta ſedulitate & ſtudio Deum laudant ſuper incarnatione filij Dei: quanta nos vehementia Deum eum noſtrum & angelorum, ad cuius ſimilitudinem ſumus formati & reformati, extollere tenemur hominem factum? Oculus ſimplicitatem parentis ſubſannans, ab aquilis in mala cruce effodietur. Viderint ergo hæretici, viderint ſchiſmatici, iuge ſacrificium, in quo ſacerdotes (qui & ipſi angeli in ſcriptura & dij vocantur) hymnum angelicum hunc ſubindè pſallunt, antiquantes. Satis illis exitioſum fuerit, ſi diſcincti hic negligentius extiterint, neque officium hoc tre-

mendum, ſummo ſtudio non perrexerint illuſtrare: quã-tam ergò eorum culpam arbitrabimur, qua pœna dignos exiſtimemus, qui totis viribus idipſum obſcurare & obliterare nituntur?

Doxologia angelica hæc eſt: Primò, Gloria in excelſis Deo. Dein, Pax in terris hominibus. Tertiò, hominibus autem bonæ voluntatis. Compendioſa verbis, & copioſa ſententiis angelorum iſtæc laudatio. Non diſsimilis eſt tabulę, cui inſcriptum eſt: Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Sententiarum ſimilitudo argumento eſt, & præconium hoc angelicum eſſe. Deo cumprimis gloriam tribuunt. Mentem ſanctam ſpontaneam diuæ Agathæ non defuiſſe, meritum eius virginis liberationem & pacem patrię peperiſſe. Idipſum & in hoc triſido hymno, ardenti planè affectu pronunciant & imprecantur nobis mentes angelicę. Principiò dant gloriam Deo: nam & in ortu Chriſti, Dei gloria tanquam noua, orta appáret ſuper Hieruſalem, Eſa. 40. 60. Luc. 2. Pax item terris nunciatur, ſed non niſi bonæ voluntatis hominibus. Eulogium hoc & orationis virtutem videtur habere. Precantur angeli & optant, vt lux ea glorię Dei orta, magis atque magis ac creſcat. Sic & Chriſtus ipſe ignem à ſe accenſum, luculentiſsimè ardere vult. Non vult Chriſtus ignem inuidentiæ & hæreſiôn concertationem in ſchiſmatôn occaſionem accenſum, ſed gloriæ Dei: quę tum demum clara micat, ſimulàc ſchiſmatôn nebulę depreſſæ fuerint, & homines orthodoxa fide ſibi cõſentiant. Hãc fidei & animorum pacem angeli mundo precantur, maceriam inimicitiæ eam è medio ſublatam optando. Cum verò hoc fieri non poſsit, niſi & homines id cupiant, velle bonum mortalibus optant. Quaſi dicãt: O vtinàm Dei gloria vbique terrarum inclareſcat, hominibúſque in terra gratia Dei, qua bonum velint, repletis, pulchra pax redeat. Quæ & quanta gloria Deum deceat, nemo ignorat, qui Deum regem gloriæ eſſe ſciat. Hoc ergò cumprimis hic obſeruandum puto, Eccleſiam exoticis opinionibus litium & rixarum ſeminariis ędificari non poſſe. Sed peruerſè etiam de pace agitur, ſi cum Manichęis Colbicianis & Florianis, de libero arbitrio hominis

Bona voluntas. i. pur⁹ affectus ad pacẽ eccleſiæ neceſſaria.

malè docuerimus. Bonæ voluntatis vocabulum Hebręi vocant *Ratzon* siue *Hephetz* Lucas, Septuaginta, & apostoli, Græcè vocant εὐδοκίαν. Est autem, cùm hoc, quod bonum iudicamus, placet, & ad hoc præstandum animus est propensus, quod nobis ad laudem gratiæ Dei datur: neque enim per Christum saltem illuminatur intellectus, sed & purgatur affectus. Sed de hac re iam dicendi locus non est. Per me item, voluntatem bonam de Deo intellexeris: vt intelligamus angelos hic hominibus imprecari id, quod & Christus nos petere vult, vt & in terra Dei voluntas fiat, quemadmodum in cœlo.

Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Pastores, Abrahę, Isaac, Iacob, Mosis, & hoc genus aliorum pastorum, nõ regis Achaz, successores, pastorum sanctorum exemplo signum sibi datum reuerenter acceptant. Achaz dicit: Non petam signum, & non tentabo Dominum: quasi Deum tentare, sit facere quod iubet. Inuictus rex non habet opus gratię Dei fulturis. Abraham, Moses, Iosue, Gedeon, suæ fragilitatis benè conscij, structiles huiusmodi columnas non respuerunt. Postores itaque læti de signo accepto, confestim angelis discedentibus, in eandem sententiam inierunt omnes, vt curriculo Bethlehem proficiscantur, signum hoc datum coram visuri. Stat sententia. Curis itaque aliis posthabitis omnibus, festini veniunt Bethlehem. Non refert, idiotæ fuerint, cùm impij non extiterint. Fac in synagogis Iudæorum infrequentes fuerint: fac & Iudæorum Thora vnguem memoriter non tenuerint: non tamen verbi Dei omninò fuerunt ignorantes. Non ex multa literatura, sed ex omni verbo Dei credito, homo viuit. Scientia inflat, charitas ædificat. Crediderunt homines Messiam in mundum venturum: hac spe pietati studere non cessauerunt, & sic Messiam ✻ primùm videre meruerunt. Obserua ô homo, sis rusticus, opilio, syluester, auriga, nauita, nuncius, & quicunque tandem cerdo: pri-

Pastores sic gnũ sibi data tum læti receperũt, exẽplo prioris pastorum.

*for. *primi.*

mum quære regnum Dei & iuſtitiam eius, & benè tibi erit. Memineris te eſſe hominem, & eum Chriſtianum, in ſpem viuam vocatum, 1. Pet. 1. In ſpe ergó ea arandum, triturandum, labores quicunque hac ſpe toleranda: non refert ſi non omnia intelligas, modò ſimpliciter Chriſtum, atque adeò fidei catholicæ articulos, credas. Annas, Caiphas, Herodes, & phariſęum vulgus, ſcripturarum peritia inflati, turgent, putantes in ſcientia multa pietatem eſſe ſitam, neſcientes Dominum abbreuiatum verbum facere in terra. Paſtores vel micis verbi Dominici cupientes ſaturari, hoc eſt, abbreuiato ſermoni ſtudentes vita tota reſpondere, illis depereuntibus, ſunt ſeruati. Hi, inquam, ſunt ſaturati, quia pauperes, iuſtitię ſitientes & eſurientes, fuerunt: illi relicti inanes, quia faſtidioſi. Hi multa, quibus ad eam eſuriem prouocarentur, in ſchola crucis, in caulis & pręſepibus, inuenerunt: illi in voluptatum, deliciarum, concertationum & diſputationum legalium ſchola, in aula & in palatiis, multa, quibus à iuſtitia vera impedirentur. Sed & puerulus noſter à regibus Sabæis (ſic enim eos Athanaſius vocat) inuentus: vndè ſapientibus huius ſeculi & potentibus, regnum cœlorum non abnegamus. Poſſunt & hodie quoque Magi locupletes & potentes, Chriſtum inuenire, modò cum Magis vigilēt, ſimilíque via ad Chriſtum properent, ſe & omnia quæ poſsident, puero offerentes. Cæterum etiam paſtores locupletibus in ratione meriti præferuntur, niſi perfectioni ſtudentes, omnia quæ habent, pauperibus erogent, & pauperem Chriſtum pauperes ſequantur. Nā & paſtores inopes hic Magis opulentis Chriſtum priores viderunt, & angelorum exercitus (quod Magis non contigit) in Dei claritate & audierunt, & viderunt.

Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Attende veræ fidei profectū. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Paſtores audierunt de Meſsia naſcituro, & crediderunt, Audierunt natum, &

Fides primo operari quā prædicare incipit.

fidei augmentum acceperunt. Nuſquam ocioſi. Primò ſuæ vocationi ſatisfacturi, in ſudore vultus ſui panem comederunt. Poſteà ſoliciti de pueri inquiſitione, rei familiaris curam pietatis ſtudio poſthabuerũt. Vt videas Mariam & Martham in vnis ædibus ritè habitare. Erubeſcat peſsimum phariſæorum genus, qui ocioſam fidem tradunt. Paſtores poſt hæc omnia, tandẽ & Dei gloriam prędicant, à bonis operibus ad docendi munus aſcendendo. Inceperunt ſiquidé facere, & poſteà dicere. Erubeſcant ergò, qui pietatis officij obliti, ſiue negligẽtes, immò etiam (quod peius eſt) pietatis officij contemnentes, cathedrã inuadunt. Sed qualis magiſter, talis diſcipulus. Phariſæi nuſquã leguntur ſua doctrina ità mortalium affectus mouiſſe, atque paſtores hi: quorum verba virgo Maria non minori cura, quàm & ipſorum angelorum, cordi ſuo caſtiſsimo commiſit. Faceſſant ergò Thalmudicaniſti, Kalmuſerani & Alcoraniſti vani, immò veſani, audiantur nunc theodidacti ſancti paſtores, Chriſti gloriam prædicantes. Sed nunquid ipſos paſtores poſt hæc omnia ocioſos deſediſſe, & fide ea ſua ſibi placuiſſe rebimur? Minimè gentiũ. Neque enim verbum Dei ocioſos efficit. Et vinea Domini operarios deſiderat. Verbum primo Adæ laborem & ſudorem præſcribit. Verbum caro factum, ſecundus Adam, nihil niſi cruce atque adeò laborem ſibi elegit. Quis ergò tertius Adam, niſi antichriſtus, qui ocioſam iuſtificationis viam docendo, meritorumque fidem eleuando, homines benè currentes remoratur & interiungit?

Antichriſt⁹ eſt doctor præmia bonis operibus denegans.

Dominus Deus, qui cœlos ipſos hodie nihil niſi nectar pluere vult, tanto errore extincto, annuat nobis, vt ardenti affectu cum paſtoribus audire, ardentiori cum beatiſsima puerpera virgine perpetua cuſtodire, ardentiſsimo cum vtriſque exprimere valeamus, in Eccleſię decus & pacem, in Dei omnipotentis gloriam. Cui laus & gratiarum actio per æterna ſecula ſeculorum Amen.

IN NATALIS DOMINICI MEdia Nocte, Luc. 2.

Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſc. &c.

¶ SECTIO Hiſtorialis ſeu literalis.

1 *Vniuersale mundi imperium, significat sceptrum à Iuda ablatum.*

2 *Virginale puerperium, significat Halma peperisse.*

3 *Paupertatis miraculum, significat regem illum Christum, qui paupertatis patronus erat futurus, natum.*

¶ DECLARATIO.

1 *Exiit edictum à Cæsare Augusto &c. Non auferetur sceptrum, Non cessabit vnctio, notæ sunt Prophetiæ. Eià bone Deus, quam candidè omnia, Prophetarum oracula exprimunt?*

2 *Asscendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth &c. Virginale puerperium non modò hic considerandum, sed & locus vite perpendendus, cum sponso & cæteris circunstantiis, & videbi verum natum Messiam. Primò, quantum ad virginem, attende Halma esse vocabulum sacrosanctum, Hebraicum Halma transtulerunt LXX. apocryphã. id est, absconditã. Periphrasis virginis. Virgo in publicum non prodeat, nisi cum matre. Cæterùm etiam significat virginem & iuuenculam, quemadmodum & mulier tam fœminã corruptam significat, quàm puellam intactam. Latinum Alma, Deitatis aliquid importat, immo etiam aliquid angelicæ puritatis. Vnde dies dicitur alma, & lux &c. Miraculum vult, Matrem Messiæ esse Apocryphum, virginem puram, puritate vel angelis mirandam Propheta dicit, virginem habitaturam cum adolescentulo. Promissio non friuola, neque vulgaris vtrunque emphasis, vtrinque miraculum, vtrinque sacramentum. Iosephus custos datus virgini & testis, interpretatur augmentum. Vides sacramentum, de quo infra latius. Sic attende veritatem historiæ. Bethlehem quoque prædicta est fore patria Messiæ.*

3 *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, &c. Paupertas quoque adnotanda. Nam & rex Sionis promissus iustus & saluator, per paupertatis symbolum dignoscendus, teste Zacharia propheta cap. 9. Cuius imperium super humerum eius. Pãnosus in præsepio, nudus in Cruce. Concordat vita doctrinæ. Beatitudinis doctrinam à paupertate spiritus inchoat. Beati, ait, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Pauper in hoc mundo degere voluit, vt nos per ipsum cœlestes diuitias consequeremur.*

SECTIO Mystica.

1 *Vniuersale mundi imperium, significat regnum nouum libertatis vtique.*

2 *In vir-*

2 *In virginali partu liquescit, verbum esse incarnatum, & omnes fideles in ipso primogenito Mariæ & Dei, esse hæredes Dei primogeniti puta Dei, & Mariæ fratres.*

3 *Paupertas Verbi incarnati, facit nos locupletes. Panni, præsepe, stabulum, & omnia alia huiusmodi, mysteriis sunt plena.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Vnus Christus, gemina substantia, verus Deus & homo natus in hunc mundum, merito sibi omne vsurpat atque vendicat imperium, omnem potestatem, omnem maiestatem: omnis alia caro fœnum. Sublimata verò in eo humana est natura, adeò vt dicas: O felix Adæ culpa, per quam in melius est reformata natura. Angeli nunc porrò nolunt adorari ab homine. O superbiam tyrannorum filiorum hominum, vermium ac putredinum, qui coli volunt Nemroithæ miseri.*

2 *Primogeniti fide & sacramentorum virtute, Rom. 8. Coloss. 1. Observa, Filius dicitur.* * *id est, ab Amore, Facit ad hoc, Qui dilexit nos in dilecto, Coloss. 1. Facit etiam huc, quod Pater filium subindè dilectum vocat, Matt. 3. 17. Marc 1. 9. Luc. 3. 9. 20. Vocat autem sic, vt nos paternæ dilectionis certiores reddat.*

* ἀπὸ τῆς φιλίας,

3 *Paupertas Christi, labores & ærumnæ eius, nos asserunt ab omni malo, & ditant omnibus spiritualibus diuitiis. Pannis inuoluitur, vt stolam immortalitatis reciperemus. Vndè & postèa in monte Caluariæ exuitur. Manus & pedes stringuntur. Extendit Adam & Heua manus. Summa Christi natiuitas & ærumna, est nostra satisfactio, sacramentum nostræ salutis: adeò, vt si exemplum Christi simus imitati, Christi nobis natiuitas & ærumnæ sint factæ nostræ, nos Deo commendantes. Stabulum significat Ecclesiam, in qua curatur vulneratus à latronibus.*

¶ SECTIO Moralis.

1 *Tanto regi se meritò submittit totus mundus.*

2 *Exemplum imitandum eius.*

3 *In stabulo ipsius cum ipso manendum.*

¶ DECLARATIO.

1 *Primum, non habet opùs expositione.*

2 *Manus nostræ & pedes, à malo arcendi, continendi q;, & ad bona opera admouendi.*

3 *Stabulum significat Ecclesiam. Manendũ nobis in ea. Manemus in fide & solennitatum obseruantia Ecclesiæ non est, quì cum Ecclesia, hoc tempore præcipuè, & perpetuò non celebrat*

Mariam, per quam habemus noſtrum ſotera.

IN AVRORA NATALIS DOMINICI, Luc. 2.

Et erant paſtores in eadem regione vig. &c.

SECTIO Literalis.

1 *Media nocte natus eſt paſtor Iſrael.*

2 *Angelus magni conſilij, habet teſtimonium angelorum.*

3 *Signum infans, iuxta Eſaiam, veritatem explicat oraculi, & nati Meſſiæ.*

¶ DECLARATIO.

1 *Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis &c. Media nocte citra myſterium declarat oraculi veritatem, Sap. 18. Meſſias quoque dicitur paſtor. Eze. 37. Zach. 13 Huc pertinet interpretatio Bethlehem, quæ domus panis dicitur. Chriſtus panis vitæ iacet in præſepio.*

2 *Et eccè angelus Domini ſtetit iuxta illos &c Angelus magni conſilij dicitur ſecundum Septuaginta, qui alia nomina gloriæ Chriſti, Ptolemæo commodè non putarunt poſſe interpretari. Rectè angelon illum angelorum exercitus prædicabant, pium eum Dominum declarando. Natus eſt nobis hodiè ſaluator qui eſt Chriſtus: Saluator, vtique & creator. Creatoris eſt, ſuum plaſma ſeruare. Saluator dicitur, qui Ieſus proprio nomine vocatur. Ieſus proprium eſt Dei nomen, quia Domini eſt ſalus. Chriſtus, tam proprium eſt nomen Dei, quàm officij filij Dei.*

3 *Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum &c. Signum, infans Chriſtus puer, Eſa. 9. Sed ſingularis puer. Caterùm multi ſunt pueri, in quibus nullum tale ſpecimen Magi norunt, norunt Sibyllæ, nedùm populus Dei. Literaliter omnia accepta faciunt nos certiores de Meſſia nato & dato.*

¶ SECTIO Myſtica.

1 *Nox in diem conuerſa.*

2 *Angelorum conciues fecit nos angelus magni conſilij.*

3 *Signum infans in præſepio, in omnibus ſacramentis repræſentatur.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Nox in diem conuerſa, Eſa. 6. Pſal. 138. Cùm nox eſſet, percuſſi ſunt primogeniti: hoc die reuixerunt omnes mortui. Verſus ordo: Nox præceſſit, dies appropinquauit. Petro nox erat, cum diceretur illi: Hac nocte me negabis. Dies, cum diceretur: Hodiè mecum eris in paradiſo. Chriſtus lux ſine nocte.*

2 *Angelorum conciues. Apoc.19. Angelorum escam comedit homo. Angeli etiam significant, secundum Glosam Interlinealem, sacerdotes. Stabulum significat Ecclesiam, Præsepium altare. Panis angelorum iacet in præsepio, vt electa animalia pascat Angelorum pane, angelósque faciat. Obseruanda ritè verba Angelorum:* Nobis natus est saluator. Nunquid angeli peccaminosi? Nunquid angeli damnati? Absit. Sed agnoscunt naturã hum mam exaltatam supra ipsorum essentiam. Agnoscunt, & nobis gratulantur, dicentes: Nolite, &c.*

3 *Signum, infans. Humiliauit se sublimitas. vndè ait: Nisi parvuli efficiamini, non intrabitis in regnum Dei. Sacramentum & exemplum. Gloria in altissimis, ex Infante iacente in præsepio. Gloria Patri, est Filij: Sacramentorum omnium virtus est in Ecclesia. in præsepio, in gremio Mariæ. Obserua, traducem etiam in angelis cæli designari. Primò vnus angelus, deinde angelorum exercitus. Pax super eos qui hoc norunt.*

¶ SECTIO Moralis.

1 *Noctis opera ponamus cum pastoribus.*

2 *Munditiæ studeamus cum Christo, Maria & Ioseph.*

3 *Humiliemus nos sublimitati submissæ.*

¶ DECLARATIO.

Primum & secundum clara sunt. De tertio obserua, Christi humilitatem etiam clarescere in angelis. Angeli sibi nos pares æstimant. Oculos sublimes odit Deus. oculi Domini humilia respiciunt. Superbus, qui angelos, hoc est, sacerdotes traducis catholicæ, audire contemnit. Traducis mysterium vides in angelis. Superbior est, qui sacramenta Ecclesiæ negligit. Angeli mittunt pastores in Bethlehem. Superbissimus est, qui mala vita & depravata, solius fidei doctrina, Verbo incarnato pugnat. Pastores, non latrones, non ardeliones & impios mittunt ad Christum: vt discamus indè, nos abiectis carnalibus concupiscentiis, mente pura ad sacramentum Eucharistiæ accedere oportere: per bona opera iustitiam nobis subindè augeri, sic iustificari, atque adeò pacificari fide per charitatem operante: quia non est pax impiis, cæterum pax multa diligentibus legem tuam. Hi etiam angelorum exercitus, qui vniuersalem significant Ecclesiam, pacem hominibus bonæ voluntatis pronunciant. Superbissimus omnium est, qui nouo commento præsumit sensum communem eludere, & pacem otiosis, etiam illusoribus, denunciare.

POSTIL. VVICE. SVP. EVANG. AD MISSAM TEMPORIS CANONICI, Luc. 2.

Et factum est, vt discessérunt ab eis angeli, &c.

SECTIO Literalis.

1 *Angelis in cælum abeuntibus, Verbum incarnatum visibile factum, manet in præsepio, existens etiam in cælo.*

2 *Pastores de eo verbo visibili & tractabili piè conferunt, & diligenter inquirunt, quia pastor Israel ipsos sibi conciuit.*

3 *Mariam & Ioseph, hunc ministrum, illam matrem Verbi, inueniunt. Infantem adorant. Maria ea quæ ex pastoribus audiuit, cordi suo commisit: quia verbum scit esse Dei Halma illa & Prophetissa. Pastores Deum prædicant visibilem, iam facti hominum pastores per hominum pastorem.*

DECLARATIO.

1 *Et factum est vt discessérunt ab eis angeli, &c. Angeli disparentes, in cælum euolant. Verbum infirma carne atque adeò mortalitate assumpta, iacet in præsepio, in ligno moriturum. Hoc sic prædictum: Cuius imperium super humerum eius. Veritatem attende oraculorum.*

2 *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est &c. Pastores non suopte ingenio, non naturali sapientia de verbo visibili conferunt, sed virtute verbi incarnati, Pastoris Israel, de quo suprà. Attende virtutem sacramenti incarnationis Verbi. Veniunt, sed attracti Verbo tacente in præsepio, non solùm voce angelica. Nemo venit ad me, ait, nisi pater traxerit eum. Pasti pastores ab animarum pastore. Omnia per ipsum.*

3 *Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Pueri testes futuri, primò cognoscunt, id est, eruditur. credidi, ait, propter quod locutus sum. Obserua Christum nusquam solum sinè testibus suis conspici. Deliciæ eius sunt, esse cum filiis hominum. Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Habet Christus suos testes in cælo & in terra, immò etiam in limbo siue vestibulis inferni. Adoratur vndique ab omni creatura. In nomine eius omne genu flectitur. Videntes pastores, habet textus. Rectus seruatur ordo. Per cognitionem natiuitatis, veniunt ad cognitionem Verbi. Impletum illud Exo. 33. Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Videtur rex in diademate matris. Maria verbum pastorũ accipit vt Dei verbum. Vide qualem habeamus puerperam Halmam, id est, virginem*

Deo plenam, prophetissam eam, cuius typum gessit vxor Esaiæ. Gemmarius de gemma habet iudicare. Vidit Prophetissa, quid sibi Pastorum verbum voluerit. Nouit hoc à Luca adhuc debere conscribi, & ab vniuersa adorari Ecclesia. Glorificauerunt denique pastores Deum: vbi obserua virtutem Verbi incarnati. Accedens ad ignem, plùs incalescit. Pastores venerunt animantium brutorum, abeunt pastores hominum, pastores Animarum, virtute Pastoris omnium cùm hominum tum Angelorum.

¶ SECTIO sensus Mystici.

1 *Angeli abeunt, quia saluare non poterant.*

2 *Pastores inuenta gratia vltrò quærunt, quia Christi regnum est perfectæ libertatis.*

3 *Ioseph & Maria cum puero, arguunt quæ sit sanctorum communio.*

¶ DECLARATIO.

1 *Psal. 106. Emisit verbum suum, & sanauit eos. Sapien. 16. Sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Esaiæ 63. Torcular calcaui solus.*

2 *Hæresis est, vocatis atque electis Christo incorporatis negare liberum Arbitrium. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. verbi incarnati tanta est maiestas & efficacia. Veritas est, potentia Dei est, Roma. 1. Omnipotens est, Sap. 17. Saltem dic verbo, ait Centurio. Verbum caro factum est, vt nos fiamus spiritus. Deus homo factus, vt nos Deitatis suæ faceret participes. Ligatus, vt nos solueret. Omnia nobis, sacramenta omnia.*

3 *In Ecclesia catholica verbum suos habet testes. Non sine Maria & Ioseph inuenies infantem Sotera mundi. Maria, quæ & ipsa soror est Ecclesiæ, immò regina, atque adeò typus Ecclesiæ, inserit pannis, ponítque in præsepium: ipsa quoque resoluit insertum pannis, & vberibus admouet suis. Sanctis commissa est scripturæ interpretatio. Donum prophetiæ spiritussanctus confert Ecclesiæ. Si quid superaddideris, ait stabulario, reddam. Maria nouit se secundùm prophetias, Dauidis filiam in Nazareth ortam, filium Dei in Bethlehem enixam, audit nihilo minùs pastores. Sic Ecclesia non solùm prophetas testamenti veteris, sed & Doctores & Pastores habet suos. Non dixit, Quid mihi cum pastoribus, quæ Oracula noui prophetarum? Non dicamus & nos, Quid mihi cum Hieronymo & Augustino & aliis Patribus, cùm in promptu sit, Matthæus, Marcus, &c.*

¶ SECTIO sensus Moralis.

1 *Transeundum est nobis in Bethlehem, cura mundi abiecta omni.*

2 *Inuentis Maria, Ioseph & puero, cuique quod suum est tribuamus.*

3 *Reuertamur ad nostra, vt maneat in Ecclesia praxis & theoria.*

¶ DECLARATIO.

1 *Transeamus autem vsque Bethlehem. non dicunt, Eamus priùs domum, & curemus rem familiarem. Obliti omnium, quærunt eum, sinè quo nihil est. Non adspiciamus retrò, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Sepeliant mortui suos mortuos. Surrexit, & sequebatur Christum Matthæus, cum gaudio Christum excepit Zachæus.*

2 *Mariæ, Ioseph & Christo, cuique quod suum est tribuamus, prædicemus, colamus, veneremur. Adoremus Mariam & Ioseph duliæ cultu, præcipuè matrem colamus Mariam, vndè habemus tantum fratrem Iesum. Latriæ adoratione excipiamus Infantem, quia è cælo venit. Quenque horum pro suo merito & æstimatione recolamus, nullum horum sua gloria defraudemus, vt faciunt canes & porci immundi, extra Ecclesiam constituti. Pij pastores norunt, vt quenque horum venerentur.*

3 *Reuertamur ad nostra, sed ne quid nimis. Marthæ dicitur: Solicita es, & turbaris erga plurima. Et nostra verè sunt, quæ nos sequuntur bona opera. Apocalyp. 14. Thesaurizare iussi sumus in cælo. Ambrosius ait: Non sunt bona hominis, quæ secum auferre non potest. Reuersi sunt pastores, laudantes & glorificantes Deum. Sic luceat lux vestra, vt visis operibus vestris bonis, homines glorificent Deum. Glorificauerunt Deum in omnibus, non solùm ex illis quæ per angelos audierunt, sed & de omnibus quæ in Bethlehem viderũt. Maria Halma & prophetissa, etiam toti mundo meritò æstimatur admiranda.*

¶ OBSERVA.

Historia natalis Christi præ cæteris, omnigenis est sacramentis referta: quia sacramentũ incarnationis, omnium aliorum est ianua. Diligenter ergò expendenda sacrosancta Euangelij lectio. Sacra siquidem scriptura exercitatum theoreticũ requirit. Omnia siquidẽ sunt allegoriis, tropologiis, & anagogiis vndiq; plena. Nullum

iota, nullus apex est, quin singularem habeat vitæ energiam. Neque etiam litera vlla est in ipsa scriptura, quæ nos non admoneat religionis sanctæ, & honestatis, vitæ, quod non vident excæcati hæretici, qui soli fidei iustificationem omnem tribuunt, charitatem elumbem & frigidam docentes, disciplinas omnes emortuas & euanidas habentes. Catholicus lector, tam operum bonorum & disciplinarum præcepta & præmia in scriptura quærit catholica, quam fidei dogmata. Exépli causa: Augustum fac significare consecratum, vel ritè sacratum, iuxta hoc Nasonis:

Sancta patres Augusta vocant: Augusta vocantur
Templa, sacerdotum ritè sacrata manu.

Fac etiam significare augentè, à verbo Augeo, iuxta eundem Poetam, dicentem:

Augeat imperium, nostri Ducis augeat annos.

Hic vndiquè mysteria habes salutaria. Primo, Christum regem verè sacratum venisse, missum nimirum in nomine Patris. Mitte quem missurus es, ait Propheta. Dicitur ergo Silo, &c. Dein attende, Christum esse auctorem, immò Authorem regni æterni, iuxta hoc Sibyllæ:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Si mortalia quæras in vocabulo Augustus, quatenùs significat ritè consecratum, ambitio corrigatur. Nemo imperare quærat, nisi priùs imperare didicerit. Quantùm ad augmentationis vocabulum, rectè dictum est ab Artaxerxe: Beneficium addere, longè magis regale quàm accipere. Alius eius nominis, quum sibi pauper quidam manlum ingétis magnitudinis obtulisset, iucundè suscepit atque dixit: Per Solem, hic mihi videtur, quem vrbem quoque ex parua magnam reddere existimem. Discant nostrates ex ethnicis, vt tandem non iudicentur per ethnicos. Voluit author & auctor omnis boni, nasci sub rege illo qui dixit: Lateritiam vrbem reperi, marmoream relinquam. Item sub illo mori, qui ait: Pastorem tondere gregem oportet, non deglubere. Hic disce quid sibi velit cùm dicit: Date Cęsari quę Cęsariss sunt,

Dein Syria est in medio terræ habitabilis. Mysterium: Deus vult omnes saluos fieri, quia omnium est Dominus. Morale: Mediocritatem nobis commẽdat. Mædium tenuére beati. Medio tutissimus ibis. Bethlehem, domus panis interpretatur. Mysterium: Christus panis Angelorum, factus cibus viatorum. Vide Psal. 17. Esa. 5. 7. &c. Hæc tam de carne, quam de verbo intellige, contra hęresin, quæ male torquet hoc Christi: Caro non prodest quicquam. Hæresis incarnati verbi mysterium non intelligit. Morale: Splendidum in panibus benedicet omnis populus. Splendidum cor bonum in epulis, Eccle, 30. 31. In priori epistola ad Corinth. arguit Apostolus diuites, suam quosque cœnam præripientes, & pauperes cõfudentes. Primogenitus, significat mysticè nos omnes patris cælestis hæredes per Christum. Angelus percutiens, non tangit primogenitos, sanguine huius Agni litos. Morale:

Primogenita, significant bona initia nostræ actionis, quæ quasi corde gerimus, & Dei gratiæ accepta referre debemus Paupertas Christi, habet quoque grandia mysteria. Diuites nos facit sua paupertate illa, quam vltro recepit. Deniquè & saluatorem animarum nobis se paupertate voluntaria declarat. Moses saluator pauper natus, quia expositus, Exod. 2. sed Israelem de Aegyptiaca seruitute liberauit, Exod. 13. Cyrus quoque expositus, à pastore inuentus, posteà factus rex Medorum ad liberationem Iudæorum. De paupertate Cyri, vide Historiam Ecclesiast. super Danielem. Pauper hic noster Moses & Cyrus verus Iesus, Mariæ filius, nos de diabolica liberauit potestate, non habens regnum in hoc mundo, nisi hoc quod erat super eius humeros.

Moraliter: Beati pauperes spiritu. Nemo potest duobus Dominis seruire. Plures mihi libri essent conficiendi, si omnes huiusmodi figuras velim prosequi. Rudibus saltem specimen aliquod contemplationis constitui delineare. non solum mysteria, sed & moralia scripturã vndique continere. Qui medi[illegible]i prędituſ ratione, & literas sacras vel ab extremo vnquam limine salutauit, ipse per se videbit vbi commodum sit huiusmodi elicere expositiones. Statim etiam videbit, vbi ethnicorum cum

philoſophorum tum poetarum atque hiſtoricorum teſtimonia locum habeant. Auguſti nomen, & nominis eius ſignificatio, rite ex ethnicorum monumentis exponitur. Sibyllarum oracula, Cyri & aliorum hiſtoriæ, ritè ex ethnicis petuntur. Myſteria vero quę de Bethlehẽ, de Nazareth, & cæteris eius generis dicenda ſunt, non niſi ex prophetarum oraculis ſunt enucleanda. Sic theologia Regina in arce atque ſolio gloriæ magnifica atque glorioſa conſpicitur. Cæteræ artes & facultates omnes, omnis philoſophia, & quicquid eſt ſecularis literaturæ, huic tantæ Dominę pediſſequæ cõſtituentur. Quod obiter ſacræ Theologiæ Tyrones ſubmonere collibuit.

DE DIVINITATE CHRISTI NOBIS NATI, NOBISQ; DATI.

HActenus chariſsimi Soteris noſtri natiuitatem temporalem audiſtis, ſupereſt vt & æternam audiamus. Non in Bethlehem nobis deſidendum eſt, ſed indè ad cæleſtem Hieruſalem aſcendendum. Hic Chriſtum in cæleſti patris gremio inueſtigemus, & non pannoſum puerum, ſed glorioſum patrem futuri ſeculi & principem pacis inueniemus. Quod in Nazareth conceptus & in Bethlehem ſecundũ corpus & tempus, eſt natus, longè minus eſt, quam quod in corde parẽtis æterni æterno gignitur. Nõ ſufficit audiſſe quid in tempore ſit factus, niſi etiam credamũs quid ab æterno fuerit & in ſecula permanebit. A matris caſtæ gremio in patris almi ſinum veniamus. De paterno gremio ait Euang. Ioannes: Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Matthæo itaque & Lucæ ſubdamus Ioannem & Paulum, hoc eſt, poſt incarnationis enarrationem volitemus & efferamur altius ad diuinitatis contemplationem. Hic conculcemus Cerinthianos diuinitatis Chriſti hoſtes, illic peſſundemus Manichęos Chriſti humanitatis inficiatores. Chriſtus noſter Dominus nobis puer natus, vt verus Deus in cælo eſt immortalis. ſic in terra verus homo impeccabilis, quod ἀναμάρτητον vocant, eſt natus. Niſi enim verus Deus eſſet & verus homo, Dei & hominũ mediator eſſe haudquaquam potuiſſet. Homo, non angelus ſiue dæmon, homines ſal-

uare debuit. Adamus per Adamum, hoc est, homo debuit per hominem redimi, sed per talem Adamũ qui hoc præstare potuit, hoc est, per Deum incarnatum. Domini enim est salus, & Deus noster Deus saluos faciendi. Mariæ filium itaque filium Dei constantissimè prædicamus, fulti prophetarũ de eo oraculis. Dauid ait Psal. 109. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Quod si Dauidis ille liberator & Dominus à dextris Dei sedet, oportet vt Deo sit per omnia similis. Prędixit Hieremias Dauidis germen, Domini (hoc est, Dei) sibi nomen vendicaturum. Hoc nomen Dominus, vt hic Tetragrammaticos positũ est, mero homini neutiquam poterit tribui. Neq; item angelis conuenit: quia vt homo ex elemẽtis conditus est, sic angelus purus spiritus ex verbi nutu, & non suo, est creatus: atque adeo mera creatura creatoris nomen adorat, non arrogat. Filius Marię nobis datus est, quem cęlestis pater hęredem constituit vniuersorũ, per quem fecit & secula. Qui cum sit splendor glorię & character siue figura hypostasios eius, substãtię putà patris, portansq; omnia verbo virtutis suæ, catharismum, hoc est, purgationem peccatorũ faciens per seipsum, mediãte cruce siue ligno, & humanitati acceptę adhęret, consedit ad dexteram μεγαλοσύνης, hoc est, maiestatis in excelsis, tãto melior angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit. Apost. in epist. ad Heb. vbi hæc verba eloquitur, subdit authoritates scripturæ hęc omnia declarantes, nempe Psa. 2. 2. Reg. 7. Psa. 69. 44. 103. & 101. Summa omnium scripturæ horũ locorum est, Christum Dominum nostrum excellentius nomen præ angelis hæreditasse, creatorem & Dominum angelorum esse. Angeli sunt liturgica pneumata, hoc est, administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Pusio vero nobis natus, splendor est gloriæ patris cælestis, & (vt Apost. ait ad Col.) icon Dei inuisibilis. Ait ergo: Qui me videt, Philippe, videt & patrem meum. Filius Mariæ verbum est, quod in principio erat apud Deum, & quod Deus erat, & per quod omnia facta sunt. Quod in principio erat, ex Maria principium non habet. Hic filius nobis datus, ante matrem suam ex corde parentis est natus. Deus ergo sit oportet,

patri coæternus & consubstantialis, eiusdem cum patre maiestatis & gloriæ sit oportet. Omnia siquidem per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil. Hinc omnium creaturarū vita, hinc lux hominum & omnia. Quid vita dulcius? quid luce iucundius? Siue de temporali vita & luce, siue de æterna accipias, nihil vtraque re & precioſius est & præstantius. Quanta ergo verbi eius, vndè omnia extant, gloria? quanta maiestas? Et quæ est nostra æstimatio, quod hoc tale ac tantum verbum maiestatis ineffabilis, propter nostram saluté est caro factum? Hic nulli fideli aliqua dubitatio obrepere potest. Habemus enim huius nostræ professionis testes angelos & homines, ethnicos & Iudæos. In terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Sic cum hominibus est conuersatus, vt se filium Dei facere videretur. Hoc etiam hostes veritatis fassi sunt, & nulla vnquam ratione negare possunt. Credimus ergo apostolo Ioanni, qui ait 1. ca. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Testimonia fidei nostræ non desunt: supereſt vero vt verbum carnem factum, Christum Iesum æterni patris filium, ritè excipiamus, corda nostra puerulo diuino cunas & perpetuas mansiones præbeamus. Hoc vt præstemus, faxit ille sinè quo nihil possumus, Dominus noster Iesus Christus, cui cum patre & sancto spiritu sit par laus & gloria per æterna secula, Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS natiuitatis Christi, Gal. 4.

QVanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, &c.

PRAEFATIO.

GAlatæ populi sunt Galatiæ, quæ est regio minoris Asiæ, Phrygiæ contermina. Hæc & Gallogræcia dicitur, à Gallis nimirum & à Græcis vna gens effecta. Gentē eam Apostolus ad Christi Iesu fidem cōuertit, populus ille idola sua, audito Euāgelio, execrabatur,

Christum syncerè colendo. Posteà verò cùm Apostolus à Galatis peregrè abesset, aliis quoque nationibus Christum prædicans, statim Antichristus suos præmisit prodromos, eos nimirum, qui legem Euangelio commiscerent, vtrunque confundendo. Negauerunt pseudoapostoli, Euangelion thora, id est, veteris test. legem post se antiquare. Voluerunt ergo, vt & lex, præcipuè circuncisionis ritus, obseruaretur vnà cum baptismo & Euangelio: quasi citra legis obseruantiam nemo possit seruari. Simili hęresi etiam Romanam ecclesiam statim labefactare præsumpsit hostis antiquus. Apostolus itaque spiritu Dei plenus, schismatôn mala præuidens, ministrum fidelem sese exhibuit, antiqui hostis machinamenta detegendo atque expugnando. Testantur Apostoli studium vtraque epistola, ad Romanos & ad Galatas. Vsque adeò Apostolus contra hanc hęresin pugnauit, vt ad eius legitimam exterminationem, Apostolicum senatum Solymis conuenire & super ea causa decernere faceret, Act. 15. Atque hoc de statu huius ad Galatas epistolæ, satis dictum puto. Quantum verò ad præsentem attinet lectionem, primò Apostolus confutat Iudæorum hæresim eam, de qua iam diximus. Secundò conuertit se ad gentes, ostendẽdo in eis effectũ Domini cę incarnationis. Sic euangelica lectio cum pręsenti concordat. Euangelica ostendit, puerum Iesum succreuisse & confortatum esse, plenum sapientia & gratia. Pręsentis epistolæ lectio exprimit Dominicæ incarnationis & natiuitatis effectum, illum nimirùm, quo de seruitute erepti, & in libertatem vindicati, atque in adoptionem filiorum Dei sumus assumpti. Quod etiam de præsentis lectionis sectione dictum volo. Sequitur lectio:

Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre. Ad persuasionem atque demonstrationem multis argumentis vtuntur oratores. Sed vix aliud præsentius inuenias, atque est parabolarum scita adductio, quippe qua non solum gnari, ingeniis prędditi felicioribus, sed & rudes quicunque instrui possunt. Vnde Seruator hoc argumenti genere

præcipuè ſolitus eſt vti. Apoſtolus item, qui non ſolum eruditis ſe doctorem, ſed & indoctis ſe debitorem agnouit, magiſtrum ſuum Dominumque Ieſum ſedulò eſt ſequutus, præſertim in hac ad Galatas epiſtola, in qua pluribus vtitur parœmiis atque ſimilitudinibus, teſtamenti nimirum, pædagogi, atque hæredis. Gnome præſens quanquam per ſe ſatis ſit illuſtris, tamen paraphraſin eius, nè meo deſim officio, ſubiiciam.

Epiſtola ad Galatas, plena eſt parabolarum.

Diti patri familiâs eſt proles, cui ex aſſe hæreditaria ſucceſsione & iure ſua omnia bona relinquet, & quem hereditatem ſuo tempore cernere fas eſt. Puer adhuc eſt hæres ille: ratio, qua paternis bonis commodè nôrit vti, hæredi adhuc deeſt, pueritiam necdum egreſſo: vndè prætextatus ſub pedagogi imperio ferulam, inſtàr ſeruorum alicuius timere habet. Adultus verò, toga ſumpta virili, atque inſtitutione pædagogi eruditus, ipſius pædagogi Dominus & rex efficitur: tantum abeſt vt, porrò eius minas pertimeſcat, eiusque ſuſtineat verbera. Paraphraſin habes literæ: nunc deinceps, quid ſibi myſterium velit, audiamus.

Ità & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. Adaptatio ſcita. Haud ſecus atque puer hæres nihil diſtat à vernaculo, ſic Iudæi vet. teſt. nihil erant reuerà, niſi pueri, pædagogi cenſuræ crediti. Erant autem pædagogi, Moſes, Aaron, Ioſue, Samuel, ipſa denique lex. Hereditas erat regnũ Chriſti, ſpiritus Chriſti, agnitio myſteriorum Dei, fides explicita ſanctæ Trinitatis, eſca angelorum euchariſtiâs, & hoc genus reliquum. Huiuſmodi ſimulàc per temporis rationem necdùm capere poteramus rationis necdùm compotes, voluit cæleſtis pater, vt per pædagogos & cenſores à malo coërceremur. Stultitia pueri cordi innata eſt: virga eam eximit, vexatio dat intellectum. Voluit ergo patris cœleſtis prouidentia, vt per legis onus tantiſpèr exercitaremur, donec cautiores euaderemus. Eramus, ait, ſub elementis, vtique voluntate patris: eramus verò ſeruientes, compeſcente nos cenſura pædagogi atrocis atque ſeueri. Hæredes eramus in promiſſo ſemine Abrahæ, qui eſt Chriſtus. Hæredes eramus, atque adeò liberi, quia Saræ

Moſi in populũ Iſraeliticũ tanquã in pueros, ius erat.

pignora,ex promiſsione nati. Sed myſteria necdum cognouimus,quia temporis plenitudo rationem eam,qua talia ſacramenta intelligeremus, nondum nobis ingenerauit:ſeruiendum itaque nobis erat ſub elementis huius mundi. Elementa Latini vocant principia omnium rerum, à quibus ſumitur incrementum. Vnde & notas literarum,ſcriptores elementa vocant,eò quod ſint principia orationis. Per tranſlationem elementa hic accipiuntur pro legis rudimentis non permanſuris,atq; imperfectis:quale eſt circunciſio,ſabbathũ,neomenia,ſacrificia,holocauſtomata,votiuæ oblationes,veſtimentorum & eſcarũ diſcrimina,&c. Sinè huiuſmodi elemẽtis, fidei Chriſtianæ tradi nõ poterãt myſteria. Figuris itaque omnibus abũdè viſis,oraculis prophetarũ item omnibus ſatis ſuperq́ue prolatis. aliud tempus alios mores & ſtudia poſtulauit,iã non elementis locus, neque ferulę pædagogi: puerorum inertia atque ruditas, opus habet inculcatione doctrinæ elementorum varia. Sed adultorum ratio per rudimenta grammaticalia exercitata ſatis, iam artium liberalium & facultatum ingenuarum capax liberior ſit. Studium talium, liberum eſſe debet. alij ad muſicen nati, non debent cogi ad matheſin. Matheſios diſcendæ cupidum,nemo compos mentis ad logices ratiocinationes adegerit. Phyſice alios,alios iuris prudentia oblectat. Trahit ſiquidem ſua quoſque voluptas. Hic ſui ſtudij rationem reddere qui poterit ephebus, ſuæ cupiditati atque arbitrio eſt, relinquendus. Sic & Moſes in Chriſtianos imperium amiſit ſuum. Immò ipſe ab electis hiſce Dei filiis,qui & angelos iudicant, iudicatur. Eſt enim filius quicunque Dei, etiam ſabbathi Dominus ipſius. Elementum itaque quodammodò pædagogiam ſignificat. Pędagogus ſiquidem eſt, qui prima exordia, puerilem captum non excedentia, tradit. Sunt autem talia,legalia (de quibus ſupà diximus) omnia. Theophylactus & Ambroſius ſic elementa accipiunt,nempe ſecularia,mundana,humana,carnalia,viſibilia, fluxa ſiue caduca. Circunciſio noſtra ſpiritualis eſt: ergo & æterna vt ſit,neceſſum eſt. Sic vides elementi diction accipi Col. 2. potero iure meo vetus teſtamentum vocare teſtamentum elementarium,legem & præ-

Elementa quid apud Paulũ ſignificent.

Moſi in Chriſtianos,quaſi adultos nullum eſt imperium

Vetus teſtamẽtum elementarium.

cepta Mosis item appellare possum legem & præcepta elementaria. Mosen item bene dixero præceptorem elementarium.

At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt, redimeret vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Ac si dicat: Satis est actum cum lege & carnali legis iustitia. Iam porrò sub Mose non sumus. Oracula à prophetis prædicta, completa sunt omnia. Haalma Emanuelem peperit, stella Iacob apparuit, Sapientia æterna incarnata mundo apparuit, Agnus Dei peccata mundi abstulit: supereſt ergò vt circuncisio cedat baptismo, holocaustomata eucharistiæ, &c. Pędagogica exactione cessante, supereſt vt Christi regnum celebretur. Euangelij exordium legisque terminus, sese vicissim vrgent. Christus in lege seruiuit, vt nos omnium legis munium redderet immunes. Circuncisus author puritatis, maledictionem subiit benedictio: par est ergò, vt cesset circuncisio, & euanescat legis omnis comminatio. Vmbra disperiit, corpus iam conspicuum est factum. Aenigmata soluta omnia, typi & oracula adimpleta: stulti qui rei veritati, rei adumbrationem præferendam censetis ô Galatæ veri. Dum pueri fuimus, pueriliter egimus: nunc viros pueriles ludi dedecent. Quantum distat inter seruos & liberos? Seruili conditioni qui ingenuitatem præfert, insanus habendus. Iuxta nomen itaque vestrum veri estis Galatæ, hoc est, stulti qui in libertatem vindicati, seruituti subdi rursus cupiatis. Non solum liberi sumus in Christo, cuius corpori simus insiti atque incorporati, sed & sumus filij Dei: est ergo non solùm insania, sed & sacrilegium, euangelium lege confundi. Filij veri sumus Dei, sed non natura, vt Christus, sed adoptionis gratia, & merito Christi. Adoptionem eam Apostolus vocat hyiothesian, quod sonat receptionem, susceptionem, nẽ apposititionem. Hyiothesia ilthac nos, qui Adami sumus progenies, abiuimus in genus diuum, participes diuinitatis, conciues angelorum, cohęredes Christi: qui natus est homo, vt nos in sacramento regeneremur, atque efficiamur filij Dei. Thesei veri sumus quicũq; Christi censemur nomine. Græci adoptionem θεσιν voca-

Adoptio nẽ Apostolus vocat hyiothesian.

bant, ex themate eo Theseus dicitur adoptiuus. Vide Plutarchum. Non hic rhetoricamur, neque philosophamur, sed theologizando thesin nostram prædicamus, certi per eam nos perpetuò cum Christo regnaturos. De hocce mysterio vide plura Roman. 8. Ephes. 1. Liberali causa manu asserti, atque adeò ab interitu reuocati, animos sustollamus: & nè ad ergastula legis respiciamus, redemptori de accepto rude ingrati, atque adeò digni quibus non modò aures, sed & mala, mucrone perpetuæ perfodiantur infamiæ. Exagoraſia Christi Iesu, credentibus & baptizatis nobis omnibus sufficit, modò sciamus & nôrimus, quanta ea redemptio, assertio, atque restitutio existat. Hic locus si cui non satisfaciat, consulat Lucam in Actis Apostolicis, cap. 15. Cęterùm iterùm atque iterum videat quisque, nè hic priuatæ interpretationi nitatur. Christus dicitur natus ex muliere, non vitium passa, sed intacta & illibata. Tertullianus primò, & post illum omnes catholici, ostendunt virginem etiam significari vocabulo mulieris. Apostolus contendit hic Christum verum hominem natum, Messiamque esse verum mundi sotera, filium nimirum Dei. Catholicis qui subscribere dedignatur, Marcioni & Ebioni adstipulabitur cum illis, gratiæ Christi extorris, æternaliter condemnandus. Obserua vehementiam Pauli: factum, inquit, sub lege, natum ex muliere. Natum, quantum ad corpus assumptum: factum, quantum ad legis subiectionem. Factus siquidem omnium seruus, legalia volens seruare omnia, vt à legis onere & maledicto nos sibi incorporatos liberaret omnes. Sunt fortè, factus & natus, vnũ: sed tutum est, Apostoli verbis vti, & singula ritè discernere. Mulierem Hieremias dicit circundaturam virum. Esaias eandem vocat Haalman, hoc est, virginem. Vnum mysterium, idem vtrobique sensus. Apostolus quoque vocat mulierem, sua ratione & mysterio: nempe vt verum hominem Christum declaret, legis onus verè portâsse. Matthæus & Lucas mulierem eam, virginem intemeratam declarant, eundem filium hominis, filium quoque Dei ostendentes. Legat sacerdos Origenem super leuiticum homilia octaua. Legat & S. Augustinum, ostendentem & virginem propriè mulierem vocari. De hoc

Mulieris vocabulũ etiam virginem significat.

& sic

& sic ait Tertullianus: Paulus vocat mulierem virginem, sicut & Genesis Heuam. Mariam constat vtique virginem fuisse, licèt Ebion resistat. Sequitur: Et angelus Gabriel benedicens Mariam, inter mulieres, non inter virgines, deputat. Sciebat & angelus mulierem virginem dici. Hæc ille lib. de velandis virginibus. Idem loquendi modus etiam apud ethnicos est frequens. Hecuba filiam suam Polyxenam virginem vocat mulierem, dicens esse rem horrendam mulieres sacrificari. Vide Euripidem. satis huius. Sequentia & nunc videamus.

Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba pater. Clarissimè loquitur, sese exponendo fidelis Christi mysteriorum dispensator & doctor gentium. Vita lux hominum in tenebris lucet, deditque nobis potestatem filios Dei fieri, Ioan. 1. Potestas ea quid aliud est, quàm libertas arbitrij, spiritus sancti ductus & vnctio? Misit spiritum sanctum in corda nostra. Cor voluntatis habet symbolon. Mittitur non localiter, sed effectiuè. Sentimus opus spiritus, iuxta hoc scripturæ: Sentite de Domino in bonitate. Fides quodammodò est sensus bonitatis Dei. Quid autem sentimus? Deum ipsum benignum nostrum esse patrem, quantumuis hoc honore simus indigni, caro nimirùm & sanguis. Deum, quo nihil maius est, quis ausit patrem suum appellare, nisi hoc suggerat sibi spiritus sanctus? Obsignauit veritatem euangelij in cordibus nostris, adeò vt credamus & sciamus nos Dei filios, illum nobis patrem. Caro & sanguis non clamitat in nobis, Abba pater: neque enim puluis & vmbra tale nobis testimonium dare potest. Obserua Rom. 8. hæc duo vocabula geminata etiam legi, Abba pater. Sancta vehementia, fidei, spei & charitatis præsens adeò excitatio. Deniq; & hoc considerandum, alterum esse Chaldaicum, ad Hebræos pertinens: alterum Græcanicum, ethnicos repræsentans. Omnium vnus Deus pater idem, nihil ergò circuncisio, nihil præputium, sed fides Christi Iesu in charitate operans. Clamare item hic spirituale est atque internũ, spiritus ardentis puta in charitate fidei. Sic clamauit Anna vxor Helchanæ. Sic intelligendum quod in euangelicis literis passim legimus, mulieres quasdam clamitâsse, idque

Spiritus sanctus opus in nobis est manifestũ.

Clamare quomodò dicatur in nobis.

voce alta:quanquàm etiam hic,clamare, ad orationem eam,quam conceptis verbis exprimimus,referri posſit.

Itaque iam non eſt ſeruus,ſed filius:quòd ſi filius,& hæres per Deum. Collectio cùm venuſta,tum ardua. Quòd ſi ſpiritus ſanctus in cordibus noſtris clamitat, Abba pater, hoc eſt,ſi nos certos facit,nos eſſe Dei filios: ſequitur, ſeruos nos minimè eſſe Moſis & aliorum legis magiſtrorum. Infert deinceps:Si filij ſumus,ergò & hęredes. Seruos,vbi viſum fuerit,foràs explodimus, filios non item. Quicquid enim laborum homo ſuſcipit,liberorum ſuorum hoc gratia facit. Alexander Magnus, Octauius Auguſtus,& alij omnes huius ſeculi domini, quàm ſoliciti fuerunt, vt liberis ſuis & adoptiuis filiis regnum quiſque ſuum relinqueret ſaluum? Miſerabilis vox,plena nimirùn. curarum,Abrahæ dicentis: Ego vado abſque liberis, Semen mihi non dediſti, Eccè vernaculus meus iſte Damaſcus Eliezer,erit hæres meus, Geneſ. 15. Fac te Abrahæ fuiſſe hæredem, immò finge te Auguſti eſſe ſucceſſorem:quid,per Deũ oro,niſi vmbram & vanitatem poſsides? Chriſti Ieſu eſſe cohæredem,heu mihi,quantæ felicitatis credendum eſt eſſe? Huc referendum quod dicitur Roman. 8. Idem ſpiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro,quòd ſumus filij Dei. Quòd ſi filij,& hæredes:hæredes quidem Dei, cohæredes verò Chriſti. Maximum hoc,ineffabile hoc & immenſum. Sed obſeruandum, non ſolùm de cohæreditatione Apoſtolum agere,ſed & de compaſsione. Si, inquit, ſimul compatimur,vnà etiam cum eo glorificabimur. Et hoc quod ibi dem ſuprà dicitur:Proindè fratres,debitores ſumus non carni,vt ſecundùm carnem viuamus. Quaſi dicat: Noſtrum nunc porrò eſt,ſecundùm ſpiritum viuere,& carnis opera mortificare. ſic enim viuemus tandèm. Vbi nunc ſunt ſolius fidei prædicatores,impoſtores,& mentium humanarũ dementatores? Peruertunt infelices hãc epiſtolam præcipuè,cum ea quæ eſt ad Romanos, non videntes quòd in vtraque epiſtola diuinus Paulus tantoperè ad religionem abſolutam eam,quæ in praxi conſiſtit,cohortatur:quod ſuperuacaneũ planè eſſet & ociosum,ſi ſola ſufficeret fides. Si cui hic impia hæreticorum perſuaſio incidit,nempe ea, Filij ſumus gratia Dei

Hæredẽ Chriſti eſſe,maximi eſt momenti.

effecti, ergò etiam sinè opere omni bono iustificabimur, mera fide, credentes in Christo: is videat quid sit, esse filium Dei. Dicens te filium Dei, & opera designans atque exprimens diaboli, nihilo magis es Dei, quàm & ipse diabolus. Filius Dei Iesus Christus, sacramento suæ incarnationis nos sibi incorporauit. Insiti verò sumus, vt exemplum eius ad maiora subindè merita imitemur: quod nisi fecerimus, grauiùs vapulabimus. Christus Iesus veritatem catholicam suam ab hæresium pestilenti adspergine expurgare tandèm dignetur, Amen.

Filij Dei nõ sumus sola fide.

EADEM DOMINICA INFRA OCtauas Natiuitatis, Euangelium, Lucæ 2.

ERant pater & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Eccè positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signũ cui contradicetur, &c.

EVangelista nobis hic duo salutaria testimonia quorum neutrum reiici poterit, de puerulo Iesu proponit. Alterum est grandæui & eiusdem iusti viri, alterum longæuæ & eiusdem honestissimæ matronæ. Ille Simeon, hæc Anna vocantur. Ille primò iustus prædicatur, quæ prædicatio quanuis sit ampla, tamen euangelista eam locupletissimè auget, dicens eum quoque redemptionem Israel expectasse. Iustitiæ siue pietatis fontem attende. Sperabat ergò, & credidit. Credidit, & sperauit, vtique non sine charitate. Eccè tibi absolutam pie tatem. Sperabat autem in Domino Iesu fontem totius consolationis. Huiusmodi homines & tũc plerique alij, quanuis pauci, extiterunt: quorum non postremus fuit Ioseph ab Arimathia, de quo Lucæ 23. dicitur, quòd & ipse sperauerit redemptionem Israel. Sunt & hodie eius spiritus pij homines, nouissimam assertionẽ videre desiderantes, eam nimirùm, de qua Luc. 21. & Rom. 8. Neq; redemptionem eam solùm affectant, sed & reformationem ecclesiæ, quos ægrè sustinet, abusuũ eflagitant nõ minori, hęreseon, quibus miserè infestatur ecclesia, Deũ finem poscunt. Expectatio synagogæ restaurationis, Simeoni leuis non fuit: sic & hodie ecclesiæ expurga-

Pietas absoluta, fides, spes charitas.

Simeonis spiritus est, cupere ecclesiam reformatã

tio, sinè maxima anxietate non expectatur. Venerandus hic noster presbyter sic ingemiscendo dixit: Quandò veniet? Quandò nascetur? Quandò videbo? Sic & nostræ memoriæ Simeones solicito laborant tædio, tot superstitionum & abusuum, tot schismatôn & hæresêon zizania in agro Dominico videntes subnata. Suspirantes ergò, Deum reformationem, aut certè extremum diem, orant. Hæc breuiter de Simeonis præconio. Anna quoque decentissima vidua, & ipsa non mediocri encomio ab euangelista extollitur: sed eius laudem, in suum locum reseruabimus. Hos duos testes euangelista hic puerulo Iesu duxit proferendos: leuiusculis enim infimę fęcis hominibus nemo statim fidem adhibet. Producit ergò locupletissimos testes, Simeonem & Annam, quorum testimonio acquiescere possimus. Et hoc diuinæ visum sapientiæ, nè alterius sexus saltem testes: haberet puer Iesus. Quemadmodùm enim ex matre muliere nasci voluit, vt & per fœminam fœmineo generi suus redderetur honor: sic neque mulieris testimonium respuit, quia pręuidit hoc materno sexui fore dedecori. Hoc est quòd etiam è morte resurgens, idem testimonium mulierum renouauit: vt & liqueret, mulieres ad ecclesiam, iuxtà atque viros, pertinere. Vos ergò decentes quęcunque mulieres, per virginem Mariam & Annam à puerulo Christo cohonestatę, vati huic Annę credite, & exemplum eius æmulamini, similem cum ipsa laudem in ecclesia relaturæ. Mulieres, vtcunque bonæ fidei, in causis forensibus testimonium ferre non possunt. Sed quid ecclesiæ pacis, cum curia litium? In Christo Iesu neque mas, neque fœmina: qui ex fœmineo sanguine incarnari dignatus est, fœminarum testimonia non est dedignatus, immò (quòd diuus Hieronymus ad Principiam multis rationibus ostendit) magni fieri voluit. Nunc demùm & virilis sexus quisque homo, viro Simeoni credite, vir virum sectare, & illucescet tibi Christus. Pulchrè Ambrosius lib. secundo in Lucam cap. octauo, Non solùm, inquit, ab angelis & prophetis, à pastoribus & parentibus, sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accipit testimonium. Sed his prefatis, nunc tandem euangelistam videamus.

Sexus fœmineus cohonestatur in Euangelio certissimis causis.

Erant pater & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

ENARRATIO.

IN Græcis quibusdam exemplaribus, pro pater, legitur Ioseph, quod arbitror immutatum à quopiam, qui veritus fuit Ioseph patrem Iesu vocare, ne scribere & calculum adiicere videretur maledictæ hæresi Photinianorum, & blasphemiis infelicium Iudæorum. Diabolus ipse scit & fatetur Christum perpetuæ virginis filium, sed nihilominùs, quæ sua est obstinata malitia, infelici huic genti horrendam eam inspirat contumeliam. Prævaricatur magistratus, huic populo impunè sic blasphemare permittens: cùm alioqui multæ sint iniuriæ in Christon & eius glorioſissimam matrem, quæ ab ea gente perferre cogamur. Nouis euangelicaſtris non est blasphemia: quia neque virginitati meritum aliquid tribuunt, neque Mariæ virginitatem perpetuam, quasi articulum fidei, credendum contendunt. Christianum hominem salutaris hæc euangelica lectio non potest offendere. Nam vt hic Lucas Iosephum vocat patrem Christi, sic & Philippus apud Ioan. 1. Christum vocat filium Iosephi, dicens: Inuénimus Iesum filium Ioseph. Certum est, neque Lucam neque Philippum sentire hoc, quod execrabiles hæretici & Iudæi. Vocant Christum filium Ioseph ratione sacramenti connubij, quod inter Ioseph & Mariam verum interceſsit. Vndè & vulgus Christum naturalem & legitimum filium Iosephi putabat, Lucæ 3. verbum ἐνομίζετο putabatur, facit, vt nostrûm aliqui, Iosephum patrem Christi putatiuum appellârint, præcipuè Theophylactus. Sed nos ſimpliciter secundùm literam vocamus & credimus Christum filium Iosephi, eo sensu quo & Iosephum virum Mariæ virginis vocamus. Nam vt ab eo Maria manſit intacta, & nihilominus eius vxor dicitur & exiſtit: sic ille quoque dicitur pater Iesu, non natura quidem & commiſtione sanguinum, sed sacramento coniugij. Audi Christũ: Neſciebatis, inquit, quia in his quæ patris mei sunt, oportebat me esse? Cuius patris? Iosephi? Abſit. Sed genitoris cælestis. Sunt & certæ rationes, quarè virginem æternam Iosepho desponsari decuit. Primò, tanti myſte-

Ioseph qua ratione dicatur pater Christi.

Ioseph qua ratione ne marit⁹ Mariæ dicatur. Mariam matrem Christi, maritari oportuit.

rij, quod in Nazareth & in Bethlehem contigit, Ioſephum teſtem eſſe oportuit. Dein connubij ſacrum, cuius Chriſtus ipſe eſt auſpex, cohoneſtaturus, à deſponſata matre naſci voluit ſummus pontifex Ieſus, vt & confutaret & damnaret vel in ſua natiuitate ſpiritum impoſtorem poſteriorum temporum, nuptias damnaturum. De matris integritate apertum habemus teſtimonium Eſaiæ. Quid, quòd & Sibyllæ Videnti noſtro adſtipulantur? Perſica ſiquidem non obſcurè dixit, ſalutem ex virgine huic mundo orituram. Delphica itidèm veridico ore prædixit, prophetam ſinè virili ſemine naſciturum. Cumana, Helleſpontina, Europica & aliæ, idem gutture fatidico pronunciarunt. Sibyllarum ego qui reiiciam teſtimonia, à maximis theologis & theologicis rhetoribus Lactátio & Auguſtino præcipuè exoſculata? Fateor fidem noſtrã non ſupra Sibyllarum oracula, ſed ſuper fundamentũ ꝓphetarũ eſſe fundatam. Plurimũ tamen refert, nos in omni populo & nationibus fidei noſtræ teſtimonia habere. Vndè Iuſtinus inuictus noſtræ religionis propugnator, & poſt illum Euſebius etiam ex Homero & Platone contra ethnicos, prophetas noſtros non recipientes, valida teſtimonia protulerunt. Nos itaque ſeriò ouantes triumphamus, videntes etiam ante Chriſtum natum, Græciæ & Italiæ ſapientes, noſtræ fidei certa teſtimonia præmiſiſſe. Tertiò, Maria tenera Dauidicæ ſtirpis virguncula, cum prole ſua tot expoſita miſeriis, tutore & œconomo opùs habuit, qui vt extra matrimonij ſacramentum illi indiuiduus comes adhæreret, non decuit. Sunt & aliæ adhuc cauſæ, quæ quanto plures ſunt, tantò magis confuſos videmus * Anticomaritas Iudæos & hæreticos omnes. Noſter puſio, noſter ſoter, noſter Dominus, hoc ipſum reuerà eſt, quod de Melchiſedecho memoriæ prodidit Apoſtolus Hebr. 7. Apator putà & Ametor, Rex & ſacerdos Salé: quatenùs Chriſti regni & ſacerdotij typum præ ſe tulit, ſinè patre & matre, ſinè genealogia, ſinè dierum initio & fine, in ſcriptura inducitur. Non quòd aliquid horum illi defuerit, ſed hagiographus noluit aliquid horum recenſere, vt figuram Chriſti & graphicè delinearet, & exprimeret. Prælibauit hoc, quod Eſaias effatur, dicens:

Mariæ integritatis teſtimonia.

Generationem eius quis enarrabit? Hic, vt de diuina generatione, qua de patre ante tempora natus secundum personalem discretionem, & qua in corde parentis manens secundum substantiæ vnitatem perpetuò nascitur, taceamus: dicimus simplicius, regem & pontificem gloriæ Christum, quatenus homo est, esse sinè patre: & quatenus Deus est, esse sinè matre, vt vere & apator & ametor dicatur. Illud est, si cum Ioanne diuinitatem eius prædicamus: istud, si secundum Matt. & Luc. humanitas vera docetur. Quod antidotum sibi quisque contra sibilos & suggestiones antiqui serpentis omnes retineat. Quod iuris prudentes ἀπάτωρας, hoc est, spurios vocant ex ipsorum Iouiniano, non pertinet ad Christianismum nostrum sanctissimum, sed ad mundum flagitiosum & flagitiorum amantem. Sed textum nunc porro videamus.

Christus ab Esaia dicitur admirabilis.

Erant Ioseph & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. Habet hic mundus suos admiratores, quos etiam ipsi ethnicorum populi irrident & poetæ. Dicit enim quidam: Nihil huius seculi admirari, vnicum id esse, quo beatam quis tranquillitatem adipiscatur & possideat. Deus solus admirabilis in omnibus operibus suis, Eccl. 11. facit admirabilia solus, Psal. 70. & 71. Nomen eius mirabile Gen. 32. Iudæa stupet Christi opera, Matth. 7. Marc. 6. 7. 11. Mater quoquè ipsa & Ioseph hoc loco demirantur. Miraculi loco non immerito habebatur, quidquid ex pastoribus, ex Magis, ex Simeone & Anna audiebatur: vt videas Christum non temere admirabilem, ab Esaia *Pele* vocitatum. Sed breuitatis causa hunc locum verbis Ambrosij claudamus. dicit ille in Lucæ, hunc locum: Omnis ætas & vterque sexus, euentumque miracula fidem adstruunt: virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetizat, Magus adorat, vtero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat.

Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariã matrẽ eius: Eccè positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorũ in Israel, & in signum cui contradicetur. Simeon quisnam ille fuerit, supra dictum est. Simeon, obediens potest verti: quadrat nomen laudi supra indicatæ. Peccatori dicit Deus:

Simeon interpretatum, quid sit.

Quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentum meum per os tuum? Psal.49.Non est speciosa laus in ore peccatoris,Eccl.15.Contra,iusti confitebuntur nomini Dei, Psal. 139. Ritè ergo obseruans Dei & obediens ille Simeon, ad encomion Christi gloriæ venit. Venit autem tardus corpore,sed non impiger spiritu: corpore silicernium & capularis, animo cælum transcendens: oculis corporis caligans,sed mentis oculorum acumine vel angelos ipsos æquans. Benedixit illis,hoc est, benè precabatur:quemadmodum & Hebræorum pueri postcà adulto Christo, Osanna cecinerunt. Benedicendi ille mos,patribus non fuit infrequens.Sic Isaac benedixit filiis suis,posteà Iacob,deindè Moses, &c. Proprium fuit patrum identidem εὐλογεῖν, id est,benedicere,ad ædificationem populi, ad profectum virtutum & gloriam Dei omnipotentis. Benedictio istiusmodi tam ad Iosephum, quam ad Christi matrẽ pertinet: sed vaticinium Videns soli Christiparæ profert: quod euangelista significanter ita exprimit, vt quisque intelligat Christum sinè virili conceptum semine ab intemerata item & ea perpetua virgine natum. ¶ Sed quid? Nunquid Simeon mathematis Chaldæorum peritus, numeros Babylonicos (vt cum poeta loquar) tentauit, & genethliacorum more de Christo diuinauit?Mathematicis nostratibus tot plaustra praxeon identidem edentibus, hoc facilè quis persuaserit. Atqui S. Lucas dicit, flaminis almi adflatu presbyterum tanta oracula profatum. Dein & præsens Simeonis oratio non pro nudo siue mero oraculo accipienda. nam & confessio est, & eulogium. Confitetur Messiam regem cælorum natum, verum Deum & hominem adorat, gratiasque de tanto beneficio Deo agit, & simul in isthac confessione & gratiarum actione matri futura edisserit. Cæterum etiam inter vaticinandum ex maxima compassione vulgi ingratitudinem notat, carpit & damnat. Messiam dicit in hoc mundo in ruinæ & offensionis scopulum abiturum multis in Israel,suapte culpa casuris,nempe ad casum propensis:contra,multis collapsis, resurrectionis neruum & virtutem futurum. Tandem dicit eundem positum in scopum,cui humanæ sapientiæ superba & tumida capita non possint

Benedicẽdi mos frequens patribus.

Benedictio Simeonis,oraculum & eulogium & confessio.

non oggannire. ¶ Rogas, an ne hoc Simeonis oraculum sit adimpletum? Respondeo: In Iudæis & gentibus satis superque: at in Christianis cum reprobis tum piis, adhuc assiduè adimpleri. Audiamus Israelis casum & contradictionem. Christus integra ætate iuuenis, gratiæ plenitudine & coram Deo & còram hominibus insignis, regnum cælorum incepit prædicare, viam Dei (quæ à viis carnis longius distat, quam cælum à terra) in veritate, sinè personarum acceptatione, docendo. Hoc cum faceret, bella sibi habuit parata. Alius villam, alius iuga boum emit, alius in negociationem suam abiit: atque adeo diuitiarum & voluptatum tenebris assueti, Mammonique dediti, lumen supernæ gratiæ neglexerunt. Pharisæorum vero & scribarum phalanx, carnalis sapientiæ & iustitiæ legati, tanquam vxori jadhærentes, diuinæ sapientiæ hostiliter restiterunt, cordaque sua obdurauerunt, & magis magisque excæcauerunt. Sic Christus vtrique factus scopulus offensionis, sed hic etiam scopus contradictionis. Lapis hic electus, de quo Dauid & Esaias, non erat à Deo datus, vt Israel in eum impingeret, cùm iuxta diuinum Paulum, Deus omnes in illo saluos fieri velit: sed datus erat in templi sancti, contra portas inferorum valituri, fundamentum. Sed contra hanc diuinam voluntatem & prædestinationem, Iudæi hoc Dei salutare sibiipsis fecerunt exitiosum scopulum, sua deprauati malitia, eligentes magis per Christum damnari, quam saluari. Christus eam obstinatam peruersitatem Iudæorum, Mat. 21. multis parabolis & propheticis authoritatibus detegit, dicens: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Pharisæi sentientes Christum ex Psalm. 117. hulcus suum tangere & dedolare, indignabundi quærebant manus suas in eum iniicere: adeo veritas odium parit. Apostolus Romano. 9. Esaiæ authoritate capit. 28. Iudæorum quoquè eam excæcationem declarat, dicens: Offenderunt in lapidem offensionis & petram scandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur. Subscribit Petrus primæ capite secundo, hunc locum Esaiæ (cuius verbis hic Simeon sinè dubio loquitur) cum Psalm. 117. conferens, & dicens:

Christus scopus contradictionis.

Simeonis oratio ex prophetia sumpta.

Ad quem accedẽtes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum. Sequitur: Propter quod continet ſcriptura: Ecce ponam in Sion lapidem ſummum angularem, electum, precioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur credentibus honor, non credentibus autem lapis offenſionis & petra ſcandali, his qui offendunt verbo. Quis non videt hic, apoſtolorum interpretatione loca ſcripturæ præmiſſa elucidata? Simeonis oraculum authoritates omnes adductæ illuſtrant, ſiue de reprobis, ſiue de electis intelligas. Nam vt illis eſt ſcandalo, ſic his eſt ſaluti. ¶ Reſurrectionem hic non intelligit eam, quam futuram credimus carnis reſiduę, quanquam & ea Chriſto referenda accepta, quippe cuius virtute & merito cum corpo ibus noſtris reſurgemus omnes: dicit enim Ioannis vndecimo. Ego ſum reſurrectio & vita. Opponitur hic reſurrectio vocabulo ruinæ: vt ſit ſenſus, Alij dilabentur, alij aſſurgent: illi in mortem corruent, hi ad vitam erigentur, vtrique in vna petra Chriſto. Illi partim Mammoni & Voluptiæ ſeruientes, beatitudinem aliam, quam huius vitæ, non quæſierunt: partim iuſtitia legis excæcati, gratiam tantam, inſtar porcorum margaritas conculcantium, conceptim exploſerunt. Contra, qui mundi vanitatem, & vitiorum prauitatem agnouerunt, quique legis fragilitatem ritè æſtimauerunt, in Chriſto ſalutari Dei exultauerunt, viſcera miſericordiæ Dei in Mariæ filio repræſentata peruidentes. Exempla huius loci paſsim in euangelicis literis ſunt obuia, & Lucas in libro Actuum Apoſtolorum hoc præcipuè agit, vt oſtendat alios in Chriſto beatificatos, alios excæcatos. Porro vtrunque adhuc (quod ſupra quoquè admonuimus) inter Chriſtianos teneri videmus. Contradictio tamen maximè perſeuerat etiamnum in Iudæis & Saracenis, quibus hæreticos, ſchiſmaticos, & quoſcunque adnumero apoſtatas. De contradictionbuis blaſphemis verparum immundiſsimorum plurima quotidie audiuntur. Non abſimiles calumnias in nos quotidiè effutiunt ethnici. Eccè, aiunt, cultores crucifixi, Eccè adoratores male mortui, Eccè veneratores occiſi. De huiuſmodi blaſphemiis vide ſanctum Auguſtin. in

Reſurrectiõis virtus Chriſtus.

Psalm. 68. Et quemadmodum Simeon primam sui oraculi partem, prophetarum verbis deprompsit, sic & hãc ex prophetico fonte hausit. Threnorum nimirum tertio dicitur: Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Iob decimosexto. Posuit me sibi quasi signum, intellige, contradictionis, contra quod quisque pessima quæque & dicit, & cogitat. Quod reuerà in Christo nostro factum videmus. ¶ Iterùm obseruandum, quod & supra paucis perstrinximus, Christum cornu salutis secundum primariam & principalem prædestinationem esse erectum. Hoc ipsum Dominica secunda Aduentus ex locis Nume. 21. & Esaiæ vndecimo, demonstrauimus. Vocatur Christus in præmissis locis (quemadmodum & alibi) *Nes*, quod consolatorium & triumphale signum siue vexillum, quale labarum Romano. fuit, significat. In Esaia etiam alias dicitur *Oth*, nempe capite decimonono, & 55. quod diuinæ erga nos clementiæ significationem habet. Verum Simeon hic in neutrum horum respicit. Est quidem Christus vtrunque, & id quidem verè & propriè: sed quæ reproborum est malitia, sibiipsi hoc signum triumphale & consolatorium, vertunt in signum, quod Iob & Hieremias vocant *Mattarah*, hoc est, in quod sagittando tela diriguntur: quod neque plausibile solatio siue delinimento aliquo gratum existit. Sed nunquid præposterè hoc fit, quod signo iucunditatis, signoque salutari, ad quod electi tanquam ad verum asylum, ex inferni barathro fugiunt, in quo Dei legem addiscunt, & eius mentem contemplantur, vndè virtutem denique & salutem hauriunt reprobi sibi in æternam damnationem abutuntur? Sed Iudæe, Turca, Galata, Tartare, Calkottane, hæretice, schismatice, apostata, & quiqunque obstinate, impie, anathema es tua ipsius culpa, qui lucem hominum, doctorem veritatis temnis, & illi reclamans aduersaris. Agè, dic, quid læsit? Quid mali aut docuit, aut fecit? Catholici, & vos Harpocratem simulantes, digito labellum compescite. Sub pœna summæ Dei indignationis cauete, nè huic signo contradixeritis. Ab hoc scopo sicubi exorbitando declinâstis, facite vt quam citissimè reuertamini. Euangelio filij Dei credite,

Simeonis oratio ex prophetis sumpta.

Catholici veri, simplici verbo Christi nihil adlaborant.

illi vos committite. Abusuum & superstitionum patroni, ne quidquam contra puerum Iesum consuetudinem & diuturnitatem citauerint. Piè dicit Augustinus: Consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Aeternitati item longum quodcunque tempus futiliter opponitur. Nec audiendi sunt, qui multitudinem hominum allegant. infans siquidem Iesus vnicus is est, qui satis est nobis, & sinè quo nihil est. Inepti item sunt, qui sanctorum opinione, gloriam sancti sanctorũ obfuscare conantur. nolite, ô catholici, sapere plus quam oportet: nolite verbũ certum, in fabulam anilem glossarum cõmentis conuertere. Conuertitis autem, cùm verbum Christi, Bibite ex hoc omnes: item verbum Apostoli, Vnusquisque, ad vitandum stuprum, suam propriam vxorem habeat, & vnaquæque suum legitimum virum &c. dialectices regulis eleuatis, nec præcepta esse permittitis. Cõtra diaboli & antichristi astutias hanc sapientiam reseruate, vt possitis intelligere, quid sibi velit Apostolus, dicens: Quæstus non est pietas. Simoniacis, hæreticis, & diaboli primogenito, antichristo ἀντιλεγῶν, id est, contradicere debetis, & resistere vsque ad mortem. Agnello Dei columbinam simplicitatem debemus. Simplicitatem eam nobis præscribi videmus Matth. 3. 17. Marc. 1. 9. Luc. 3. 9. vbi dicitur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Iterùm vos ô catholici (repeto enim) rogo, nè veritatem diuinam in dubium vocetis, nè quadret in vos hoc, quod dicitur Act. 28. De secta hac notum est nobis, verum illi vndique ab omnibus contradicitur. Apostolus omnia hæc breuiter perstringit, dicens Christum gentibus esse stultitiam, Iudeis scandalon, 1. Corinth. 1. Sequitur Simeonis de Christi matre vaticinium.

mariæquẽ gladiũ prædixerit Simeon.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Hęc ad Mariam dulcem dulcis mi pueri genitricem, cui crucem dolorosam, quam illi prędicta contradictio paritura erat, prædicit. Crux illa fuit communio passionis Christi, & calicis eius, quem ille bibit, cõsortium. Tota vita Christi vt nihil nisi crux, mors ea, quam in monte Caluariæ subiit, terminus fuit: sic & tota vita matris Christi, perpetua crux fuit. Simeõ

verò hic de dolore & anxietate, quam matri passio nati erat paritura, vaticinatur. fuit quidem crucis eius summa, mors turpissima & acerbissima: sed ad quam circuncisio, fuga in Aegyptum, charissimi capitis amissio, triduana, odium quo dulcissimum pignus immanis synagoga semper crudelissimè persequebatur, pertinet. Crucem hanc atque gladium Apostolus Roman. 8. vocat compassionem, conglorificationis occasionem & sacramentum. Hæc attendite charissimi. Si benedictæ suę matri calicem doloris primò propinauit filius, quid miselli illum auersamur? Neque ad dexterã, neque ad sinistram gloriæ eius sedebimus, nisi calicem eum & nos biberimus. Sed quia, iuxta Augustinum, non pœna, sed causa, Christi facit martyrem, oportet vt vitam quoque Christi imitemur. Nam & sic illi proximi constituemur, Mat. 12. Metaphora gladii, supremam afflictionem significans, etiam in prophanis est receptissima. Vndè extant hæc prouerbia, Nè puero gladium, Per enses, perque igues, Gladium acutum auerte. Simile est & illud, Sub cultro liquit: & illud, In acie nouac ulę. Et Germani hoc schemate de penitiori cordis anxietate dicũt: Ein messer zerschnied mir das hertz, ferrum mihi cor penetrat. Et angustia sæpenumerò gladij vulnera superat. Hac figura ferrum dicitur penetrâsse animam Ioseph, Psal. 104. Quem locum psalmi Simeon, teste Augustino, planè inducit. Sequitur in vaticinio Simeonis: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. quod quintum membrum huius vaticinij esse potest, & per se perfectum facere sensum, nempe eum per filium Mariæ varia mentium abstrusa in apricum eruptura. Quod sic se habet: Christus cùm nec adhuc ad docendi palęstram atque arenam descenderat, latuit quid quisque monstri in suo aleret pectore: cùm verò incepisset potentiam suam cùm verbis tũ factis declarare, iterque diuersum huic mundo intendere, latens hypocrysis sese vltrò prodidit: Impatientes veri inueniri, qui veri assertores haberi: quique Dei filij credi, perduelliones Dei se declarare, atque adeò suo se quisque colore depingere: Hypocriseos tandem ingenium planè in lucem venire. In cruce, inquam, Christi declarabatur, quid sibi Iob voluerit, hypocrisin pessi-

Compati nos oportet, si conglorificari volumus.

Gladij metaphora.

Reuelatio cordiũque

mum crimen dicens. Annas ſiquidem, Caiphas & Herodes, religionis columnę videbantur: ſed crux Chriſti declarauit, eos funeſtum ſacrilegium latibulo cordis ſemper contexiſſe. Vulgi item inconſtantia ſic in propatulum venit. Et Chriſti diſcipulorum infirmitatem, quam nec ipſi diſcipuli in ſeipſis ſatis agnouerant, crux Chriſti propalauit. Adeò cruce in diem profertur, carnis fuco quidquid tegitur. Sic etiamnùm in periculis vera amicitia diſnoſcitur. Adde quod peruerſorum peruerſitatis, iuxtà atque infirmorum infirmitatis, periculum Chriſti crux facit, Peruerſi magis peruertuntur, infirmi conualeſcunt: hoc eſt, reſipiſcunt, & pœnitentiam agunt. Sic in crucis Chriſti lumine videmus Petrum flentem, Iudam ſibi manus inferentem, Iacobum ieiunantem, Ioſephum ab Arimathia & Nicodemum Chriſtum pio affectu ſepelientem, Iudæos ſepulchrum cuſtode impiè cõmunientes, Marias officioſas, & phariſæos trepidos: omnia hæc in vna cruce videmus. Dialogiſmos, hoc eſt, eos qui de Chriſto nihil certi conceperunt, quorum ex numero Herodem eſſe facimus, concidiſſe etiã in Chriſti cruce videmus. Quod tamen mirum nemini eſſe debet. Nam, quod Boethius dicit:

Qui cecidit, ſtabili non fuit ille ✻ pede.

Cogitationum ſedes cor.

Breuiter cogitationes cordis ſignificant conſilium & cogitationes, quarum ſedem etiam ipſe Chriſtus cordi adſcribit Matth. 15. Et hæ duæ dictiones, Cor & Cogitatio, ſibi apte cohærent, Pſal. 32. Pro. 19. Hier. 23. Lu. 9. Quod de prima ſectione huius lectionis ſit ſatis dictum: Alteram, vel in qua de Anna agitur, nunc porrò videamus.

Et erat Anna prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptẽ à virginitate ſua. Et hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor. Eià chariſsimi, obſeruate diligenter, quam ſedulò

Annæ prophetiſſæ laus.

Eãg eliſta huius matronæ vitam deſcribat. Quem non moueat tam adorea laus? Sic in cœlum tollendi qui ſuſtinuerunt. Verùm cùm ſic ex hominibus deos facimus, quem laudamus, niſi eum qui fons eſt omnis ſanctimonię, in quo plenitudo deitatis habitat, Chriſtum Ieſum? Decem præcipuè ſunt articuli huius prædicationis, quą

Anna nobis commendatur. Primò Euangelista eius laudé à nomine incipit. Anna siue Hanna nomen Hebræũ, potest reddi gratiosa, siue simpliciter gratia, à dictione *Hen.* vndè Ioannes & Ioãna deriuantur, quæ interpretari possumus, Dei gratię donum. Vetus quoque instrumentum Annam quandam celebrat, matrem Samuelis, 1. Reg. 1. Secundò prophetissa vocatur, hoc est, spiritus prophetici mulier, quæ in scriptura sacra fuit erudita, scripturarum interpres, quę melicis hymnis populum ad diuinum cultum inducere potis erat. Moses Exod. 15. huiusmodi prophetissam posteritati commendauit. Et Esa. 8. talem Marię virginis typon celebrat. Nostra religio (quod suprà dominica tertia aduentus indicauimus) à suis cunabulis ferè in hunc diem plures habuit. Tertiò filia Phanuel dicitur. Paternum nomen ad certitudinem historię commemorat. Et nomen allegoriæ conuenit. Ortum nomen est ex loco eo, quo cum angelo luctabatur Iacob, Genes. 32. Hebræi vocant locum eum † Phnuel, hoc est, vultus Dei, siue, Deus se huc conuertit, putà, ad contemplandum. Vbi * Phanuel, ibi & Anna: quem Dominus respicit, gratum eum & omni laude dignum efficit: quod glorioſissima regina cœli sic pia libertate de se testatur, dicens: Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, vndè beatam me dicent omnes generationes. Quartò, de tribu Aser. Eccè tibi diligentiam Euangelistę, qui etiam (nè certitudini historiæ aliquid desit) ipsam tribum Annæ recensет. Aser vna est è duodecim tribubus. Sunt enim duodecim patriarchę, tot tribuum authores: quod etiam Apoc. 7. videmus. Aserum illum, vnum ex duodecim, Iacob ex ancilla Silpha suscepit, Genes. 35. Silpha, beatitudo est interpretata. Quadrat & hoc ad Euangelion. Nam vbi Phanuel & Anna, hoc est, vbi clementiæ Dei adspectus & gloria Domini, ibi beatitudo. Quintò, Et hęc processerat in multam ætatem. Grauitas & prudentia in omnibus literis, cùm prophanis tum sacris, tribuitur senectæ. Moses senibus deferendum mandat Leuit. 19. Et Salomon ait Prouerb. 16. Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur. Et si puer centum annorum, hoc est, senex bis puer, ma-

Phanuel quid sit interpretatum.

Silpha quid sit interpretatũ

Senes audiẽdi, cani venerãdi.

ledictus est: consequitur, magis benedicendum senem, in via Domini virilem grauitatem nunquam exuentem. Socrates senum verbis sese apprimè semper affici, in Platone sic fatetur, dicens: Senes qui nobis viam eam quæ nobis legenda est, confecerunt, nos audire decet. Vndè & Euangelista Annam ab ætate affecta commendans, eius testimonium nobis vult commendatissimum.

Anna prophetissa, virginitatis & viduitatis decus.

Sextò. Et vixerat cum viro suo septem annos à virginitate sua. Heu mihi, quali compendio quantam virtutum syluam compræhendit. Virginem castam viro desponsatam, ritè maritatam, fide sancta sanctè coniugi suo adhæsisse dicit. Vtrunque statum in Anna, & Annam in vtroq; statu laudat. Virgo intacta, mēte nimirùm & anima virgo, nulla lasciuia, sed legis prescripto & spe augendæ gloriæ Dei, legitimè & piè viro nupsit. Nupta, non minùs studuit sacramentum coniugij vitæ honestate decorare, quam anteà studuerat virginitatem veram Deo dicatam, in coniugis fidem perferre. Vterque status certè vel ethnicis maximi semper habitus, nedum Iudæis. Nostræ ergò prophetissæ testimonium, omnibus nationibus & populo maximi quoque faciendum. Septimò, Et hæc vidua annorum fermè 84. Septem annos viro & soboli dedit: certè post septem annos eos, iuuencula adhuc erat. Vicit tamen gratia naturam, vndè Anna. Videns vera, id quod melius erat, considerabat, & reliquum vitæ vidua permansit. Et septennium, quatuor & octoginta annorum tempori collatum, quota pars est? Tot verò annis in viduitate desolatam manere, perlongum est & tædiosum. Iudith sic etiam prædicatur in veteri testa. S. Elisabeth regina Hungariæ, diui Ludouici Comitis prouincialis Thuringiæ relicta vidua, & aliæ patrum memoria pleræque illarum æmulę esse studuerunt. Studium hoc, proh deum atque hominum fidem, friguit planè. Rarissima hodie auis est, quæ funus comparis ritè lugeat, nè dicam elugeat. Insana & Schwermeria hodiè reputatur, si quæ huic sē vitæ mancipare constituerit. O reformatores, qui virgines Deo deuotas, à bono proposito audent abterrere, qui innuptas virgines & viduas permittunt continentiæ perpetuæ votum concidere. Dixeris pios

Euangelicastri noui non reformatores, sed

prædicantes

prædicantes noſtrates, ſi viduam 84. annorum Caſcam ad Caſci alicuius copulam non ſolicitauerint. Dementatores animorum iſtos Dominus iudicabit. Fumum vendunt, fumo torquebuntur. Regnum cælorum non conſiſtit in fumoſo ornatu & copia verborũ, ſed in virtute. Sic ſe fructus virginis, margaritum vitæ, fundamentum iecit filius virginis & ipſe virgo Ieſus noſter ſaluator. ſic Apoſtoli architecti domus Dei, aurum, argentum, & omnigenum virtutum lapillos ſuper hoc fundamentum ſuperædificauerunt. Huius domus nobilis gemma Anna † Aſarides. Hunc precioſiſsimum lapillum aduerſùs faſcinatores & incantatores prædictos circunferamus. Et vt contra ſophiſmata & præſtigia omnigena magis tuti ſimus, vnioni huic noſtro Annæ, iaſpidem iungamus Sareptanam viduam, hoſpitam Heliæ 3. Reg. 17. Luc. 4. Item topazion Iudith, eiuſdem 8. Item pauperculam viduam eam, quæ ſubſtantiam ſuam in gazophylacium proiecit omnem, ſmaragdum, oculorum aciem euangelica viriditate præſentiſsimè recreaturam. Gemmularum harum virtutem Apoſtolus gemmarius experientiſsimus, 1. Cor. 7. 1. Tim. 5. Deo plenus deſcribit. Sed gemmæ noſtræ præſentis virtutem latiùs ex Euangeliſta noſtro petamus.

corruptores ſunt mortuorum.

Lapilli præſentiſſimam virtutem qui habeant aduerſùs noui euangelij præſtigia & faſcina.

Quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Octauò hactenùs Euangeliſta Annam prædicauit in genere, quippe à dono prophetico, à natalibus claris, à ſtatibus virginitatis, coniugij & viduitatis ritè defunctis. Nunc in octauo articulo præconij Annæ, in ſpecie eius famam atque titulum proſequitur, oſtendens, quibus potiſsimùm virtutibus ſtatum viduitatis exornauerit. Primò, inquit, frequentiſsima omnium erat in templo, ibi potiùs quàm in ædibus propriis Deum exorandum rata, credens promiſsioni Salomoni factæ 3. Reg. 8. 2. Paral. 6. Ad quod etiam facit hoc Mat. 21. Ioan. 2. vbi Chriſtus ipſe templum hoc Hieroſolymitanum, domum Dei vocat. Non hoc dicimus, quid templum ſpirituale ſit, neſcientes: & cubiculum hoc, in quo nos Chriſtus iubet orare, & in quo nos Dauid vult compungi, ignorantes. Clamoſum vulgus Prædicantum noſtratium, templum materiale nequidquàm Deo conſe-

In templo Anna orabat.

cratum ſucclamitant: quippe quia ſacramentis Eccleſiæ parùm tribuunt, etiam locum eum, adminiſtrationi ſacramentorum dedicatum, à prophano non ſecernunt. Cæterùm, vt error alius alium trudit, nec ipſam Eccleſiam, quę templum eſt ſpirituale, vident. Nam ſi eius templi maieſtatem, vel in minimo colli crine, quo vel ſponſus ipſe ſeſe plurimùm affici fatetur, Cant. 4. vnquàm cognouiſſent, haudquaquàm eam denobilitare, vt modeſtè loquar, præſumpſiſſent. Præſumpſerunt autem, ſacroſanctas apoſtolicas cõſtitutiones per tot ſecula à tot ſanctis approbatas, ad vnam omnes obliterando, canonem ſacrum Miſſæ atque adeò ipſam Miſſam publicam, tanquàm canem abigendo, ſacramenta item cum omnibus ſuis ſolennitatibus omnia proiiciendo, ſuaſque friuolas opiniones contra communem ſenſum omniũ ſanctorum mordicùs defendendo, atque adeò Bethauen ſibi (vbi quod illis libet ſaltem, licet) ędificando. Penè eò deuenimus, vt cultum Dei, quantùm ad templorum frequentiam attinet, deſcripturo, contraria planè hyperbole opùs ſit: vt dicat, eum quem laudaturus eſt, rariùs, immò nunquàm orationis cauſa, in templum pedem inferre. Non ex hoc loco Apoſtoli ſaltem ſchiſmatici condemnantur, ſed & pſeudocatholici, præcipuè verò Nobilitares, immò rectiùs nobilitaſtri Domicellares, eccleſiarum cathedralium & collegiatarum canonici & capitulares, qui ex templis theatra, orcheſtra & ambulacra faciunt. Vbi olim in timore & tremore lectionibus ſacris, doctrinæ & laudi diuinæ, ſanctiſsimi patres operam dabant, hodiè nepotes leuiſsimi confabulationibus, cachinnis & deambulationibus etiam laicos à Dei cultu abſterrent. Magiſtri & miniſtri olim biblia in manibus ſuis ſemper habuerunt, canonici noſtrates hodiè noctur na diurnaque manu aleam verſant pro bibliis. Presbyterium illis incendium habetur. Sacris intereſſe, irreligioſum & prophanum illis eſt: Eccleſiæ bona non religioni, ſed mundi gloriæ data eſſe contendunt. Clamore ſuo contradicentes omnes obtundunt: ſed ipſi propediem adueniente rege, eos qui ad nuptias vocati ſunt, contemplatum, obmuteſcent ipſis. Duplici honore digni ſunt, non præclara familia editi Curiales, Curtiſani, ſacerdo-

tiorum seu præbendarum voragines, sed qui benè præsunt in studio & doctrina. Capitulares eos pompososgrex cleri bona parte imitatur. malè ageretur ergò cum Ecclesia, si virtus sacramentorum ex sacerdotum merito penderet. De bonorum sacerdotum encomio agit S. Ioannes Chrysostomus super Thessal. & pontifex ille qui pater totius orbis vocatur. Sacramentorum efficaciam non ex merito sacerdotum æstimandam, idem docet Chrysosto. super 1. Cor. 3. Faxit Deus, hac querimonia opùs non habeamus. Nonò, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Hic magis speciatim cultum eum, quo Anna Deo seruiuit, explicat. Hyperbole est quod dicit, nocte ac die. Tale est, quod nobis Christus prescribit, itidèm & Apostolus, Semper orare. Anna quemadmodùm in templo non fuit insolens, sic & parsimoniæ adeò studuit, vt sinè cibo & potu eam diceres vixisse: orationi itidèm tanta sedulitate institit, vt diceres nomen Dei illius ori nunquàm defuisse. Euangelistam videre videor in hæc nostra respexisse tempora. Neque enim sinè certo S. pneumatis nutu factum est, vt saltem ieiunij & orationis mentionem fecerit. Apostolus dicit corporalem exercitationem ad modicum vtilem. Iouinianistæ hoc in sui erroris ansam erant accepturi. Docet ergò spiritus sanctus, hasce exercitatiunculas, germanas esse eleemosynę. Tob. 12. Bona est, inquit, oratio cum ieiunio & eleemosyna. Sic fides, spes, charitas, tres cohærentes sibi sunt virtutes. Catenatæ sunt, sed tres numero existunt. Nulla harum sua laude debet defraudari: singulæ quippe sunt meritoriæ. Sic & tria sunt, oratio, ieiunium & eleemosyna: sed vnius radicis germen, absolutam eusebiam faciunt: verè siquidem tres virtutes theologicas exprimunt. Oratio est fidei, ieiunium spei, eleemosyna charitatis. Impius est, qui aliquam harum de virtutum numero eximit. Spiritus sacer hoc quosdam facturos videns, Annã hic de duabus iis, quas potissimùm, tanquàm meriti inanes, conténendas preuidit, commendandam duxit, idque metaphoricè. q.d. virtutes eas exercitationis corporalis, nunquã intermisisse Annã. Simili metaphora de nostratibus nouæ religionis diuis, suo iure quis dicere poterit: nunquàm eos abstine-

Ieiunium & oratio faciunt ad religionẽ.

re, sinè cibo & potu fauces eorum nunquàm vacuas offendi, semper ad mensam discumbere, citharas tangere, vini & zythi poculis semper certare, orationi nunquàm vacare. Non quòd semper debacchando ebrij sint, aut suas preculas nunquàm cantillent & effutiant: sed quòd frequenter probè poti inueniantur, quòd se nunquàm ieiunio & oratione, cilicio & lachrymis consolentur, sed pergræcando & comessando sese subindè recreent. Accedit huc, quòd ecclesiæ litanias, supplicationes & ieiunia, tanquàm papistica commenta, prorsus damnent. Inficiantur factum, & se purgare hodiè nituntur: vulgi verò incusant ignauiam. Vulgus iners, inquiunt, nos non intellexit, quasi Germanus Germanum, illuminatus illuminatum non intelligat, vt mentiatur propheta, qui nos omnes theodidactos fore prædixit. Et si sua mysteria philosophorum more verbis obscuris docuerunt, certè vitæ exempla crassa mentem eorum satis declarant. Sed mentiatur iniquitas sibi. Valeant Epicurici dogmatistæ cũ sua obscura cabala, Annulas suas, tanquàm templarias sanctulas & vanas è templo arcentes, à disciplina ieiunij & litaniarum tanquàm à papisticis * liris prohibentes & absterrentes. Nos eius noui Iouinianistarum musti haudquaquàm capaces merum vetus sanctorum patrum asserentes, Annam nostram ex prẹmisso Dei cultu in cælum extollere pergimus. Auribus surdis Sirenas hasce bis Epicurias prætereamus, tropis nouis & fucis sua dogmata, ex industria obscurantes. Quantùm ad ieiunium & orationes attinet, clarus atque adeò bonus Euangelista nobis erit Christus Matt. 6. 9. 17. Marc. 2. 9. Luc. 5. Non obscurus item nobis esto euangelista, Ioannes Christi prodromus. Vtriusque vita de vtriusque Euangelio liquidissimum testimonium & lucẽ nobis adfert. Ille Euangelium suum 40. dierum & noctium ieiunio est auspicatus, Matt. 4. Marc. 1. Luc. 4. Hic ob frequens ieiunium, vertiginosi spiritus hominibus, phanaticus est habitus, Luc. 7. Vtriusque item discipulorum mores, præceptorum vtriusque illustrationem adferunt clarissimam. Orant & ieiunant illius discipuli, Act. 1. 2. 12. 13. 14. Rom. 15. 2. Cor. 1. 8. 11. Phil. 1, 2. Tim. 1. Huius assectæ Mat. 9. Mar. 2. Sic nostræ Annæ ieiunium non est Papi-

Euangelistarum mores lepidè ac graphicè depicti.

** Lyris*

Ieiunij & orationis euãgelista Christus.

ſticum figmentum, ſed ſana doctrina, ex traduce prophetica in Eccleſiam tranſlata. Quòd ſi ieiunium † Aſaridis noſtræ ad vetus ſaltem inſtrumentum pertinet: expungatur Anna, & corrigantur Euangeliſtę. Negant noſtrates, ieiunia & orationes eſſe bonum opus, quòd fratri non adeò commodent. Sed Euangeliſta Lucas hic noſter vtrunque latriam vocat. Seruiens, inquit, nocte ac die, ieiunio & oratione. Anguſta hæc via: ſed qui per latam voluptatis viam, in hanc miſeriæ vallem venimus, per diuerſum, hoc eſt, arctum & laborioſum diſciplinæ & obedientiæ callem, illuc nobis eſt redeundum. Quis ergò non malit cum vnica noſtra Anna in hoc tramite ſaluari, quàm cum Epicuricis tot Annulis & Certis in lata via perire? Non mentitur Apoſtolus 1. Tim. 5. Quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt.

*Et hæc ipſa hora ſuperueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem * Hieruſalem.* Poſt laudes Annæ pleno ore decantatas, Euangeliſta infert id, cuius gratia tale edidit præconium. Fide dignam teſtem declarauit, teſtimonium eius ratum & acceptum omnibus cupiens. Superuenit Anna, vel ex Græco ἐπιστᾶσα, aſsiſtens, vel ad Simeonis teſtimonium confirmandum ſuperueniens. Sic & Poeta ſuperuenire accepit, dicens: Timidiſque ſuperuenit Aegle. Cæterùm viro virago aſsiſtens. Tacet Hieruſalem. Annas & Caiphas, muti ſunt canes, phariſæorum murmur ſilet, vnicus Simeon loquitur. Viſum eſt ergò diuinę ſapientię, vt hanc collegam ſuperuenientem & aſsiſtentem ſibi haberet. Sunt Eccleſiaſtici plerique, qui dicunt Simeonem laici ordinis fuiſſe. Noſtrates ergò, magis ſuperſtitioſè quàm piè contendentes laicis in Eccleſia ſacrificium laudis ſoluere non licere, errorem ſuum agnoſcant, & Eccleſiæ reformationi moram nectere deſiſtant. Non licet in Eccleſia loqui mulieres: ſed hic legem neceſsitas vincit. Si Delbora, Anna Helchanæ, Hulda (quæ prophetiſſæ extitere) non illaudabiliter commemorantur locutæ: ſi Eliſabethis Zachariæ, & Mariæ matris Ieſu, quæ inter ſe miſcuêre colloquia, Euangelion ſunt Dei: certè Annæ noſtrę teſtimonium ex euangelicis literis deleri non debet, nec item Chriſtiferæ matronæ ſunt prohibendæ

Laici in eccleſia pſallere poſſunt.

cum viris in Ecclesia laudis sacrificium Deo decantare. * ἀνθωμολογεῖτο, quo sanctus Lucas hoc loco vtitur, non significat simplicem confessionem atque laudem, sed alternationé & vicissitudiné importat. Vndè colligimus, Annam in Simeonis bona verba, laudis & confessionis antiphonas vicissim respondisse concinendo. Concentus hic Græcè dicitur * ἀνθωμολογέσις siue ἀντιφωνὴ. Et secundum Hebræum idiotismum, confiteri hic significat laudem gratiarum actionis, siue simpliciter gratiarum actionem. Iuxta hoc Christi apud Matth. 11. Confitebor tibi pater, &c. Et hoc Luc. 10. Item hoc Esa. 12. Dan. 2. præterea quæ identidem legenti psalmos occurrunt. Cõsentit cãtus Ecclesiæ, Grates nunc omnes reddamus Domino, &c. Sic Anna Simeonis hymno succinens, salutare Dei Christon confitendo, gratias Deo egit. Q d. Confiteor tibi Deo cæli, quod omnia ea quæ promisisti & iureiurando confirmasti Adamo, Abrahamo, Dauidi & aliis patribus, fideliter præstitisti, quiq; & mihi magna fecisti. Optatissimum patribus omnibus puerulum, caput vel angelis adorandũ, oculi mei viderũt. Centenariã anũ me in hanc faustam horam exoratus reseruâsti, pater cælestis. Ancillam ergo tuam nunc in pace dimitte. Oculi siquidem mei, viso salutari tuo, infernas tenebras non extimescunt. Et benedictus Deus qui terræ suæ benedixit, & benedictus hic fructus virgineus Iesus Christus, Amẽ. Sed neque hactenus contenta fuit suo officio respondere vates pia. Videntum enim præcipuum officium est, Deo populum perfectum formare. Vndè & prophetissa nostra non minus quam & ipse Simeon, omnibus vbique prædicat, & Emanuelem vere natum denunciat. Hæc pastorum, Magorum, Simeonis & Annæ testimonia resultantia, populum Israel ad clamitandum, Io Io Io Io, commouere: Post hæc sacra testimonia, plateæ vicique ciuitatis sanctæ omnes, *Barechu Iehoua*, atque *Alleluia*, hoc est, benedicite Deo, laudate Dominum, personantes, prophetiæ oraculo Esa. 9. suum effectum reddidere. Lætabuntur, inquit, coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in

Anne Asaridis canticum.

die Madian. Hic longè perfectior exultatio & tripudiatio fuit in Israel, quam olim cum Pharao esset submersus, interfectus Goliath, detruncatus Holofernes, suspensus Aman, &c. Hic visus verus saluator & rex Israel ille, cuius Iosue, Gedeon, Dauid, Asmonai siue Machabæi, vmbra fuerũt. Sic, inquam, in templo Anna nostra suam professionem fecit, sed extra fidem suam, ad cõmunem ædificationem, in lucem edidit, præsertim illis quibus cordi fuit, tale de vero Messia testimonium audire. Nam (quod in Matthæo videmus) bona synagogæ pars, hoc de nato Messia testimonium expauit. Vndè Lucas præsenti animo, hic & supra, significanter dicit, Expectantibus redemptionem & consolationem Israel & Hierusalem, regnumque Dei. Faxit Dominus Deus, vt miseræ Iudæorum reliquiæ, gloriam eam gentis suæ tandem agnoscant: vt & nos, qui ex gentibus ad hanc gratiam vocati sumus, in sancto lumine sancte atque adeo dignè Deo, ambulemus. Amen. Christo Iesu puerulo dulcissimo vna cum patre & spiritusancto sit par gloria in secula seculorum, Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS natiuitatis, Luc. 2.

Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes, &c.

SECTIO Literalis.

1 *Mater miratur, nedum Ioseph, quia Deus homo factus.*

2 *Simeon & Anna singulari gratia vident & agnoscunt verum Deum & hominem, & fidem suam vaticinando adstruunt.*

3 *Parentes reuertuntur ad sua, quia homines rerum vsu indigẽt. Puer succrescit, quia verus homo.*

¶ DECLARATIO.

1 *Et erant pater & mater eius mirantes, &c. Admirabilis, Deus, Fortis, &c. Secundum oraculũ Esaiæ, est Christus vel Matri suæ admirandus. Mirabile nomen Dei, Ge. 32. Iudi. 13. Valdè mirabilis est, Hest. 15. Deus est qui facit mirabilia solus, Psal. 71. Deus non esset, si mirabilia eius opera non essent. Videmus itaque omnipotentem sermonem, verbum æternum, vnigenitum Dei incarnatum: quippe cuius magnalia etiam matri mirabilia sunt visa.*

2 *Et benedixit illis Simeon, &c. Gratia præueniens operata est in Simeone & Anna, vt se Deo dignos gererent. Veritas Dei-*

tatis declaratur, quia non cuiuis datum erat vt videret Dei filium. Deut. 13. & 18. vides, quatenus credendum sit prophetis, quorum furor ex Deo esse, ex promissorum euidentia dinoscatur. Non decepit suum vaticinium Simeonem, non delirat Anna: ergo nobis verus vere contingit Messias.

3 *Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, &c. Maria virgo præelecta, soror (immo Domina) Angelorum, quatenus virgo fœcunda Deo. Sed quoniam mortalis, opus habuit victu: & quoniam nouit filium Dei filium suum, id est, verum esse hominem, institit vt illi filio suo prouideret. Hominum est, familiæ suæ ritè prospicere. Maria in hoc praxeos genere probatissima quoque. Argumentū vides, Christum filium Dei & filium hominis, esse nostrum, nobis datum. Puer quoquè succrescens, idem arguit. Nihil est ergo quod aliū expectemus Messiam. Hic: ster est: fidamus ergo illi, & amemus ipsum: Psal. 2. Apprehendite disciplinam. Alias Amplectimini filium. Filius, ipsa disciplina: nostra disciplina super ipso.*

¶ SECTIO Mystica.

1 *Regnum Dei instat mirificum.*

2 *Regnum Dei æquè, atque ipse Deus, mundo inuisum.*

3 *Regnum Dei Nazareth dicitur, quoniam æternum.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Mirantur parentes super omnibus quæ dicebantur. Mutatio rerum & statuum instituit. Est regnum Dei verè gloriosum. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, Psal. 86. Mirum, in terra solui, & solutū haberi in cælo. Omnia quæ sunt Ecclesiæ, mira sunt. Ecclesiam instare significat, quod puer in templum deferebatur, Dominoq; Dominus sistebatur. Canit ergo Ecclesia: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Hæretici in angulis Ecclesiam quærunt.*

2 *Tam mundus ecclesiam non suffert, quam Christum. Glosa Ordinaria. Positus in ruinam, non in se tantum, sed & in suis prædicatoribus & assectis. vndè ait Apostolus: Christi bonus odor sumus Deo in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Item, Omnes qui piè in Christo volunt viuere, oportet tribulationes ferre. Simeon interpretatur audiens tristitiam. secundum Glos. Ordinariā quadrat ad luctum Beati qui lugent. Anna sonat gratiam: quadrat ad consolationem. Phanuel, facies Dei reddetur. Signatum est super filios Ecclesiæ lumen vultus tui Domine, Psal.*

quarto. Aſer, beatus vel beati. Beatus qui ſe in Eccleſiæ continet limitibus, audiendo verbum Dei, & cuſtodiendo illud, exemplo Simeonis & Annæ. Item, obſerua, in Chriſto Ieſu non eſſe mulierem aut maſculum, Barbarum aut Scytham, puerum aut ſenem. Item, Obſerua vſque in Eccleſia futuros, qui Eccleſiæ contradicant, hæreticos. Non ergo ſtatim omni ſpiritui credendum. Primo hæreticæ ſirenes cuique dulcia prædicant, placentia docent. Contra, catholici vere ſapientes, quorum verba tanquam claui in altum defixi, Eccl. 12. Gratia Dei præclari, ſanctimonia nimirum & miraculis probati, magis ſtudent eſſe ſalutares quam blandi. Hæretici tam ſanctimoniam habent riſui, quam miracula. Faciem Dei referunt catholici beati triumphantes, ante thronum miſericordiarum ſtantes. Vtrunque deſignatur in Phanuele & in Aſer. Qui ſapit, fugiat hæreticos, dubiæ, immo reiiciendæ & damnandæ vitæ homines. Aſer erat vnus de Patriarchis, ordine octauus, quo ſignificatur reſurrectionis myſterium, quod clariſſime prædicatur in Eccleſia, idque veteris legis authoritate. Vidua item, Eccleſiæ lugubritatem ſignificat. Septem anni, ſignificant tempus, quo ſpiritus illi adfuit in carne, ipſam conſolans.

Duodecim anni, ſignificant tempus vſque ad diem extremum, in quo manet conſolatio doctrinæ Apoſtolicæ. Denique obſerua, vſque ad finem ſeculi animam Eccleſiæ pertranſiturum gladium tribulationis, quum ſigno fidei contradici audit, quum zizaniorum varios naſci videt abuſus, quum multos in hæreticorum charybdim, multos in hypocritarum ſyrtibus perire conſpicit.

3 *Non prævalebunt Eccleſiæ portæ inferorum. Vnde Eccleſia quoque ſignificatur per Nazareth. A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Nazareth floriditatis habet ſignificatum.*

¶ SECTIO ſenſus MORALIS.

2 *Primo quærendum regnum Dei, Lex cuſtodienda, obedientia Eccleſiæ exhibenda, exemplo Mariæ, ſororis Eccleſiæ vndique liberæ, quia Mater eſt Domini.*

2 *In Eccleſia verbum Dei audiendum etiam illis qui docti ſunt. fides enim ex auditu. Maria gratia plena, verbum audire non eſt dedignata. Audiens ſapiens ſapientiam, ſapientior erit. Non egre ferendum, ſi in Eccleſia dura audiamus. Impij dicunt:*

Durus est sermo ille, & quis potest eum audire? Hæc dicentes, à Christo deficiunt. Apostoli dicunt: Domine quo ibimus: verba vitæ æternæ habes. Meliora sunt vulnera Matris Ecclesiæ, quam oscula meretricis sectæ. Anima etiam non recedit, quæ constans est & fidelis promissis præstandis. Item non recedere est, semper studere castum & immaculatum custodire tẽplum corporis sui. Hinc præcipitur sacerdotibus veteris Test. vt tempore ministrationis iugiter maneant in sanctis. Obserua, quod reuelationem eam de qua hic dicitur, Origenes intelligit mystice de confessione occultorum peccatorum, vt per effectum passionis Christi, in sacramento passionis sanentur.

3 *Spiritus tristis exiccat ossa. Vide quo nos ducant blandæ sirenes, solam fidem nos docentes. Exaresçit maledicta arbor infæcunda Matthæi vigesimoprimo. Habenti dabitur. Iustus iustificetur adhuc. Galilæa transitum significat, è fide in fidem, à claritate in claritatem, &c. Hæreditatem æternitatis & beatitudinis bonorum operum, Nazareth.*

DOMINICA SECVNDA POST NAtalem Christi, Rom. 12.

OBsecro igitur vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, &c.

PRAEFATIO.

QVod supra semel atque iterum monuimus, non sufficere in Euangelica historia, Christi incarnationis & passionis mysteria altius repetendo edisserere, nec item literam interpretari, quum omnibus vndique etiam moralia commendentur excutienda: hoc ipsum ecclesia sancta verbis Apost. lucè clarius nobis ostendit, sacramentis incarnationis Dominicæ etiam religionis sacræ præcepta coniungens. Apostol. in capitulis superioribus huius epist. magis de fide egit: magis, dixi: neque enim de sola fide egit, nunc vero magis de bonis agit operibus, manifesto argumento, solam fidem non iustificare. Nam si ex sola fide absoluta consisteret iustificatio, Apost. quis iure dixerit & tẽpori & papyro parcere debuisse. Scio hic Stentores nostrates multis clamoribus hominibus incautis imponere: quis enim neget,

Fidẽ solã nõ iustificare, argumẽto, ostẽditur manifesto.

eos quibus minus eſt veritatis, plus valere argutando & clamitando? Sed etiam ſi ad rauim clamitent, nunquam efficient, apoſtolos & euangeliſtas bona opera ociosè eccleſiæ credidiſſe. Quale Euangelion, tales item ſunt apoſtoli & eorum diſcipuli. Paulus Teclam perpetuæ dedicauit virginitati. Petrus ſuam Petronellam maluit correptam febri è viuis excedere, quam deſponſari. Matthæus Euphemiam caſtimoniæ deuotam, etiam ſua morte in propoſito pio duxit ſibi perpetuandam. Sic ſe habet ſeries omnium fidelium, ſana doctrina traducis ſanctæ educatorum. In noſtrates quadrat.

Eſt tutum, iacuiſſe toro, tenuiſſe puellam,
Threiciam digitis increpuiſſe lyram.

O nos cæcos, niſi hic manifeſtum viderimus antichriſtum. Quibus aures pruriunt, aptos ſuis moribus facilè inuenient apoſtolos: præſertim effœminati & mulierculæ degrauatæ peccatis, gaudent ſibi dari huiuſmodi apoſtolos, placentia & grata carni prædicantes. Viderit quiſque, cui aures accommodet. Ad Apoſtolum. Primo hic noſter Apoſtolus monet, vt nos Deo hoſtiam ſanctam totos efferamus, atque caueamus nè huius ſeculi ſordibus inficiamur. Catholicus doctor mundi vanitatem hic poterit per amplificationem inducere. Dein poſt præceptum tale & prohibitionem, infert ſimilitudinem, qua vtrunque adſtruit, & nobis commendatius facit: nihil omittens, quod ad apoſtolicam poſsit facere diligentiam. Schiſmatici verbum Dei audire debere ſubindè clamitant. Verum hoc eſſe confitemur, dicit enim Euãgeliſta: Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit, Ioannis octauo. Apoſtolus Paulus verbum Dei loquitur, primæ Theſſaloni. capite ſecundo. Audiamus ergo quid Apoſtolus dicat:

Obſecro igitur vos per miſericordiam Dei. Sic ſe habet ſtatus verborum Apoſtoli: Obſecro igitur vos fratres. Attende quibus verbis vtatur, attende quo affectu loquatur. Hic cumprimis obſerua, Apoſtolum talibus verbis & tali affectu ferè bona nobis commendare opera. Si qua, inquit, eſt conſolatio, ſi qua viſcera & miſerationes. Item, Obſecro vos per charitatem Dei, &c.

Bona opera magno affectu Apoſtolus Eccleſiæ commendat.

Vide quàntum abſint apoſtoli noui ab apoſtolorum priſcorum ſpiritu. Quid hodie dicunt noſtrates, niſi quod ſpiritui apoſtolico illi eſt contrarium? O mentem Dei profundam, qua ſinè dubio noſtrum hoc peruerſiſſimum tangit tempus & ingenium. Primò dicit, Igitur. Quid, Igitur hoc, ſibi vult, niſi ea quæ prædicta ſunt, huc conferenda? Q.d. Cùm iam Chriſti ſitis, cauete ſitis, vt hactenus, vos abſolutè iuſtos iactantes. Dein addit, fratres: quæ compellatio plena eſt dulcedinis. Captatio eſt beneuolentiæ. Sanctum fraternitatis vocabulum, Chriſtianis conuenit. vndè hoc in primitiua Eccleſia celebre adeò fuit. Nomen hoc, quo Chriſtiani vocamur, primum in Antiochia per regem † Agrippam legimus expreſſum. Ter in ſcriptura habetur canonica, nempe Act. 11. & 26. primęque Pet. 4. Fratres frequentius appellamur. Chriſtus primogenit⁹ inter multos fratres: cōſortes calicis ſumus, meritò ergò fratres Chriſti vocamur. Sumus & reuerà fratres ratione gratię adoptationis, qua ſpiritum Chriſti habemus & qua gloriam regni cœlorum expectamus. Fratres tales Apoſtolus hortatur, ſiue (vt alij legunt) obſecrat, nè ſoli nitantur fidei, ſed & ſtudeant corda ſua exhibere Deo hoſtiam viuentem, ad perfectam iuſtitiam conſequendam. Paracalô, vtrunque ſignificat, hortor putà & obſecro. Precatur autem & admonet per miſericordiam Dei. O obteſtationem omnium grauiſsimam, Senſus eſt: Sic miſericordia Dei, ſic gratia Dei vos ſeruet. Seruabimini, iuſtificabimini, beati denique eritis, ſi vos dignos Deo pręſtiteritis. In hoc enim miſericordiam eſtis conſequuti, è ſeculi huius immunditiis in regnum iuſtitię recepti, vt iuſtè viuatis, Roman. 15. Gal. 1. Coloſ. 1. Obſerua quatuor: Igitur, fratres, paracalô, id eſt, obſecro vel admoneo, per miſericordiam Dei. Ardens ſtudium attende Apoſtoli: & fac, ſis, tibi quod ad tuam ſalutem facit, perſuadeat: nempe hoc quod ſequitur:

Christiani fratres.

Bona opera apoſtolus nobis vehementi obteſtatione commendat.

Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuētem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Nimium non eſt, immò minus adhuc, etiam ſi corda noſtra, hoc eſt, noſipſos offeramus, cùm ipſe ſe prior pro nobis obtulit, Luc. 22. Epheſ. 5. Eſa. 53. Quid nos? puluis, vmbra, putredo,

vermes. Quid ille? verbum, Deus, vita, lux, panis angelorum, creator & conseruator omnium. Duplex oblatio, sicca & vda: hoc est, cruenta & incruēta. Vtriusque typus est in Isaac Abrahæ filio. In qua vocatione quis vocatus fuerit, maneat.

Oblatio duplex, cruēta & incruēta, quid signi ficet.

Quo nos cunque trahant, retrahant quoque fata, sequamur.

Altera oblatio, vda atque cruenta ea, est martyrij, de qua ait 2. Timoth. 6. Immolor, & tempus resolutionis meę instat. Hanc pluribus persuadet nobis Origenes: ad hanc in primitiua ecclesia supra fidem ab omnibus ferè est properatum. testis Eusebius in histo. Eccles. Item Cyprianus in serm. Fratres susque déque ferunt. Gloriæ est illis aliquid pro nomine Iesu perpeti. Facilè sanguine vitam redimunt æternam, mores verbi Christi, dicentis: Qui vitam suam perdit in hoc mundo, seruat eam, Luc. 9. Huc pertinet quod ait Apostolus Act. 20. Vincula & afflictiones me manent, verùm nihil moueor: neque enim vita mea mihi ipsi chara est, vt consummem cursum meum cum gaudio. Hic qui vocatur, videat nè respiciat cum Petro, immò exemplo Petri veterem Adamum subigat. Sin, cum Ioanne spiritualem hostiam offerre satagat: alterius exemplum sunt cæteri Apostoli, præter Ioannem, omnes. Item Polycarpus, Leonides, Irenæus, Tecla, Catharina, &c. Alterius exemplum sunt Ioannes, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Nicolaus, Martinus, Paulinus, Gregorius, Franciscus, Alexius, Rupertus, Scholastica, Clara, Elisabeth &c. Hęc dicitur mortificatio membrorum corporis huius vitæ, Coloss. 3. Gal. 5. Qui sunt Christi, ait, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis. Eph. 4. mortificationem siue crucifixionem eam veteris Adæ, vocat deponere prioris conuersationis veterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris: renouari verò spiritu mentis, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem. Rudius & planiùs Coloss. 3. Mortificate, ait, membra vestra terrestria, stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam, & auaritiam, &c. Sic omnia eò tendunt, nempe vt corpus constringamus, compescamus 1. Corinth. 9. in

seruitutem redigamus, à vitiis cohibeamus, ad virtutes compellamus, &c. Non peccare, durum est carni: contra naturam siquidem est: non ineptè ergò carnis mors dicitur. Suprà cap. 6. de hac re sic dicit: Peccatum nè dominetur in mortali vestro corpore, vt obediatis illi ad concupiscentias. Neque accommodetis membra vestra arma iniustitiæ peccato, sed accommodetis vosmetipsos Deo, velut ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Galat. 6. Mundus mihi crucifixus, & ego mundo. Qui sic crucifixus est mundo, non si quid turbida Roma eleuârit, accedet: voluptati bellũ indicet, põpam & gloriam tanquá præsentẽ pestem, auersabitur & (quod Petrus ait) peccato planè erit mortuus, soli viuens Deo. Hostia viuida, putà Deo, intellige de spirituali oblatione, de sicca morte. Vel oppone sacrificiis legalibus & ethnicorũ, in occisis animantibus consistentibus. Nunc porrò non bruta animalia, sed nosipsos sibi requirit Deus, Esa. 1. Hier. 6. Amos 5. Psal. 68. Probandus qui sinè morte animalium sese Deo offert. Sed neque Deo cadauera offerebantur, sed animalia viuida, efficacia, atque adeò selecta mactabantur, adeóque immolabantur: multo magis & nos viui, sumus immolandi Domino Deo viuo. Sed Deo saltem viuere debemus, illi obtemperando, illius gloriam vnicè quærendo, mundo mortui, gloriam eius fugitando atque execrando. Sanctus est Dominus Deus noster: æquum ergò est, vt & ipsi nos illi subindè sanctificemus: dicit ergò, sanctam, scilicet oblationem. Sensus est: Sanctus sanctificetur adhuc. Obserua ordinem: Primò debet corpus nostrum peccato esse mortuum. Secundò, viuere Deo: Tertio, subindè sanctificari. Talem victimam dicit gratam esse Deo. vides itaque, opera bona sanctificatoria, iustificationis ratione non carere. Neque enim grata esset Deo oblatio istiusmodi, nisi sancta atque adeo etiam iustificata existat. Insuper & hoc cumprimis est necessarium, nè homo suo se arbitratu offerat: audienda scriptura, obaudiendum ecclesiæ. Hoc est quod subdit, Rationabile obsequium vestrum. Superstitio cauenda, ab omni specie mala abstinendum. Non vult porrò oues & boues, non thus & thymiama. Corda sibi vult nostra. Quę,

Peccatis resistere, martyriũ est.

Opera bona sanctificant.

Obsequiũ sit rationabile.

malùm. igitur ist hæc peruersitas, quod nosipsos non studemus sanctificare, & ab huius mundi vanitate separare, interim Domino pecunia, cera, lino, ferro, calceis putà equinis, tritico, auena, & cęteris hoc genus, placere conantes? * Nunquid satius esset, integros boues Deo offerre, & primitias omnes prouentuum omnium? Discite quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Eleemosyna gratum sacrificium, cui quotusquisque studet? Hanc nobis præcipit, hæc nobis commendatur Matth. 10.25. Romà. 15. Philip. 4. Rationabile hoc obsequium si quis præstat, operam bonam nauat, & mercedem certam sibi promissam habet. Cæterùm & rationabile obsequium opponitur brutis animantibus legis. Offerre nunc porrò nosipsos iubemur. Oculos offeremus, si simplices existant & humiles. odit enim sublimes & supercilios os. Aures sunt Deo gratum sacrificium, vbi spinis eas sepiuerimus, nè statim vana colloquia, turpiloquia, detractiones & talia pernicios a audiamus, immò magis clamoribus eas miserorum patentes habeamus. Manus victimæ sunt Deo sanctæ, si non sint sanguinolentæ, si nihil fraudis, nihil violentiæ & calumniæ in ipsis inueniat. Linguam Deo oblationem præbemus, vbi deierare, peierare, mentiri & blasphemias proferre, rixas & hæreses disseminare abstineat. Venter item fit victima, ieiuniis maceratus. Denique & pedes offeruntur, dum pauperes & orphanos visitant, ad Dei omnia obsequia, etiam solennitates ecclesiæ, conuolitant. Sic pedes glorios ę virginis, grátus odor erant Deo, Elisabetham visitando: Simeonis & Annæ prophetissæ, in Domini templum crebrò descendendo. Summa: Hæc est ipsa logica latria rationabilis obsequij, quoniam fit ab animalibus rationabilibus. Talem logicam latriam diuus quoque Petrus ex nobis requirit, primo capite, secundo dicens: Deposita omni malitia, & omni dolo & simulationibus & inuidentiis, & omnibus obtrectationibus, vt modò nati infantes, lac illud non corporis, sed animi, quod dolum nescit, appetite, vt per illud suboleścatis. Lympidum euangelium, ô frater Luterane, quale sit, hic disce: nempe lac rationabile, ad discretionem lactis ani-

Obsequiũ rationabile est eleemosyna et omne op⁹ bonum.

Logica latria, id est rationabile obsequium, nos sumus.

malium irrationalium. fœtus animalium lacte materno opimos, pubes & catechumeni Christiani imitatur. Lasciuiunt illi, hi quoque lacte catechismali luxuriantes, principi huius mundi, morti, ac inferorum portis audent insultare, atque adeò sub Christi iugo exultare. Hæc omnia ex verbis Apostoli diligenter conficiens tuum æmulatorium euangelium solius fidei, charitatem quæ Deus ipse est, ad iustificandi rationem non admittens, esse prorsus impurum, insyncerum, Tænariisque tenebris caliginosum prorsus esse disce. Diuus Petrus & ipse logicon dictione vtitur, ostendere volens, Christianismum esse rationabile obsequium, non solius fidei ostentationem, sed auri, thuris & myrrhę oblationem. Cultum rationabilem itaque vides ab vtroque apostolo, qui apostolici ordinis principes sunt, ecclesiæ committi. Quod si hactenus satis animaduertissemus, atque etiamnùm attenderemus, minùs controuersiarum atque sectarum haberemus.

Et nolite conformari huic seculo. Sensus: porro in vobis latria toti mundo innotescat. Corpore & animo seruietis Domino Deo, abstracti à mundo, nè cum impio damnemini mundo. Tam mundus est diuersus à Deo, quàm princeps huius mundi, Deo est contrarius. Mundus hic nihil aliud significat, quam hoc quod est apud Apostolum Ioannem, 1. cap. 2. fastus, concupiscentia carnis & oculorum. Paucis verbis complexus est plurima, nempe primò infidelitatem, gloriam pompas, libidinis & luxurię tot portenta, auaritiæ & cupiditatis tot ostenta. Hæc omnia saluator & ipse paucis compræhendit verbis, dicens: Spiritus cum venerit, arguet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio &c. Christus & Belial mundi dominus, sibi diuersi. Mammon quippe & Deus, Christus est & mundus. Regnum itaque Christi & mundus, contraria sunt. Mundus ergò non potest non insectari eos, qui Christo seruire animum inducunt, Ioann. 7. & 15. Ecclesiæ regnum habet suum schema atque symbolon, pauperratem, castimoniam, humilitatem &c. Huc respicit Apostolus, dicens: Nolite conformari huic mundo. Syschematizo significat, cùm alij aliorum moribus sese æmulos atque simias præbent. Imi-

tationem

tationem mundi atque (vt versio habet vulgaris) corfor mationem, verbum hoc Græcæ veritatis, importat. Sche ma, hoc est, ingenium & ritus huius mūdi quid sit, dixi. Schema hoc præterire siue euanescere Apostolus dicit, 1. Cor. 7. Ioannes item 1. cap. 1. ipsum schema epithymi- ao, & eam transeūtem vocat. Perit itaque vnà cum mundi schemate, quisquis hoc imitari studet. Mundo & omnibus eius pompis renunciauimus. Perfidi ergò sumus quoties huiusmodi nos dedimus nugis. 1. Ioan. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Qui amat mundum, Dei charitatis est expers. Si Dei charitatis est vacuus, ergò & Deo est orbus. vide 1. Ioan. 2. Iacobus ait perfectam religionem esse, se ab hoc seculo immaculatum custodire, cap. 1. Item, Nescitis, ait, amicitiam huius mundi, inimicitiam esse Dei? vide Iaco. 1. & 4. Apostolus conqueritur, Demam relicta ecclesia, ad mundum rediisse, &c. 2. Tim. 4. De fuga mundi S. Patres præcipuè scripsisse videmus. De fuga mundi item testimonium habes biblicum, Hebræo. 11. & Mar. 1. Lugendus est status ecclesiæ, qui mundi pompa prorsus est infectus. Vix inter pompam mundi & cultum Dei, discrimen hodiè inuenias. Magnates ecclesiæ, sal terræ & lux mundi esse debebant: sed quid aliud hodiè sunt, quàm ipse mundus? Contrà, qui se ecclesiæ censores obtruserunt, euangelistæ noui, quid absunt à mundi vanitatibus? diceres eos schematôn mundi esse instar & viridarium.

Mundi schema Apostolus nobis prohibet.

Sed renouamini in nouitate sensus vestri. Renouationem hanc Apostolus vocat metamorphosin, hoc est, penitissimam transmutationem, qua homo planè sibi dissimilis efficitur, quandò aut carnalis spiritualis euadit, aut spiritualis in carnalem abit hominem. Simile huius vides in Metamorphosi Ouidiana, vbi Niobe fingitur mutata in marmor, Baucis & Philemon in arbores semper virentes, &c. Fabulæ suus est locus atque commoditas, modò quis ritè vtatur. Niobe dicitur in marmor mutata culpa superbiæ, qua ne diis quidem cedere tulit. Baucis & Philemon pauperes coniuges, virtute hospitalitatis, dicuntur mutati in arbores perpetuò florentes. Quo fabulæ figmento nihil commodius, quippe quod nostræ consentiat religioni. Noster Iupiter Christus est Iesus,

Exempla ethnicorū etiā suus locus est in ecclesia.

noſtra luno ſpiritusſanctus. Superbos dimittit hic inanes, ſuæ indurandos relinquit ſuperbiæ: fidelibus in minimo, maiora ſubinde chariſmata ſufficit. Atque hoc, de exemplo ſiue ſimili. Monet Apoſtolus, vt nos ſic geramus, qui gratia Chriſti innouemur, quemadmodùm de Saul dicitur 1. Reg. 10. Innouati ſumus, cùm alios affectus concepimus, hoc eſt, quandò qui carnales ſunt, ſpiritualia ſaltem cupiunt, & ad cæleſtia adſpirant, Col. 3. Iuxta hoc idem poeticum phantaſma, Circe venefica huius mundi ingenium aptè exprimit. facit mundus ex ſtultis inſanos, hoc eſt, ex hominibus canes catulientes, & ſues ſubantes: loqui humanum, vertit in fremitum atque gannitum beſtiarum. Contra huiuſmodi incantationes & veneficia Circea, vſus eſt herba moly Vlyſſes. nobis hic moly præſtat præſentiſsimum baptiſmi myſterium. Hic effaſcinantur & excantantur omnes, illuſionibus diaboli obnoxij: hîc ab huiuſmodi illuſionibus præſeruantur omnes eius ſacramenti myſteria ſyncera fide ritè tenentes. Princeps huius mundi ſchemate dementat imprudentes. Eſt enim mundus muſcipula pedibus ſtultorum. Contrà, gratia Dei in cordibus verè filium ſchema hoc penitùs extinguit, hoc eſt, mundi contemptum cordibus ipſorum prorſus ingenerat. Non tam nos ridemus Ouidianas metamorphoſes, atque mundus ridet apoſtolicam eam, de qua nos hic agimus, renouationem. Bone Deus, quibus non conuiciis proſcindunt noſtrates hodiè monachos & ſanctimoniales, priſcę religionis habitum gerentes? Interim eos qui veſtibus diſſutis & exoticis ſiue etiam inuentionis nouæ vtuntur, probat & admiratur deos. Laudantur pertinaces, cacoëthes quodcunque huius ſeculi mordicùs obſeruantes, pompam, huius mundi gloriam, luxuriam, lites forenſes, rapinas, deprædationes, bella, cædes, & quidquid id eſt diabolicæ impoſturæ. Atro notantur carbone ſi qui ſtrepitum huius mundi fugiant, ſi parſimoniæ ſtudeant, ſi vitiis nuncium remittant. Si quis hodiè ſua aut pauperibus diſtribuere, aut eccleſiæ relinquere decerneret, certè cum anabaptiſtis capite plecteretur. Mendicitas hodiè ſummum habetur flagitium: olim tantum fuit ſacramentum, vt etiam Euſtochium ſancta cuperet men

Renouari nos oportet, & quomodò.

Mundus renouationem fidelium ridet tanquàm fabulam.

dica ex hac vita recedere. Adcò diabolica metamorpho sis regnat in hoc seculo: vndè potissimùm hoc nostro tempore, qui innouemur, opùs habemus. Qui aures audiendi habent, audiant Apostolum, expurgent vetus fermentum, 1. Corinth. quinto. Nouam vitam auspicentur, Roman. sexto. Nouam legem charitatis amplectantur, Ioan. 13. Renouentur spiritu suæ mentis, Ephes. 4. Nouum hominem induant, Coloss. 3. Tit. 3. Qui hic spiritu Dei resistit, sua culpa in schemate mundi interibit. Nihil habet quod vel spiritum Dei, vel apostolorum ministerium accuset, quasi ad innouationem eam non sit satis obtestatus. Sua se damnauit malitia, sanguis ergò suus super ipsum.

Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Attende seriem verborum. Vt probetis, ait, quod pertinet ad hoc quod dixerat, Renouamini spiritu mentis vestræ: sed ad hanc renouationem aptè subiungitur, vt probetis. Sinè innouatione tali non potest fieri, vt homo probet & discernat, quæ Dei voluntas, & Deo quid benè placeat. Vetus homo nihil aliud approbauerit, nisi quod spiritui Dei maximè contrarium existat. Ad periculum hoc Dei voluntatis, nouatis sensibus opùs habemus. Exemplum hoc placet ostendere. Biblia nusquàm non ostendit quę Dei sit voluntas: quotusquisque est qui præstet eam? At quarè non certatim eam præstamus, pro se quisque, omnes? Nónne quia de ea dubitamus? Nónne quia quod malum est, bonum esse nobis persuasum habemus? Tantum refert, renouari spiritu: vndè & de renouatione multùm trádit Apostolus: Probate, ait, quod bonum & beneplacens sit Deo, Ephes. quinto. Rogas quid beneplacitum sit Deo: Respondeo, sanctificatio nostra. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusque vas suum possidere in sanctificatione. Sanctus ego sum, ait, sancti & vos estote. Sanctificatio ea præcipuè consistit in custodia mandatorum Dei. Psalm. 142. precatur propheta regius, dicens: Doce me facere voluntatem tuam. Non hic fidem excludimus, immò fidem huius ædificij fundamentum ponimus, Ioann. sexto. Sanctificatio nostra, Dei item est voluntas, vt scandala infirmorum etiam infi-

Volũtatẽ Dei vetus homo non approbat, neque itẽ nouit.

Voluntas Dei quæ.

Opera bona iustificant.

delium caueamus, 1. Pet. 2. Obserua digradationem: Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Heus tu noue Euangelista, hic ausculta, aurem que animum que aduerte. Nónne voluntati Dei stare, iustificat? Nónne quod bonum est apud Deum, quod gratum est, quod perfectum est, iustitiæ adscribi potest? Iustitia bonorum operum doni spiritus sancti, charitatis & fidei fructuum, passim in scriptura canonica elucescit, sed euangelij noui nebulæ tantam claritatem miserè obscurant. Qui sapit, audiat Apostolum, & credat voluntatem Dei esse, vt etiàm corpora nostra eius latriæ dedicemus. Quid ad nos, si hæresis & hic mundus, quod bonum est, malum dicat, Esaiæ quinto? Animalis homo non accipit ea quæ Dei sunt, 1 Corint. 2. Breuiter, vt hunc claudamus locum, obseruetur hoc Apostoli Phil. 4. Quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, pura, sancta, accõmoda, quęcunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitanda nobis.

Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.

Hæresion radix omnium.

Admonitio ista hæc Romanis non solùm, sed & nobis admodùm necessaria. Nimiùm sapere, est radix hæresiõn omnium. Sapiens qui hoc quod scit, nescit, habendus. Et procul dubio nulla manifestior est stultitia, quàm sibi sapientiam singularem polliceri. Sic & nullum crimen est grauius eo, quo se homo de sanctimonia sua cæteris præfert: quod Iob dicit adorationẽ suarum ipsius manuum. Obserua quo affectu atque vehementia Apostolus hoc vitium prohibeat. Per gratiam, inquit, Dei dico vobis. Penè idem suprà dixit: Obsecro vos per misericordiam Dei. Gratia Deo, qui tam fidum apostolum suæ ecclesiæ, Romanæ nimirùm, præfecit. Mirum qua sedulitate Romana Ecclesia tanti sui Magistri præscriptum custodierit. Nullũ facinus ecclesia Romana arrogantia peiùs vnquàm est execrata. Hieronymus se exiguam lintrem esse dixit, collatum ad liburna & onerarias naues. Nos si classibus S. Hieronymi collati fuerimus, vix cochlear apparebimus: adeò quotidiè fides, spes & charitas in ecclesia Romana decrescunt. Vtinàm

Hypocrisios radix & crimẽ.

qui eius ecclesiæ membra sumus, affectu tanto Apostoli tanti nostri tangamur. sic enim nulla vnquàm vel hæresis vel hypocrisis nos corrumperet. Irrepsit ante hæc tempora in ecclesiam Christi hypocrisis: nunc loco eius insurgit, & quotidiè magis atque magis inualescit longè pestilentior hæresis. Hypocrita aliquis suam rudibus vendidit sanctitatem & meritum. Stulti qui crediderunt. Nunc verò ipsa fides proditur catholica, pax ecclesiæ Christus ipse exploditur: quanto hoc est execrabilius, quàm hypocritam aliquem clancularium rudibus imponere? Hæretici noui non sanctos, sed sanctimoniç authores sese toti orbi obtrudunt. Veritatem sibi vnicè vendicant, etiam in confusionem omnium, qui ante nos fuerunt, sanctorum. Quid ergò aliud, quàm numen sese ostentant in loco Dei? Hypocritæ sanctimoniam simulantes, virtutumque speciem præ se ferentes, religionem tametsi subdolè, ædificauerunt: noui euangelistæ, exititij monachi, periuri apostatæ, hoc ipsum saltem dicunt esse euangelion, quo certò omnis extinguitur religio. Traditi in reprobam mentem superbi homines. Benè ergò Salomon monet, nè nimiùm sapiamus, Ecclesiast. 7. Apostolus item alibi vetat, nè intelligentia nostra superbiamus. Rom. 12. Hypselophroninvocat, alta sapere. Idem facit 1. Timoth. 9. Iesus quoque Sirac monet, ne altiora nobis quæramus, capite 3. Hyperphronin, est nimiùm altè sapere, hoc hæreticorum est. Phronin, hoc est, sapere, vulgi est: benè aliis, aliis malè conuenit: cauti alij euadunt, quod illis benè vertit: alij astuti efficiũtur, quod culpa non caret. Medio igitur hoc se habet modo. Sophronin catholicorum est, qui non sapiunt vltra mensuram, neque vbi non oportet. Sapere iuxta mensuram fidei, catholicorum est, hoc sophronin dicitur. Quæ verò mensura fidei? Consentire bonis, acquiescere ecclesiç sensui. Ecclesia est columna veritatis & basis: huic qui non acquiescit, metam fidei transilit, mensuram non seruat. Inflatus mente, inanem sese verè declarat. Superbos, mente cordis sui Deus euacuare solet. Nullum certius signum, hominem spiritu Dei esse destitutum, fastu. Fides habet se quemadmodùm eruditio: qui minùs habent eruditonis, magis se efferunt: sic & qui minùs ha-

Hæresis omni hypocrisi pestilentior, hodiè exagitat ecclesiam.

Sophroni, id est, sapere modicè, & iuxta mensuram fidei, quid

bent fidei, hoc est, doni spiritus sancti, de fide se plùs iactant. Modestia Apostoli argumento est, ipsum spiritu Dei esse vas plenum Hieronymus se lembum dicit comparatione patrum aliorum, quos naues vocat onerarias. Augustinus, Gregorius & alij, etiam à pueris discere nõ recusarunt. Maledicta hæresis etiam vniuersos audire temnit, sibiq́ue vniuersorum mysteriorum cognitionem soli tribuit.

Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo singuli alterius membra, In Christo Iesu Domino nostro. Dicere vult: Fratres, dixi cuique mensuram contigisse fidei. non ergò impar diuisio inter vos dissidium gignet, quia omnia à Domino Deo ità ad communem ædificationem corporis spiritualis Christi atque ecclesiæ variè administrantur. Dissimilitudo ea est ædificationis & pacis, non discordię siue destructionis. Exempli gratia: Corpus humanum variis constat membris, nec omnia eiusdem sunt actus: auris audit, oculus videt, nares olfaciunt, sapit lingua, &c. Nulla in corpore est discordia, immò maxima concordia. Harmonia quædam in humana constitutione videtur, vndè gloria Dei manifesta eluceſcit. Potentia, sapientia, & bonitas in constitutione ea varia & vnanimi peruidetur. Sic & veri catholici, verum corpus Christi consentit sibi, congaudent sibi omnes, inseruiunt sibi omnes: ille orat, hic protegit, iste laborat. Hæreticus si vnicus irrepserit, conturbat statim omnia, terram cælo miscendo, sacra prophanis confundendo. Simile hoc clariùs aliquanto vides 1. Corinth. 12. Quemadmodùm corpus vnum est, & membra habet multa, (vsque) nè sit dissidium in corpore, sed inuicèm alia pro aliis eandem solicitudinem gerant membra. Item Ephes. 4. idem ferè dicit: Habet ecclesia sua certa membra: quæ si omnia sua ritè sequerentur munia, non haberet hæresis quod exprobraret. Sed etiam si lippiat oculus, etiam si hebescat auris &c. num ergò propter membra, etiam propter caput morbidum, totum perturbandum est corpus? Haudquaquàm. Dominus Deus hæreticos, qui propter somnolentiam magnatum ecclesiæ & propter abusus plerosque totam perturbant ecclesiam, compescat, Amen.

Dissimilitudo status ecclesiæ, est ædificationis, non destructionis.

EADEM DOMINICA SECVNDA post Natiuitatem Christi, Euangelium, Luc. 2.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim, assendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem: & non cognouerunt parentes eius, &c.

PRAEFATIO.

VEstra charitas feriis in superioribus magnalia Dei audiuit. Christon nobis natum, nobis saluatorem audistis. Natum autem ex Maria virgine secundùm prophetas, natiuitatem denique illam pastoribus denunciatam. Omnia mirabilia, iucunda omnia. Sunt & alia cùm stupenda, tum plausibilia multa. Inter cætera verò hoc ipsum, quod in præmissa lectione nobis offertur, penitiùs æstimandum. æstimandum, inquam: verbis siquidem tantum miraculum satis non potest explicari. Supra naturam enim est, puerum annorum duodecim, cum sacerdotibus & legis diuinæ peritis presbyteris in disputationem de mysteriis Dei congredi. Detur mihi puer ex omnibus Græcis, Romanis, immò etiam ex Hebræis, de quo mica sapientiæ eius, qua puerulus noster plenus extitit, possit prædicari. Orbis terrarum talem infantem antè non protulit, nec posthàc est prolaturus. Phœbea lampas talem nunquàm vidit, neque vnquàm videbit. Hìc siquidem supra naturam & supra omnem creaturam transcendunt omnia: vt appareat verum dixisse prophetam, Deum in terris visum & cum hominibus esse conuersatum. Sunt pueri, fateor, præcocis sapientiæ plerique nobilitati, quorum præcipuus (quod ego sciam) fuit ille, cui soli omnium in senatu Romano locus est datus, quòd astutus stolidæ matri illuserit. Puer è curia, quo fortè patrem, puerorum more, secutus erat, domum rediit. mater rogat, vt sibi, quidquid in curia audisset, proderet. Puer audita arcana matri manifestare recusat. illa blanda primùm, dein aspera verbis instat: verberibus tandèm asperrima puerum subigendũ fateri, duxit. Puer, vt ma-

tris intemperiem euaderet, dixit ſenatum decreuiſſe, cuique viro plures vxores habendas. Credula fœmina, collecta credularum turba fœmellarum, armis arreptis, ſenatum petunt, tumultibus omnia implent. tandem tragœdiæ eius cauſa audita, & authore in medium producto, mulierculaſ leuitas omnibus fit materia riſus. puer in aſtutiæ præmium, dignus qui conſedeat, cenſetur. Sed ipſorum ſenatorum, omniumque mundi (vt de puero taceam) ſapientia, collata æternæ ſophiæ, vix eſt ſcintilla arundineti, ſolis lampadi comparata. Ioſeph & Daniel apud noſtros palmam ferunt idolis & ſapientiæ præcocis, etiam diuinę. ſed & horum ſapientia ex parte extitit, quippe ſomniorum interpretandorum. Somnium, vmbra & ænigmata, fuit omnis ſapientia, non modo puerorum, ſed & ipſorum patrum veteris teſtamenti omnium. Puer noſter ipſe eſt, in quo theſauri ſapientiæ & prudẽtiæ reconditi ſunt omnes. Contulit ergo ille noſter cum ſacerdotibus & legiſperitis, non de ſomniis humanis, ſed de Dei omnipotentis arcanis: quod neque de Daniele, neque de Ioſepho legitur. Pueri itaque noſtri infantia, nedum æterna eius potentia, mirabilis eſt, captum excedens humanum. Hiſtoria ergo pueri noſtri, non eſt talis, qualis Nabuchodonoſor. Pythagoræ, Alexandri, Pompeij, Druſi, Iulij, Octauiani, Traiani, & aliorum dominorum deorum mundi. Immo nec ea quæ de Enocho, Abrahamo, Moſe, Helia, & aliis hoc genus filiis Dei memoriæ ſunt commendata, ſic prædicantur, atque ea quę de Chriſto commemorant Euangeliſtæ. Illorum dicta ac facta talia ſunt, vt mentes & linguæ humanæ poſsint aſſequi. ſed filius virginis Mariæ, & linguis & mentibus humanis maior eſt. Lyſias, Demoſthenes, Meſſala, Craſſus, Cicero, Quintilianus, Plinius, Tacitus, & omnes dicendi arte & facundia nobilitati, ſi in vnum conflarentur hominem, hominem eum ex omnibus conflatum oratoribus, etiam Stentorea voce loquentem, vox ſua fruſtraret hiantem, ſi Chriſti maieſtatem præſumeret digne pro re prædicare. Sed quid de hominibus dico, cum etiam angelorum linguæ huic ponderi, tanto ſint minores, quanro Olympus mica arenæ eſt maior? Non tamen ab eius encomio & prædicatione abſiſtere debemus. Be-

Chriſtus vel puer plenus erat ſapiẽtia.

nignus est puerulus, infantium & lactentium laudem non aspernatur. præstemus ergo quod possumus, & humanæ eloquentiæ tenuitatem, mentis deuotæ amplitudo compenset.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. Hæc de Iosepho & Maria, qui sibi tunc in Galilææ Nazareth cohabitabant, dicuntur. De puero Iesu nihil priuatum & proprium vspiam apud Euangelistas inuenias, nisi quod infra statim dicetur, inter doctores & legisperitos in templo sedisse, deque regni cælorum mysteriis cum illis disseruisse. Cum verò Euangelista hoc dicat factum, Christo annos nato duodecim, exilium & reditum postliminio & alia multa præcessisse, mediocris intelligentiæ dubitauerit nemo. Quid vero Christus in Aegypto exulans, & in Galilæa redux, priusquam ad duodecim annorum ætatulam eam peruenisset, & quid postea vsque ad tempus baptismi gesserit, nullus euangelistarum recenset. Non quod omnem eam vitam, tanquam puerilem, ociosam & petulantem, silentio prætereundam censuerint: sed vt iuxta optimum orationis genus, pauca narrando, plura cogitationi relinquant. Cæterum dubium non est, quin in omnibus eius gestis præclarum specimen diuinæ maiestatis illuxerit: nisi acedioſulus aliquis hoc regi gloriæ vitio vertendum arbitretur, quod iuxta Marcum ca. 6. puer labori assueuerit. Sed nemo in hoc offendi poterit pius, cum indè nostra religio præcipuam consolationem sumat. Nam quæ nostræ salutis mysteria superesse nobis speremus, si ærumnas, labores, atque ipsam mortem, cum turpem tum acerbam, expunxerimus? Formam serui rex gloriæ assumpsit, Philip. 2. Venit ministrare, Matth. 20. Luc. 22. Venit patri vsque ad mortem, & eam crucis, obedire. Et quia pauperratem nobis erat sanctificaturus, non erubuit etiam victum ab aliis accipere, & quasi precario viuere, Luc. 8. Crucis hæc scandala si quis glorioſulus erubescit, cum Iudæis negocietur, Antichristi præcursor. Cælum Dei esse sedem, & mundum scabellum eius pedum, mentis compos nescit nemo. Poterat ergo Christus Attalicas gazas, immo etiam aureos montes suis suppeditare parentibus, nisi

Paupertatem nobis sanctificauit Christus.

scisset sic gloriam æternarum opum extinguendam. Et quare non illustraret veritatem veritas? Fabricium & alios ethnici faciunt deos à diuitiarum contemptu,& paupertatis(quam virtutibus annumerant)amore. Contra, Midam propter insatiabilem auri famem, auribus asininis depictum, magis brutum quam hominem auersantur. Adde quod Ditem,inferorum regem scita phantasia efficiunt.Christi ergo submissio,nostra est exaltatio: & eiusdem indigentia, nostra est opulentia. Christi labor, quo à teneris assuetus,fabrilis,nostra est requies. Vides Euangelium abbreuiatum sermonem, cui plus sensuum inest quam verborum. Et quæ de Christo refert scire, scripta sunt: & hoc nouum testamentum vocatur. Qui plus scire affectat, se eorum quæ scripta sunt, indignum declarat. Quod Augustinus in sermone de resurrectione & ipse fatetur, dicens: Tanta facta sunt,quanta tunc fieri debuerunt: tanta scripta sunt,quanta nunc legi debent. Non sunt interim contemptim reiicienda, quæ S. Hieronymus ad Chromatium scripsisse fertur,de infantia saluatoris,nec item arcessendus liber Theodosij Magni,cui titulus est præmissus,Gesta saluatoris.In illo libello populus Iudaicus statim ad puerum Iesum dicitur clamitâsse,Maximus puer iste, Maxima in puero isthoc virtus. Talia de puero Ioanne Baptista cum legantur dicta,quis dubitet eiusmodi,immo longè maiora, de puero Iesu,in quo diuinitas corporaliter inhabitauit, in populo Iudæorum esse proclamata? ¶Sed nunc tandem contextum euangelij videamus: Ascédentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi,Paschæ nimirum.Obserua pie Christicola,Ioseph & Maria virgo omnium tenerrima, cum gracilli & eodem imbecilli puerulo,à Galilææ finibus per Samariæ montana vsque in vrbem sanctam Iudææ iter benè longum quotannis tetenderunt. Nihil hic laboris, nihil difficultatis & ærumnarum excusantes, sed impigrè tantum itineris metiendo, ad festiuam synagogæ solennitatem conuenerunt. Nónne pietatis exemplo hic locus nobis esse debet?Scilicet assectæ Christi digni sumus,qui adulti & validi,ecclesiæ ἑτοίμα, i. solennia ante fores nostras concelebrare grauamur. Verum est,quod trito prouerbio di-

Euangelion abbreuiatus est sermo.

Maria vitæ actiuæ exemplũ.

citur: Quo templo quis proximè magis habitat, hoc rarius augusta limina subintrat. Attendite charissimi vobis, vosipsos probate. Cauete ne vobis præsens exemplum & sacramentum ociosè datum sit. Cauete ne quis scipsum (quod turpissimum demùm fuerit) circunueniat. Ioseph testimonium iustitiæ habet apud Matthæum. Matri spiritum sanctum superuenisse archangelus testatur, & idem gratiæ plenam eandem salutat, idque S. Triadis nomine: non ergo vanitati aut errori papistico dandum, quod synagogę solennitatibus sedulo interesse studuerunt. Et quid Christo sanctius? Si nihil, quarè ergò cautiùs viperino sanguine vitas, quod ille nunquam intermisit? Dicis solennitatem eam fuisse de veteri instrumento. Ergo Christus vna cum Mose abolendus? Sed heus tu mi frater, quis te adegit vt mare transeas, atque vt in Palæstinam peregrè eas, compulit? Ritus catholicos tibi commendamus, Christi exemplo approbatos. Quod in nouo testamento nobis viuere contigit, hoc feruidiori spiritu ea, quæ Apostoli per pneuma supernũ ecclesiæ tradiderunt, obseruare debemus. Quare ergò vigilias sacras obliteramus? quarè noctu ad matutinale sacrificium non surgimus? Quarè natalis Christi & sacri paschatis noctes non peruigilamus? Eucharistiæ sacrum cur non indies vt qui deuotissimè celebramus, aut sacramentum ipsum sumendo, aut Missam tremendum sacrum auscultando? Vespertino denique sacrificio quarè diurnum officium non complemus? Dicis, in cubiculo meo Deum meæ domi adoro. Rectè hoc: Atqui si ecclesiæ magnæ, in qua etiam Dauid Psal. 34. Deum laudandum censuit, te subducis atque subtrahis, non video, qui in tuo cubiculo Deum ritè laudare possis. Vide nè qua fiat, vt vectis tortuosus ille intersepiat, specie pietatis te in latibulis larium & penatium tuorum detinens, aut in schismatôn, aut in idololatriæ, aut in superstitionis cuiusuis alterius præcipitium te seducat.

Christiani solennitates ecclesiæ obseruant.

Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem. Audis tam parentes, quam puerum, Hierosolymas profectos. Sed nunquid hoc vanè? nunquid illaudabiliter? Absit. Quid in luce obscuri esse

Pueri matura ad cultũ Dei inducẽdi.

poteſt? Quid veritas delirium, quídve ſanctitas prophanum deſignare potuit? Nunquid glorioſa vox eſt noſtra tium ea, qua argutè ſimplicitati diuinæ pugnant, dicentes, Indulgendum ætati, Donandum aliquid pueritię, Et nos pueri fuimus, Gliſcet cum corpore animi pietas? Quaſi mentiatur propheta, dicens: Bonum eſt homini, ab adoleſcentia iugum Domini portare. Iterùm: Si æthiops mutare poteſt pellem ſuam, & is qui à cunabulis malo aſſueuit, ad bonam frugem perueniet. Audite vatem veſtrum prophanum prophani: Quo ſemèl eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu. Iudices veſtri erunt ethnici, ô bis ethnici: Nullus Tantalus, nulla Medea vobis eſt crudelior, qui ſobolum veſtrarum maturam inſtitutionem temnitis. Non ſatis eſt, baptiſmate aquæ veſtra imbuta eſſe pignora. reſtat vt & igne baptizętur: qué baptiſmum ſi negligitis, occiditis. Nec item ſufficit, quod liberalibus diſciplinis, neglecta diſciplina eccleſiæ, liberos veſtros mancipatis. Facite nè vobis Chriſtus puerulus fruſtrà Solymas iuerit: Eià conſiderate & ritè textum hunc perpendite. Remanſiſſe puerum Solymis euangeliſta ait. Sic & poſteà vel in cruce noſtram ſitiuit ſalutem. Puer vrbem eam, ſuę paſsioni deputatam, tempeſtiuè petiit, ſerus pedem indè retulit. Ad feſtum paſchatis puer noſtrum phaſe (1. Cor. 5.) futurus, in ſanctam vrbem frequenter venit, tanquàm prægeſtiat mandata patris ſui peragere: Parentes tantarum rerum ignorantes, poſt ſeptem dies, quibus paſcha celebrabatur, vterque ſeorſum, in ſui generis comitatu, domum redire conſtituunt. Puer verò in ciuitate ſua permanſit. Hieruſalem Nazareth prę ferens: hoc exemplo ſubmonens, Deo magis obediendum eſſe quàm hominibus, Acto. 5. In Nazareth matri & Ioſepho paruit, in Hieruſalem Deo famulari, vtrunque loco ſuo & tempore. Dedit & noſtris pueris exemplũ, Hieruſalem ſemper pluris cuique faciendam quàm Nazareth. ¶ Habet & Nazareth ſuum locum, modò in Galilęa ſita, ſit Iudęæ confinis. Galilæa ſiquidem limitem ſiue confinium ſignificat, Nazareth floriditatem. Quod ſic allegoricôs accipe: Parentes: Iudæę (id eſt, Dei confeſsioni) nunquã abeſſe debent: florere item debet in illis magis atque

Hieruſalẽ puer Ieſus Nazareth prætulit.

magis,quidquid Dei eſt.Sin,digni ſunt qui à ſuis ipſorũ abominentur pignoribus,iuxta hoc Luc.14. Qui venit ad me,& non odio habet patrem ſuum & matrem, non eſt me dignus.Et iuxta hoc Deut.33.Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ,Neſcio vos: & fratribus ſuis ignoro illos: & neſciẽrunt filios ſuos,hi cuſtodierunt eloquium tuũ, & pactum tuum ſeruauerunt. Carnales carnalium parentum cultores,dicunt:Vitam meam ſecundum euangelij præſcriptum inſtituerem , ſed per parentes meos mihi hoc non licet . Talibus præcipitur , vt permittant mortuos ſuos ſepelire mortuos Dicitur & talibus: Si ſcandalizat'te oculus tuus,erue eum & proiice abs te &c.Mat. 5.Summa:Nazareth venit ſæpenumerò Hieruſalẽ poſthabenda,ſed hęc illi nunquam cedere debet.Atque hoc eſt,quarè Ieſus Hieruſalem manſerit.

Et non cognouerunt parẽtes eius. Exiſtimantes autẽ illũ eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos . Nemo hic matrem & ſedulum tutorem negligentiæ accuſaueritin ſatis enim erat,quidquid hic actũ eſt.Et ſi parentes meritò culpari poſsint,certè mater ſuauiter dixerit,Fili quid feciſti nobis ſic?Cùm verò plena gratia virago , nihil friuolè vnquam commiſerit, videmus vtrinque culpam deeſſe.Parentes,peractis omnibus quæ ad ſolennitatem pertinebant,domum ſeſe recipere parabant.Puer quæ ſibi reſtabant non inſcius,in ciuitate ſancta permanſit.Butyrũ & mel ſe comediſſe,hoc eſt, verum Deum & hominem ſe , qui ſciat reprobare malum & eligere bonum,declarare in ſancta ciuitate,ſtatim à feſto habuit. Abiit paſchatis immolatio, reſtabat eiuſdem declaratio: azymorum dies præteriere,reſtabat myſteriorum declarandorum tempus. Vndè hic neque notos,neque cognatos,neque item ipſos parentes,alioqui ſibi chariſsimos,puer Ieſus agnouit.Et parentes nequidquam ſoliciti,diuinum puerum inter carnales quæſiuerunt amicos. Verbum quidem caro factum eſt , ſed & verbum eſſe permanſit. Quod non ſolum hic, ſed & apud Ioannem chariſsimæ ſuæ matri diuina ſoboles ſubiecit,dicens: Quid mihi & tibi eſt mulier ? nondùm venit hora mea.

Puer Ieſus quæ ratione Sotilymis mãſerit.

Et non inuenientes,regreſsi ſunt in Hieruſalẽ,requirentes eum.

Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Mater quæ sinè sua culpa charissimũ amisit pignus, nõ sinè maxima gloria & merito quærit. Triduana amissio maternum cor Simeonis gladio planè transfodit. Consors sit mater crucis, vndè & participat gloriæ lucis. An parentes Nazareth redierint, an extemplo simul vnius iter diei confecerint, an (quod textui magis consentire videtur) Solymas redierint, atque ibi tertium diem quæsitando & laborando transegerint, cuiusque iudicio relictum est æstimandum. Hoc certum tenendum, quòd post triduum in templo sit inuentus. Ambrosius plenus Dei spiritu, per triduum hoc, triduanum sepulturæ mysterium conuincit. Ab hac amissione vt gloria eius emicuit, sic & è sepulcro glorioſus resurgens, Dei filium se omnibus declarauit. O salutarem amissionem, in qua omnia quæ perdita sunt, redhibentur. Officio suo parentes satis fecerunt. Matris præcipuè veritas per Simeonis gladium est declarata. Sed qui venit quęrere & saluare quod perierat, perire nequit. Inuentus, affectæ matri & solicito Ioseph charum caput. Inuentus autem non solùm in sancta vrbe, sed & in templo. Reliqui pueri filiorum Adam, pro suo quisque ingenio deprehendi solent: alius nidorem secutus, in popina: alius murmure ductus in amphitheatro atque in orchestro: alius pueris colludens, alius cœlum ciulatu implens, solent offendi. Hunc nouum Adamum puerulum Iesum parentes, sacerdotum & scribarum corona cinctum inuenerunt, idque officioſum & mirabundum. Chrysostomus dicit maximum omnium miraculorum habendum, quòd vendentes & ementes è templo disiecerit Christus. sed & hoc satis mirandum, quod puer in arenam eam philosophicam descendere fuit ausus. Vt nulli dubium sit, hoc miraculum illius esse præludium. ¶ Neque hoc silentio prætereundum, quòd hic sedisse legitur. Nunquam in Nazareth sedisse commemoratur, sed in templo quotidie, Matth. 26. Hic requies eius in seculum seculi. Lucę item 4. secundum consuetudinem suam veniens in synagogam, stetit, & oblatum sibi librum reuoluit. Locum Esaiæ.

Triduum quo Christon amisere parentes, quid signet.

Christus puer in tẽplo sedit.

61. Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxit me, prima ſtatim fronte agnouit, [redacted] rum ſtudioſus: erubeſcant cerebricoſi homines, literas ſcripturæ neſcio quo fili ſpiritu, theodidacti, tanquàm vanum & noxium vitantes. Nam cùm Chriſtus ęterna ſapientia, notulas ſcripturę non eſt dedignatus intueri, quis rex aut quis pontifex literas aſpernetur? Eunuchum reginę Candaces legentem Eſaiæ literam, Deus Philippo diacono commendauit, Act. 8. Sed quid ego Aethiopem commemoro, cùm vel ipſum Apoſtolum poſsim adducere? Nónne 2. Timoth. 4. libros, maximè membranas Troade apud Carpum relictas, repoſcit? Qui es ergò tu, ô frater, qui ſinè literę ductu ad theologiæ faſtigium & adytum te peruenire poſſe confidis, quod ne ipſe quidem Apoſtolus ſibi auſus fuit polliceri? Viden' te & ipſum Chriſtum vanitatis notare, cùm literas ſcripturę, ceu rem ocioſam & ſuperuacaneam, reiicis? Siquidem ipſe Chriſtus bacillo hoc iter ſcripturę non modò, quod iam ex Luca oſtendimus, legit, ſed & nobis virgam eam, ad iter huiuſmodi committit, Ioannis 7. Scrutamini, inquit, ſcripturas. Et Apoſtolus ſcripturæ lectionem omnibus epiſcopis pręcipuè commendat, 1. Timothæi capi. quarto. Idem Timotheum à teneris in ſcriptura verſatum, laudat. Idem affirmat ſcripturam diuinitus datam. Collega diui Pauli diuinus Petrus, idem ait 2. cap. 1. Ex pręmiſsis liqueſcit, biblicam lectionem Deo eſſe ſacrificium omnium gratiſſimum. Sed immundis pedibus ad ſacrificium tale non eſt accedendum. Canibus & porcis neque panis ſanctus, neque margaritæ ſunt proiiciendæ. Superbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Nobilis ciuitas Iudææ Cariath, Sepher, hoc eſt, ciuitas librorum ſeu literarum. In Iudæa Sion, in Iudęa templum. Quo admonemur, ſenſum ſcripturæ genuinum eccleſiam occupare. Nam ſi catholicus ſenſus ſcripturæ, quem omnes patres vno ore profeſsi ſunt, in dubium vocandus eſt: ſi patrum monumentis (quàtum ad ſenſum ſcripturæ natiuum) fides adhibenda non eſt: hæreſes in vniuerſum, quantunuis craſſæ, renaſcentur omnes. Adeò nouis ſcripturarum excuſsionibus error ineſt. Tertullianus ex Apoſtolo. 2.

Scripturæ legęda eſt, litera.

Scripturæ ſenſus vbi petendus.

Timot. 1. dicit plurimum referre, quem quisque catechistam habeat. nam & spectata sanctimonia in magistris requirenda. Quis ergo non potius vel muto magistro aliquo ex brutorum numero vtatur, quàm clamosi vulgi magistris obstreperit? Eunucho Candaces reginæ Christus non quemlibet interpretem, sed Philippum misit diaconum. Neque puer Christus in angiportis & tabernis inuentus est, cum arrogantibus sciolis scripturas conferens, sed in templo. Habuit synagoga suos theologos, quos legisperitos & scribas vocant euangelistæ, hi libros viginti quatuor veteris instrumenti, quos nos cum Græcis Biblia vocamus, nocturna diurnaque versantes manu, memoriæ commendare studuerunt. Huiusmodi sacræ paginæ perscrutatoribus diuina ea atque æterna sapientia consociare se mâluit, vt ostenderet se esse margaritam illam bonam, in scripturæ litera latitantem, & quærenti sese vltrò offerentem. Non condita est veritas diuina in philosophorum gryphis, sed in sacrę paginæ libris. vndè Christus nunquam neque in Academiis, neque in Lycæis vllis est inuentus, sed in templo montis Sionis & ciuitatis sanctæ. Hic non audiuit aniles & friuolas de lana caprina quæstiones, non exoticas sacris auribus hausit opiniones: sed certa sacrę scripturæ dogmata. Hic qui quærit, inuenit. hic pulsanti aperietur, hic sinè periculo quæritur & pulsatur. Audiendus Christus Matth. 17. Hæc veri doctoratus Laurea petenda: quia Christum scire, est nihil non scire. Non parùm discriminis est præter Christum aliquem audire, Ioann. 10. Audientem insuper euangelista puerum nobis Iesum primò delineat, deindè interrogantem. Vides spiritum sanctum in puero? Prouerbiorum primo ait: Audiens sapiens sapientiam, sapientior euadet. Deut. 32. Interroga patrem tuum, & ipse respondebit tibi, Eccles. 32. Adolescens, loquere in tua causa vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. Eccè tibi æterna sapientia dignata est Rabbinorum Thalmudicorum fieri auditor. Sed & addit euãgelista, omnes admiratos sapientiam & prudentiam pueri, & videntes obstupuisse omnes. Vndè colligimus, caput nostrum in causa sua, de qua dicit, Nesciebatis quia in his quę patris

mei

mei sunt, oportebat me esse, suum habuisse responsum? Problemata Rabinorum soluens, factus admirationi vniuersis audientibus. Problemata soluit, quæ doctus nesciuit Aristoteles, & in quibus delirat omne Thalmudicorum vulgus, nempe de creatione & gubernatione, de prædestinatione Dei, de fide patriarcharum, de oraculis prophetarum. Sed synagoga non audiens solùm obstupuit, sed & videns. Audiens legis arcana edisserentem, idque supra vulgarem & carnis sensum, & certa maiestate atque efficacia, puerum est admirata. Videns indolem diuinam, cui omnis leuitas & petulantia absuit, non potuit non obstupescere. Sed hæc nulla facundia, nulla ité ratio humana satis adsequitur. Pro nostro tamen modulo, officio sacro hoc poscente, quantùm dabitur, de hac re latiùs agemus.

Curiosum Christianum esse non decet.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Quid per Deum optatius homini contingere possit, quàm vt responsa hæc Christi stupescenda, memoriæ prodita legere possit? Sed cupiditati modus ponendus est. Quod negatum nobis est, id Deo committamus. Leue factu id nobis erit, si considerauerimus mare magnum & spatiosum mysterium Dei, nobis legendum superesse. Orandus ergò Deus, vt nobis mentem piam, veritatis æternæ auidam, concedat. Puerum Iesum adultum, magisterij sibi munus vendicantem, nunc audire debemus, idque ardenti corde, instar duorum discipulorum Emaus iter habentium: & nobis quoque cum illis scripturæ arcana aperientur. Ipsum audire iubemur Mat. 17. In omnibus aliis doctoribus non immeritò suspicio locum habet, Ioan. 10. Videndum ergò quem audiamus, Luc. 4. Sed quis non audiat veritatem? quis non videat lumen? Admirati sunt sacerdotes puerum: adoremus nos adultum & glorificatum magistrum. Regina Sabæ cùm venisset Solymas, & sapientiam Salomonis ibi simul audiuisset, spiritum non habuit, 3. Reg. 10. Sed hic plus quàm Salomon, Matt. 12. Luc. 11. Regina Sabæ sua sibi soluentem ænigmata, est admirata: sed quantò mirabilius est, puerum duodecim annos natum, arcana diuina resoluere? Adde quòd ille Samuel à matre sua institutus, hanc sapientiam partim didicit, Prou. 31. partim

Christus fuer fontē sapientiæ se declarauit.

diuinitùs accepit, 3. Reg. 3. 4. 5. Hic verò noſter Emanuel ipſiſsima ſapientia, etiam matri ſuę admirationi interceſsit. Ioſeph, Moſes & Daniel, pueri quoque miræ fuerunt prudentiæ: ſed qui partim huius ſapientiæ fontis lymphis imbuti, partim humanis inſtitutionibus & præceptis eruditi, & qui paulatim certiſque actibus ſapientiores ſunt effecti. Hunc noſtrum puerum, Simeon ſex hebdomadarum infantem, lumen reuelationis gentium agnouit, & in eius lumine magi orientales lumen viderunt. Vt videas fontem ſapientię, Chriſtum noſtrum. De hoc dicitur Ioan. 7. Iam die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat. & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodò hic literas ſcit, cùm non didicerit? Matt. 13. dicitur: Vndè huic ſapientia hæc & virtutes? Marci 6. idem dicitur. Similia vides etiam Luc. 4. Idem miraculum etiam poſteà in diſcipulis Chriſti dilucidè irradiauit. Act. 2. Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis. Et poſteà Petrum cum Ioanne, ſcribarum & phariſæorum turmis ſtupori fuiſſe legimus, quòd agrammatei & idiotæ ſcripturæ arcanorum, inuenti eſſent omnibus præpollere Rabinis. Similia multa poſterior eccleſia habet exempla, iuxtà fœmellarum atque virorum, quorum catalogus iuſtũ conficiet librum. Breuitatis ergò cauſa, huiuſmodi exempla ſuperſedentes adducere, ad alia abeamus.

Chriſtus puer.

Et videntes, admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illũ: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes, quærebamus te. Hic philoſtorgia potiſsimùm obſeruanda, haudquaquàm (quod etiam in Apoſtolo Paulo vides) fallit. Affectus ille maternus, Manichæã hæreſin damnat. Si phantaſma in hunc mundum edidit, quare cor eius tantis curis tactum eſt? Hiſtoria 3. Reg. cap. 3. maternę philoſtorgiæ exemplum habet non obſcurum. Quare Ioſeph hic non ſuccenſuit puero? Nunquid Mariam hic in garrularum mulierculorum, maritis ſuis ſeſe omnibus in rebus prę ferentium, numerum referes? Nemo hoc, niſi excors & atheus homo, fecerit. Spiritu ſancto plena Maria, hic ſuo tempore locuta eſt, vt maternum affectum declararet, & nos de incarnationis verbi myſterio certiores redderet. Quid feciſti nobis ſic? Pater tuus & ego dolen

Philoſtorgia matris & eiuſdẽ virginis Mariæ.

tes,quærebamus te. Plurimùm ſenſus paucis verbis vas electum & præelectum profert. Senſus eſt: Sic anteà nobis non feciſti. Nunquàm ſiquidem te à nobis ſubduxiſti ô cuſtos Iſrael. Hactenùs Iſaac, Iacobum, & Ioſeph retuliſti. Eſau, parentibus grauis, mores hactenùs longè abs te extiterunt. Quid ergò hoc [redacted]noui, quòd nos præter ſolitum deſtituiſti? Ah mi fili, æſtima qua anxietate, quibus curis te pater tuus & ego dolentes, quæſiuerimus. Crede mihi, res eſt plena timoris amor. Signũ ſcio te contradictionis: quàm timui ergò etiam puero, ne tale quid accideret. O dolor atque decus magnum certumque parenti. Hoc eſt quod ſuper te iucundiſsimo meo filio, mihi olim beatulus ille Simeon prænunciauit? Heu me miſerã, quas vires mihi viuendi ſuppetit? Certè ſupra humanas vires eſt, hominem in tantis curis & anxietatibus non cõcidere. Hei charitas, & vt mors, violenta pietas. Hæc & hoc genus alia materni affectus, virtutis mulier breuiſsimo verborum compendio complexa eſt. Germanicum quoquè eius loci extat prouerbium, vt certum, ità & tritum & expertum: Klein kinder klein ſorg. Paruus puſio, parua afflictio: grandiora pignora, ſolicitudo & cura grandiſsima. Hanc maternam querimoniam Euangeliſta neque potuit, neque debuit præteriiſſe, certum aſſumptæ humanitatis argumentum, & totius euangelicæ hiſtoriæ neruum. Huic ſiquidem loco, qui nihil eſt niſi crux, totius euãgelij ſtatus aptius annectitur. Et conueniens fuit, etiam puerum regni ſui, quod ſuper humerum eius fuit, rationem afferre. Nam & tunc quoque crux ſuper pueri humerum imminuit: meritò & puer oſtendit, non inſcium atque inuitum talem ſe ſubire prouinciam. Quod mater dicit, Pater tuus & ego, coniugij ſacri nexum & conditionem nobis declarat. Plurimùm omninò refert, mulierem pignoris ſui patrem fateri. Extat huius loci prouerbium maximæ efficaciæ, Mater dicit. Appáret prouerbium ex Homerico Vlyſſe natum, tale dictum de filio ſuo Telemacho proferente. Sed hic nihil præter coniugij magnum attendendum eſt ſacramentum: cuius bonum eccleſia triplex commemorat, Fidem, prolem, ſacramentum: ne quis coniugium verum ſaltem ex prole

æstimet. Nam sanctitas religionis, etiam hoc in viuendi instituto, fœcunditate ventris potior prædicatur. Vt videas, etiam coniugium verum esse virginitatem conseruantium. Euangelistæ Matt. 13. Marc. 6. Luc. 3. hac quoque ratione Ioſephum Christi parentem vocant, quanquàm eundem & verè Dei filium testentur. Hieronymus (quod semel, quantùm ad hũc locum, sufficiat dictum) contra Helvidium tres rationes assignat, quare Mariam desponsari viro diuina voluit sapientia. Primò, vt secundùm morem hagiographorum, Christi generatio ritè ex Ioſephi linea describeretur. Secundò, ne adulterij & hoc genus criminum, virgo prægnans suspecta haberetur. Tertiò, vt tutorem germanum certo sibi sacramento semper præstò virgo haberet. Sed nunc ad pueri Iesu responsa descendamus.

Philosophia Mariæ virginis, Christi gloria facta illustrior.

Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Non amarulentam matris expostulationem, sed lamentabilis materni affectus adumbrationem audiuimus. Sic & filij responsum accipiendum, non quòd subdurè matri responderit, sed hoc quod mater scire cupiuit, hoc quod rogauit, aperuerit. Sensus est: Dolorem vestrum agnosco quidem, & affectum materuum & ipse persentisco, tuumque dolorem, dilectissima mater, doleo. sed quid hoc? Hoc aliter ñeri non potest. Non temerè, non casu aliquo accidit, vt vos non sim secutus. Nec vos negligentiæ accusauero. Certo patris mei cęlestis (cuius cælum sedes est, Esa. 66. & cuius domus est hoc templum, Esa. 65.) nutu vtrunque factum est, vt & ego hic remanserim, & vt vos me dolenter quæsieritis. Iam declaratur quòd conceptus sim de spiritusancto, & ex virgineo saltem sanguine homo natus, materno affectu, qui aliquandò illustrior fiet, illustrato. Cęterùm quod & vobis impræsentiarum suggerendum duco, regnum meum etiamnùm meis immineat humeris. Neque enim propter huius solatia mundi huc ex corde paterno veni. Calicem alium dedit mihi pater, & iam quoque desiderio desidero eum degustare. Hoc quod non rapui, mihi est soluendum. Sed vt posthàc cuiuis pateat, cruci me natum, crucem etiam super humeros pueri, & sanctam & voluntariã esse, quip-

pe qui puer adhuc existens, festine m prædari, & spolia accelerem detrahere, in templo cum legis paternæ peritis contuli. Non me latet, quid cuique vestrûm debeam: interim tamen commonere vos volo, esse tempus, quando cælestis patris cultus, carnalium parentum officio cuiuis homini sit præferendus: maximè mihi, à quo totius humani generis salus pendet, non quod corporis mei infirmitas cupiat, sed quod pater cælestis imperet, prestandum. Veniet tempus, quando sanguinem sudans, orabo: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Hac & vos cogitatione armamini. Facit huc verbum Christi apud Matthæum cap. 12. Quæ est mater mea? Q. d. Hic Euangelion atque adeò regnum Dei, carnali iuri anteferendum est. Charissimi, hæc Christi verba vos ipsi, quantùm cuique datur, ritè discutite, discentes, ne quod Dei est, carnalium parentum detis amori. Per calcatum (vt cum Hieronymo loquar) patrem & matrem rem diuinam interpellantes, pergite. Si æterna sapientia non dubitauit matri dolendi causam suppeditare, matri, inquam, quæ Dei voluntati nunquàm pugnauit, sed quæ plena gratia, per spiritum sanctum concepit & integra peperit: quis dubitet parentibus, qui in peccatis concepti, nos quoque in peccatis conceptos, luctari, contra diuinum obsequium si quid vnquàm persuaserint? Hæc, fateor, lucta est periculosa: sed quo periculosior est, hoc præsens locus, qui memoriæ commendetur, est dignior.

Parentibus carnalibus pater cælestis præferendus.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Pro ratione temporis, Ioseph iustus ille, & glorioſa domina, vas gratia Dei plenum, tanta mysteria necdùm ad plenum capere poterant. Crepusculum matutinum fuit, quandò hęc Iesus dixit: clara verò dies illuxit post Christi resurrectionem & assensionem, quandò spiritus sanctus suam gratiam, iuxta prophetam Iohel, pleno cornu discipulis impluit. Sed tamen diluculum hoc, in quo hæc dicta & facta sunt, suum iubar habuit periucundũ. Certè Mariæ virginis animo veritas illuxit, vel in Gabrielis oratione. Et quomodò cæcutiet, quę solem iustitiæ in sua carne primùm suum vidit filium, & adorauit Deũ? Accesit gloriæ fulgor, qui pastoribus illuxit. Ac-

Maria virgo quatenus filiũ suum non intellexerit.

ceſsit ſplendor, qui Magorum oculos irradiauit. Accesſit lumen gentium & gloria Iſrael, oraculo Simeonis & Annæ prophetiſſæ. Pulchra lux, gratus fulgor, ſed auroræ. Sol necdùm altiùs aſſcenderat, radios ſuos duplicata gloria emittendo. Ante meridiem illum, etiam ipſorum corona diſcipulorum, in hæc tanta arcana non potuit penitùs inſpicere, quanquàm Chriſti gloriæ per potentiam doctrinæ & miraculorum plurimùm aſſuuerint. Nuda veritas dicit: Eccè aſſcendimus Hieroſolymam, & implebuntur omnia quæ dicta ſunt de filio hominis. tradetur enim gentibus, &c. Sequitur: Et ipſi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur ad eos. Hæc Apoſtolorum tarditas & ruditas facit, ne quis miretur, aliquid in Maria virgine, humanę tenuitatis fuiſſe reliqui. Tenuitatis dixi, ne obeſæ naris & iiſdem naſutiſsimis videar ſuffragari, qui ſupra Mahometam barbari, ſapientiæ æternæ matrem, ſolis iuſtitię genitricem, puellis ruſticanis, agrariis & culinariis, quibus nihil magis brutum, nihil obſcurius, audent conferre. Pro temporis eius ratione Maria æquè atque Ioſephus, tanta arcana Dei plenè non intellexit: id mirum non eſſe, iam exemplo apoſtolorum oſtendimus. Nunc alia tempora, quorũ rationi non ſatis reſpondent, qui theotocon diam obſcuriſsimis quibuſcunque puellis comparant. Iam ſol iuſtitiæ altiùs aſſcendit: euangelion prędicatum eſt in mundo, creditum eſt illi, receptum eſt in gloria: ſenſus euangelij per tot ſanctos, perque tot ſecula declaratus eſt. Quis ergò non potiùs cum ſacro Miſſæ canone virginem Mariam vocet Dei glorioſiſſimam matrem, quàm ſylueſtrem nympham? Breuiter, qui hodiè non videt, ſua ipſius culpa non videt. Nõ hęc de hæreticis ſaltem, qui eccleſiæ terga verterunt, dico: ſed & de craſſè ignorantibus, qui non quærunt, neque pulſant, neque poſtulant, intelligi quoque volo. A ſacerdotibus requirenda legis intelligentia, Malac. 2. Si quis veſtrûm (dicit Iacobus cap. 1.) opûs habet intelligentia, oret. Niſi crediderit is, ait Eſaias 7. non intelligetis. Credentium & ſibi adhærentium mentes Dominus aperit, Luc. 24. Acto. 16. Beati qui vigilant ad poſtes

Ignorantes, hodiè non habẽt excuſationem.

oſtij ſapientiæ, Pro. 8. Eccl. 4. 32. Audite, inquit, vt intelligatis, Mat. 15. Audite me & intelligite, Marc. 7. Qui legit, intelligat, Mat. 24. Viderint, qui veteris inſtrumenti, quod vmbra & ænigma fuit, exempla tantopere omnibus in omnibus imitanda obtrudunt. Si duas vxores regibus & principibus licet habere, licebit etiam fratris ſemen fratri excitare defuncti. Iò prohibe Deus, Iò prohibe. Tutum non eſt, omnia ſcripturæ exempla ſinè certo eccleſiæ iudicio velle ſequi. Tempus & circunſtantias temporis gnarus homo diligenter debet expendere. De qua re alias. Nunc ad ſequentia.

Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Quis? Emanuel. Quibus? Mariæ matri & Ioſepho tutori. Vndè? ab Hieruſalem. Quo? Nazareth. Tantum eſt ius parentum in filios, vt etiam diuinæ maieſtatis conſubſtantialis Chriſtus Ieſus, homo natus, hominibus ſe ſubmiſerit ſuis parentibus. Sed in Nazareth. Solymis manens, dedit nobis exemplum, reliquit dogma, Deum præferendum omnibus creaturis, parentibus, tutoribus, magiſtratui, magiſtris, & omnibus quibus honorem, obedientiam, & huiuſmodi officia humana debemus. Eſt & Nazareth Chriſti ciuitas dicta, æquè atquè Hieruſalem & Capernaum, vbi ſynagoga fuit Iudæorum: ſed illa patria ſecundum carnem, hæ cultui diuino inauguratæ. vndè illic parentibus inſeruiuit, hic Deo. Deo magis obedire oportet quam hominibus: nec Cæſari dandum, quod Dei eſt. Præuaricatur, qui alterũ confundit. Exemplum & documentum vtriuſque hinc petendum, & imis mentibus reponendum. Hinc enim fidei iuſtitia abſoluitur, & ſuis auctibus vera theoſebia probatur. Dandum omnibus, ſed cuique quod debetur: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Hypotaſſomeni, & non antitaſſomeni, ſunt veri Chriſtiani. Aliud enim eſt Deus Iſrael, aliud Belial. Huius filij effrenes ſunt, illius obedientes. Sanctus Hermegildus, quem etiam ſancti canones celebrant, maluit à patre occidi, quam Arrianorum, forma noua ſacrificantium, ſacris intereſſe. Quare autem hoc? Quia cæleſtem patrem carnali prætulit. Quæ ergo, malum, noſtræ tempeſtatis peruerſitas?

Parentũ ius in filios.

Parentes indulgentiores peccant.

Filij contra Deum parẽtibus obſequentes, peccãt.

Vides hodiè Elihu filium Baracel Buzitem, inflatæ sapientiæ puerum, impudentissimè non modo in medio presbyterorum verba facere, sed & ipsos presbyteros catholicæ simplicitatis assertores, naso suspendere, & nullis non conuiciorum adsperginibus fœdare. Quibus aures pruriunt, iis certo iudicio suos satan mittit apostolos, aurium inseruitores. Audias hodiè regulum, duculum, comitulum, atque satrapatulum aliquem grammaticastrum, sibi censuram etiam in omnes superioris Ecclesiæ patres sumere. Probant hæc prædicantes, absolutam hoc prædicant pietatem: Religionem hanc illuminatissimam, non optare miseram plebem tondere & deglubere. Quibus se hic iustificent, quibus prophetas, apostolos, & Christum ipsum eleuent, in promptu sunt argumenta & scripturæ loca: Si quid credentes mortiferum biberitis, non nocebit vobis. Sacrificij iugis abrogatur solennitas, succenturiantur tot nouæ ordinationes, coguntur quique presbyteri hoc tantum egregium facinus approbare. Sic suam Ecclesia maiestatem planè amisit. Imperium quoque ipsum vna cum Ecclesia laberat. Quantis protestationibus & exceptionibus iurisdictionem Cæsaream, quam Cameram vocant, eludi, immo quibus non calumniis proscindi audimus? Sic & parentes, nisi illuminatis euangelicis suis liberis suffragentur, pessundantur. Recte & hoc: quia Christus venit in hunc mundum, huiusmodi ignem succensum. Hic vt, de Cæsare taceam, & vt Pontificum authoritatem supprimam, nescio an parentes patientiæ meritum possint aliquod à Deo sperare, qui filiis suis in huiusmodi ausibus non obsistunt. Timeo indulgentiam eam culpabilem, aliquod grande supplicium, quale Heli olim recepit, manere. Vrsas è sylua frementes irruere, videre videor dilaniatum præcocis ac petulantis sapientiæ pueros. Sed exoratus Deus, gladium eum extentum, totius Germaniæ perniciem, retrahere dignetur, Amen.

Maria virgo exẽplũ verbi Dei custodiendi.

Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Maria mater Dei, supra omnes mulieres benedicta, vsque adeo theoriæ, id est, contemplationi, dedita fuit, vt etiam verbum non satis intellectum, cordi suo commiserit.

Contrarium vides apud Ioan.6. vbi impij à Christo deficientes, dicunt: Durus est sermo ille. quis eum audiet? Apostoli pietate præditi, perseuerant cum eo qui habet verba vitæ. Adorant veritatis verbum, etiam non intellectum. Paulo supra audiuimus, Mariam verbum à pastoribus auditum obseruâsse, & cordi suo credidisse. Bonus ordo. Auditum sequitur custodia: vtrinque spes, vtrinque charitas. Neque enim sufficit audire verbum, nisi & fructum adferat auditor: nec item sufficit abscondere talentum & lumen acceptum, sed ad vsuram expendenda dominica pecunia, & supra candelabrum ponendum lumen. Sic, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant homines opera vestra bona. Vir duplicis animi, tam Mammoni quam Deo seruiens, peruersus in omnibus viis suis, mare mala consuetudine æstuans, via est vndè volucres cæli semen auferunt ac deuorant. Cor Dei timens, optimum * maximum est solum, vbi verbum Dei radices agit, germinat & fructum plurimum profert. Verbum Dei in nobis habitare vult Apostolus, idq; abundanter: habitare, ne regnet peccatum: abūdanter, nè maneat infrugiferum. Consultum nobis quam optimè vult Apostolus, verbum nobis Dei sic commendans. Maiorem siquidem & preciosiorem thesaurum nobis committere non potuit. Verbum Dei vita est: hoc vbi habitat, hoc vbi regnat, vbi mors non disparére non potest.

**maxime*

Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Hisce verbis claudit Euangelista Christi pueritiæ omnem historiam. Nemo qui bene sibi cōstat, conqueritur pauca de Christi pueritia memorię prodita: sed adorat ea quæ scit, iuxta atque ea quæ non scit. Manichæi ea quæ de Christi pueritia scripta sunt, aspernantur. S. Matth. & Lucas, vterque pueritiem Christi duobus absoluunt capitibus. Sanctus Marcus & Ioannes eam rem non attigerunt. Vndè Manichæi illis parum tribuerunt, hos magni fecerunt. Illos auersabantur, quod suæ opinioni viderent contrarios: quippe quod Deum verum hominem esse factum, vel à pueritia Christi ostendere eos animaduerterent. Hos, quod suæ opinioni viderentur fauere, de diuinitate potissimum scri-

Manichæi ea quæ de Christi pueritia scripta sunt, respuunt.

bentes. Sic se habet ingenium hęreticorum, vt etiam canonicam scripturam, nedum patrum elucubrationes, ausint vellicare & iugulare, sicubi sibi aduersari viderint. Sed ad Euangelistam reuertamur. Iesus, inquit, proficiebat sapientia & ętate, &c. Hoc est, quanto secundum naturam corpore & ætate profecit, tanto & sapientia æterna gratiæ atque adeo deitatis plenitudo, quæ in ipso Christo corporaliter habitauit, Col. 2. paulatim suis gradibus mundo innotuit. Ioannes in matris vtero ab hoc puero iamiam concepto, sapientiam & gratiam, prophetiæque donum hausit. Hic puer senem, puta Simeon, vt Ecclesia cantat, rexit. Sed quemadmodum per corporis imbecillitatem opus habuit, vt in templum, in Aegyptum vltro citroque gestaretur: sic etiam deitatis plenitudo cum succrescente corporis statura subindè in notitiam hominum sese protulit. Supra idem Euangelista sic: Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia & gratia Dei erat † cum illo. Hoc est, non repente & temerè, sed paulatim secundum diuinæ prouidentiæ decretum, ad officium hoc cui natus erat, assurrexit. ¶ Colligere debemus ex his pueri auctibus, quanta eius doctrina sit, quanta sacrificij eius passionis mysteria, quorum nihil sine definito suo tempore factum aut dictum est. Quis dubitet hanc doctrinam æternæ sapientiæ recipere, & lapidi, ab æterno Deo posito, fidere? Nunc ergo præparemus corda nostra doctrinæ Christi, doctrinæ autem cum factorum tum dictorum. Nam & facta suum sacramentum habent. In exemplo siquidem & gratiæ Dei virtus vitalis, & operatoria existit. Præparemus mentes nostras, vt ea quæ scripta sunt, circuncisis cordibus & auribus excipere & custodire possimus. Quin & huius loci sacramentum attendamus. Adolescit puer Christus quo admonemur, vt & nos hoc exemplo grandescamus in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. Malitia pueri maneamus imbecilles, sensu vero & operibus bonis robusti simus. 1. Cor. 14. Adeo Iesus etiam corporis statura gliscendo profecit, nimirum vt hæc & hoc genus alia mysteria indè addiscamus. Abiit Christus in virum, factorum & dictorum (vt Cleophas dicit) potentem: Quod nisi & nos

præſtiterimus, Chriſti eſſe non poſſumus. Cæterum etiam puerorum noſtrorum regendorum hic doctrinam petamus. Gaudemus, cùm eos corpore ſuccreſcere videmus: ſed videamus, vt & religionis, & ſapientiæ Dei profectu. In corpore ſaltem, immo etiam in humana ſapientia, & non in religione proficere, eſt deficere. Quarè in Eccleſiæ diſciplina, in ieiuniis ſtatis, in proceſsionibus & litaniis, in iugis ſacrificij myſteriis, in precibus canonicis, & in omnibus hoc genus Eccleſiæ ritibus, eos exerceamus. Non patiamur eos in Nazareth deliteſcere & deſidére. in Hieruſalem eos nobiſcum adducamus, nè eorum deſidia & acedia nobis imputetur. Faxit Deus, hoc præſtemus, Amen.

Pueri chriſtiani in omni genere eccleſiæ diſciplinarum ſunt exercendi.

ALLEGORIA.

TEmplum Hieroſolymitanum, in quo puerum Ieſum inuenerunt, ſignificat Eccleſiam. Comitatus ſignificat omnigenas hæreſes & ſectas, hoc eſt hæreticorum & ſchiſmaticorum conciliabula. S. Lucas ſynodian vocat comitatum, ſupple, eorum qui ſe ad iter corripere decreuere. Cognati & noti, ſignificant carnem & ſanguinem cum omnibus huius mundi coniuratis, conſectaneis, ſeu conſortibus, in quibus hæretici præcipuè gloriantur. In omnibus huiuſmodi phalangis, ab Hieruſalem auerſis, Chriſtus non eſt. Nam apud Eſaiam *Sar Salom*, hoc eſt, princeps pacis dicitur. quo nomine ſignificatur, alienus eſſe ab illis, qui pacem Eccleſię exoticis opinionibus perturbant: & Apoſtolus dicit Chriſtum Deum eſſe pacis, & non litium. Vndè & ipſe Chriſtus docuit Eccleſiam, hæreticorum & ſchiſmaticorum ſpeluncas fugitare debere, Matth. 24. Nolite credere, inquit, nolite exire. Hæreticorum proprium eſt, ſeſe Chriſtos aliis obtrudere, hoc eſt, veritatem ſibi vendicare. Quiſquis ergo dixerit: Omnes quicunque ante nos crediderunt, docuerunt & ſcripſerunt, homines fuerunt, atque adeo errare vniuerſi potuerunt, vnde eorum profeſsio catholica non immerito poterit ſuſpecta haberi, & in dubium vocari: penes nos vnicos veritas eſt indubia, cui præſentia non ſolum, ſed & præterita cedere debent: Hæc, inquam, quiſquis dixerit,

Hæretici alij ab eccleſiaſticis

Christum se ostentat: eum tu Christiane, Christo monitore, tanquam ipsum satanam vita. Hæretici item nihil minus quam sectarum authores esse volunt. At qui cùm eos qui catholicum & orthodoxum patrum sensum, quem ab Ecclesiæ vberibus, traduce vera, suxerunt, auersantur, immò etiam calumniantur & damnant, se verò efferunt, quoslibet in suam sententiam omnibus modis attrahunt, Euangelion sese verum vnicè habere, illuminatos se theodidactos, hoc est, non patrum orthodoxorum sensum habere, sed nouum aliquem reperisse iactitant. Qui hæc designant, quid oro, aliud quam sectas pariunt? Quis se hodiè euangelicum esse supplaudit? quis se theodidacton & illuminatum ebuccinat? Quis eos, qui religionem apostolicæ traditionis, eius quæ succedenti sibi tot sanctorum martyrum & pontificum linea, serie & gradu, sequendam & tenendam affirmant, papisticos appellat? Quis reiecit officia Ecclesiastica ea, quibus patres sancti persancte sunt vsi? Quis tot nouas ordinationes comminiscitur? Quis anabaptistis errandi occasionem, quis sacramentariis blasphemandi ansam tribuit? Vndè bigamiæ lenocinia oborta? Et quis ea asserit? Nónnè hæreticum eum & schismaticum iure dixeris? Nonne eum hydram, verbis Ambrosij, meritò vocaueris? Quis in huiusmodi chimerarum spelæis agnellum Dei Christum se inuenire sperauerit? Vnitati se Christus promisit. Vnitas Christum possidet. Hierusalem eius vnitatis typum habet, quia indè doctrina ea vnica, vnicè vnitatis, profecta. Ab vnica ea Christus se nunquàm patietur abstrahi. Vnus est, diuidi non potest. Aut igitur Christo nuncium remitte, aut in vnitatem reuertere. Dominus Deus rex pacis, fastidioso spiritu, sectarum authore, è medio sublato, vnicam suam pacificare dignetur. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS Epiphaniæ, Luc. 2.

Cum factus esset Iesus annorum duodec. &c.

¶ SECTIO sensus Literalis, qui & Moralis est.

1 *Parentum religio erga Deum, se, & prolem.*

2 *Pueri indoles erga patrem cœlestem & parentes.*

3 *Auctus meritorum ad gloriam Dei.*

¶ DECLARATIO.

1 *Cùm factus ſſet Ieſus annorum duodecim. Debent parentes ſe Deo & per Deum ſuis liberis. Bonum coniugij non ſolum eſt ſitum in fide coniugali, ſed & in prolis perceptione. Sic benedicetur homo qui timet Dominum. Qui domui ſuæ non benè præeſt, infideli eſt infidelior. Natura monet, vt vices reddamus noſtris maioribus.*

2 *Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem. Primò quærendum regnum Dei. Optima indoles eſt, primo timere Deũ, deindè reuereri parentes, tertio amicos & proximos colere &c. Chriſtus remanſit Solymis. Huius rei rationem dans, ait: Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Sequitur: Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & fuit ſubditus illis.*

1 *Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate &c. Quemadmodum pueri ſapientia & ætate proficiunt, ſic & gratia & merita ſuos habent auctus. Ieſus, ait, proficiebat, quod non de verbo, ſed de puero nobis nato & dato, intelligendum eſt. Verbum ſemper idipſum erat & eſt. Puer verò ſuccreuit plenus gratia & veritate: idque per gradus meritorum apud Deum & apud homines. Bonus ordo: Primo debemus placere Deo, dein hominibus. Sic enim hypocriſis non nocebit. Cæterum & fides atque adeò verbum, in his qui ipſum ſuſcipiunt, ſuum habet incrementum: quo primo ſumus infantes, lacte opus habentes: deinde adulti, quibus ſolidus cibus dandus eſt: denique perfecti, qui mente Deo fruuntur.*

¶ SECTIO ſenſus Myſtici.

1 *Eccleſiæ decus & cæremoniæ, per ſynagogæ maieſtatem nobis commendantur.*

2 *Decus & cæremoniæ faciunt ad myſteria gloriæ Dei declaranda.*

3 *Meritorum ergo eſt negocium, huic omnia domeſtica negocia poſthabere.*

¶ EXEGESIS.

1 *Qui in lege feſtiuitates & cæremonias ſynagogæ contempſerit præter Michol, ſcio neminem. In Eccleſia ſoli hæretici decus tale aſpernantur. Lucas ſtatim in veſtibulo ſui Euangelij, huiuſmodi conſcribit decus. Vndè, teſte Beda, per vitulum deſignatur, animal nimirum hoſtiis templi deputatum. Primo ſacerdotem ad aram collocat orantem, populo foris ſtante: Poſt, matrem ad templum mittit purificandam, natum cæremoniis legalibus circunci-*

ſum, Domino ſiſtendum &c. Hic duodecennem in templum adduxiſſe, idque ex conſuetudine ſua commemorat.

2 *Moſes ipſe ſabbathum oſtendit eſſe cæremoniale, & arcana ſignificare certè, nè dicam prophetas hoc facere. Vide Exod. 16. 20. 31. Lev. 16. 23. 25. Deut. 5. Eſa. 1. 58. 66. Ezech. 20. &c. Vide etiam Heb. 4. De baſilicis cultui diuino conſecratis, vide vbi agitur de templorum dedicatione. Templum habet Eccleſiæ ſignificationem, quemlibet etiam hominem, hominis denique cuiuſlibet animam adumbrat. Chryſoſtomus ait, primo creatum cælum, & poſt omnes creaturas aliud cælum priori longè præſtantius, videlicet hominem. Eccleſia quoque tẽplum, cœli icona habet: quod videsin P[illegible]ſa Miſſæ, Pſallat Eccleſia. Obſerua hic, in templo quid potiſſimum debeat fieri. Capitale hodie habent docere, & ſcripturam in templo interpretari. Sacrificiũ & doctrina in templo ordine fiant: ſeruetur decorum, neutrum alterum ſupprimat, 1. Corinth. 14. Chriſtus duodecimo anno prima fidei rudimenta reuelat, exprimens quid per duodecim apoſtolos in Eccleſia fieri velit. Non ocioſe perhibetur in templo remanſiſſe, immemor carnalium parentum. Oſtendit re ipſa, Chriſtum bonum eſſe perpetuò colere. In domo paterna ipſe reſidebat, priuſquàm à parentibus inueniretur.*

3 *Talem locum quis non omni religione dignum cenſeat? quis eius loci cultum non pro bono & meritorio opere habeat, niſi inſignis hæreticus? Dilexit Dauid decorem templi, & locum habitationis gloriæ, idque meritorie. Idem ait: Domum tuam Domine decet ſanctitudo. Sed nè longum faciam, Chriſtus ipſe quotidie in templo docuit: vtique etiam in feſtis legalibus. Denique & Chriſti genitrix gloriosa vel indè prædicatur, quod ſic filium inſtituerit, tametſi norit ipſum per ſe hoc facturum. Sategit ſuarum partium. Vndè etiam de partibus ſuis probe perfunctis prædicatur omni laude digniſſima: vt Antidicomarianis & Vigilantianis cultui beatorum iniquis, ilia rumpantur.*

DOMINICA TERTIA POST NATIUITATEM Chriſti, Rom. 12.

Habentes donationes ſecundum gratiã, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam, ſecundum rationem fidei: ſiue miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in ſimplicitate: qui præeſt, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate.

PRAEFATIO.

MAximi momenti res eſt, concordia & pax Eccleſiæ. Vndè Eccleſia lectionem hanc illi quam ſuperiori audiuimus dominica die, coniungit, hoc quod ſuprà de vnanimitatis virtute dictum eſt, confirmans. Nihil æquè diſcordiam facit, atque diſparia officia & dona: ſed diuerſitas ea non offendit niſi eos, qui myſteriorum Dei minus ſunt experientes. In ſuperioris dominicæ diei lectione ſcita ſimilitudine mutuam concordiam Apoſtolus nobis perſuadere ſtuduit, placet ipſam repetere. Vnum Chriſti corpus ſumus omnes, non vnum, inquam, membrum, ſed corpus pluribus membris conſtans, hoc eſt, non omnes eandem gratiam habemus. Sic natura comparatum eſt, vt talis diuerſitas in omni republica faciat vnam ciuitatem: quę etiam quodammodò corpus vnum dici poteſt. Non omnia poſſumus omnes, ait ille: Quid autem? Nunquid ergo tumultuandum in republica? nunquid ſimultates & factiones ineundę? Nemo ſanus hoc dixerit: liquet ergo, etiam in Eccleſia propter diuerſitatem Dei donorum, nullas tragœdias eſſe concitandas. Sufficit cuique, eſſe membrum tanti corporis vnicum. Attende nullum corporis membrum ſibi inſeruire, ſed corpori. Oculus non videt ſibi, non audit ſibi auris, non facit opus manus ſibi, non ſumit cibos os ſibi, nec ſibi pes graditur. Malè ergò officio ſuo reſpondet homo corpori Chriſti inſitus, niſi ſtudeat gnauiter vniuerſis commodare membris. Suo officio reſpondeat, & beatitudinem præmium cum vniuerſis adipiſcetur. Nullus tam exiguus totius corporis eſt articulus, quin ſuos habeat actus: nullum item eſt membrum in corpore viuidum, quin ſuas partes ſua ſponte, idque ſedulò, exequatur. Quæ, malum, ergo noſtra prauitas, qui noſtræ vocationis & donationis immemores, quiſque aliorum vſurpare ſtudemus officia, alij in aliorum meſſem falcem mittendo? O humani cordis cæcitatem. Dionyſius tyrannus ille, ſatis clarè oſtendit, magiſtratum eſſe prouinciam diſcriminum omnium pleniſsimam. Optimè ergò ageretur cũ priuato, ſua ſi bona nôrit. Epiſcopatus item functione quid æquè durum eſſe poterit, cùm Antiſtiti cuiuis incumbat,

rationem posthàc reddere, pro tot sibi creditis animabus? Tutius ergò longè est, mysteria Dei cum aliis ab aliorum sumere manibus, quam aliis præfectum, manibus administrare suis. Hæc omnia Apostolus iterùm atque iterùm conscribit: ea item Ecclesia iterum atque iterùm nobis legenda decreuit, vt mutua charitate adolescentes, vnà seruemur. Discordia siquidem vt magnæ res dilabuntur, sic enim fit vt suarum rerum satagat nemo: ità etiam inuidentiæ malum in Ecclesia excitatum, heu mihi quantam vim animorum in interitum æternũ mittit? Sunt, fateor, qui suam minam sudariolo conditam, terræ commiserunt suffossam. Hi suum iudicium vident Matt. 25. Luc. 19. Sed arrogantes censores illorum, mali omnis sunt authores. Asini ad lyram, quod non didicere, docere præsumunt. Hinc illę rixæ. Atque hæc in huius lectionis præfationem. Duo præcipuè in hac lectione tractantur. Primò admonet Apostolus, vt quisque suam vocationem agnoscat. Deindè hortatur, vt omnigenis virtutibus pro se quisque inuigilet, atque adeò iustificetur & saluetur.

Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Donationes, ait, non mercedem & præmia. Gratia, nisi gratuita sit, nomẽ gratiæ perdit. Nouit deus, figmentum quale simus: miseretur ergò miseris, largitur suam nobis gratiam, sine qua nihil nisi præsens nobis imminet perire. Charismata siue diaphora donatiua, hoc est, diuersas donationes, varia dona: omnia bona, quippe ex bonitatis fonte profluentia omnia. Summum bonum nihil mali protulerit, contra hæreses nostri huius æui, quæ etiam Deum authorem mali calumniantur. Donationes, quas Græci charismata vocant in optimam partem saltem accipienda. Non refert, alia aliis præstent. Nullum omnium est quod noxium sit. Varietas tantorum bonorum, potentiam, sapientiam & bonitatem declarat. Copia potentiam, varietas sapientiam, liberalitas, qua etiam omne meritum cuique omnia sufficit, benignitatem datoris arguit. Petrus charismata eodem vocabulo exprimit, 1. cap. 4. Vna charitas, varia charismata. Vnum corpus, varia membra & varia officia. Huc respicit typica vestis illa

Dei dona bona sunt vtiq; quis Deum author mali non est.

Iosephi

Ioſephi multicolor polymita, Geneſ. 37. quàm Septuaginta vocant pœkilon, quo vocabulo diuus Petrus vſus eſt, varia Dei dona deſcribens. Huc pertinet veſtis Regia, varietatibuſque inſignis illa, quam Dauid Pſal. 44. celebrat. Varietas eſt vnius veſtis, non ad differentiam & electionem, ſed ad [illegible] tiam. Varias, inquam, dotes & linguæ, ſed ad vnum regnum Chriſti exornandum & prædicandum, Acto. 2. 1. Cor. 14. Linguæ niſi ignitæ exiſtant, ſchiſmata pariunt. Linguæ variæ, ſcientiæ & artes multæ & diuerſę: ſed vna vnius fidei, catholicæ nimirùm, doctrina eſſe debet, Hebr. 13. & iuxta hoc quod ſequitur:

Siue prophetiam, ſecundùm rationem fidei. Septem hic dona ſpiritus ſancti in vna periodo comprehenſa, enumerantur. Loci huius occaſionem ſuprà vides, vbi dicitur: Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, varia tamen ſortiti dona. Hæc quænam dona ſint, hoc loco recenſet. Prophetia, donorum Dei eſt præcipua: eſt autem duplex: Prima eſt interpretandi ſcripturas certa intelligentia, ſupernè homini infuſa, aut etiam per eruditionem homini conceſſa. Nihil enim proficit magiſtri vox & ferula, niſi interiùs etiam erudiat vnctio ſeu gratia. Altera eſt futurorum pronunciatio indubia. Vtraque harum in primitiua Eccleſia erat frequentiſsima, quia vtraque commoda & cumprimis neceſſaria. De vtraque intelligendum hoc Iohel. 2. quod Actorum quoque citatur ſecundo: Erit in nouiſsimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ. Act. 21. vides etiam filias Philippi, vates ſpectabiles extitiſſe. 1. Cor. 14. vides in Eccleſia ea donum prophetiæ non infrequens fuiſſe. De prophetis Eccleſiæ vide Matt. 7. & 23. Proximè & ſecundùm apoſtolatus functionem, prophetiarum munus celebre fuit in Eccleſia: quod vides 1. Cor. 12. Epheſ. 2. 4. Fuerunt, & etiamnùm eſſe poſſunt, ſui prophetæ Eccleſiæ, non minùs quàm olim fuerunt ſynagogæ ſui. Intereſt tamen inter prophetas noui & veteris teſt. Hi Chriſtum naſciturum & cætera myſteria noſtræ ſalutis prædixerunt: nihil tale nunc porrò præſignatur, ſaltem de ſtatu Eccleſiæ admonemur. Liber Apocalypſios & omnia monumenta,

Prophetia donorum Dei maxima, duplex eſt.

argumento non obſcuro exiſtunt. De tali potiſsimùm prophetia intelligendum eſt hoc, Spiritum nè extinxeritis, prophetiam nè aſpernemini, 1. Theſ. 5. Item hoc 1. Ioan. 4. Omni ſpiritui nè credatis. H[redacted]

Oracula ſtatim nõ recipiẽda.

[redacted]. Ethnici priſci Apollinis prædictiones, vatum libris: portentorum depulſâ, Hetruſca diſciplina voluerunt explicari, impertito ſacrificio, quo etiam oſtentorum denunciationes procurantur, teſte Valerio Max. lib. 1. cap. 1. Væ iterùm atque iterùm væ nobis, qui hic omnibus ethnicis magis ſumus ſocordes, neque legem neque Euangelion audientes. Deuteronomion Moſis omnia miracula & vaticinia errori deputat, verbo Dei inconſentanea.

Oracula ad analogiam fidei ſunt referenda.

Hic vult Apoſtolus, vt oracula omnia analogiæ ſiue proportioni fidei quadrent. Iuxta rationem fidei, ait. Analogia hic proportionem quandam refert. Pictorum vocabulum eſt Proportio, qua neglecta, ridiculos ſeſe faciunt, teſte Horatio dicente:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſupernè:
Spectatum admiſsi, riſum teneatis, amici?

Caput Chriſtus eſt. Apoſtoli omnia ad Chriſti icona retulerunt, analogiam pia curioſitate obſeruantes. Noſtrum item eſt, omnia ad Chriſtum, qui Eccleſiæ caput eſt, referre. Non tamen ſuus hic iudex aliquis poterit eſſe. Conſulenda item Eccleſia, ſenſus catholicus non fallit: eum Eccleſiæ patrum tot monumenta penitùs exprimunt. Analogiam aliter accipiunt plerique priſcorum, Chryſoſtomus præcipuè & Theophylactus. Origenes hic valdè ſudat, & rem acu tangit. Latinorum vnus, & is recentior, nobis huius ſenſus guſtũ dedit, Vincentius: quem ita ſequimur, nè priſcos Græcos contempſiſſe videamur.

Siue miniſterium, in miniſtrando. Magis barbara eſt lingua Germanica, quàm vt hunc locum, citra periphraſes & adiectiones, adſequatur. Illuſtrem ſenſum ſi petas, pri

mò ea quæ ſuprà ſunt dicta, repetas. Siue prophetiam, ſecundùm rationem fidei, ſcilicet exequendam. Tuo cerebello ne fidas. cuique ſpiritui ne credatur. omnia ad ſcopum fidei redigantur. Is ſenſus & præſenti eſt loco. Siue miniſterium, quod vocat diaconian, in miniſtrando. Diaconia ęquè eſt donum Dei, atque prophetia: non minùs ergò in miniſterio diligentia requiritur, atque in prophetia. Propheta niſi aut interpretetur ſcripturam, aut per futurorum prædictionem pręſtanda & fugienda exprimat, præuaricatur. Peccat item Episcopus, ſacerdos, diaconus, ſubdiaconus, ſi ſuo miniſterio deſit, hoc eſt, ipſum non ſedulò exequatur. [redacted] Viderit quiſque vt ſuæ reſpondeat vocationi. De diaconia præſenti vide 1. Cor. 4. 2. Cor. 3. 11. 2. Tim. 4. Act. 1. Miniſterium in miniſtrando, ait, duplicatione atque repetitione iſtac opus vrgens. Nemo ſe Chriſto dignum putet ſeruum citra operam. Operę exemplum habet Episcopus in Apoſtolo & eius diſcipulis Timotheo & Tito. Sacerdos in ſacerdotum exemplo, Act. decimoquarto, 1. Tim. quinto. Diaconus in diaconorum, Act. 6. 7.

Diaconia ęquè eſt donum Dei atque prophetia.

Siue qui docet, in doctrina. Qui docet, ſcilicet doceat, nõ in friuola loquacitate, ſed in doctrina. Doctor dicitur à docendo. Mitris ſaltem & annulis inſignes, niſi doceant, doctores non ſunt, ſed doctorum larua. Operis ipſius docendi Apoſtolus doctores hic commonefacit, dein ſanæ doctrinæ eoſdem admonet. Qui exoticis opinionibus eccleſias conturbat, non doctor, ſed conturbator dicendus: neque doctrina, ſed impoſtura friuola habenda, quidquid non facit ad ædificationem eam, qua cœpit mater Eccleſia. In doctrina docere, eſt ea quæ didiciſti, docere: dicere, nõ loqui. Spermologi clamoſi qui biblia non didicerunt, qui etiam ſolidæ doctrinæ fundamentum non poſuerunt, blaterant & balbutiunt, non docent: poſtillarij ergò & † ſermoloqui admonẽdi ſunt, vt in doctrina tandèm docere diſcant: hoc eſt, vt ſcripturę canonicę maieſtate cõciones ſuas firmare, & ea quę didicere, docere tandèm incipiant. Obſerua hic, non medio crem rem in Eccleſia habendam, doctrinam. In prophe-

Doctor doceat qui à docendo ſic eſt dictus.

Doctrina præcipua res in eccleſia.

tiæ vocabulo etiam compræhenditur docendi ratio. Interpretari enim scripturas, quid à docendi differat officio? Repetit verò Apostolus hoc, quòd præcipua res est. Nisi relictum esset nobis semen, vt Sodoma & Gomorrha occidissemus. Pręcipuum hoc Episcopi munus: vndè apostolus Petrus euangelizauit Cornelium, non baptizauit ipse per se. Et Apostolus dicit se non esse missum ad baptizandum, sed euangelizandum. In Italia rariùs prædicari, argumento sunt Curtisani nostrates, ad deuoranda Ecclesiæ bona nati. Vtinàm eorum insaturanda vorago, non vergat in fraudem doctrinæ: vergit autem multis modis. Semidij incedunt, ignauum fuci hocce genus: mendicat in plateis imbecillex sacerdos, verbi denunciationi deputatus. Quanta indè orta sint, & subindè oriantur scandala, quisq; citiùs defleuerit, quàm describserit.

Docere præcipuum munus est episcopi.

Qui exhortatur, in exhortando. Sensus est: Qui exhortatur, videlicet fiat id, præstet id ipso opere. Neque enim sufficit aut donum, aut honos, siue dignitas vocationis, nisi etiam accesserit fidelitas executionis. Exhortatio est

Doctrina magni momenti res est in ecclesia. Docere & admonere duæ sunt res.

species doctrinæ. Vides quanti ponderis sit res, doctrina: quotiès eam Apostolus nobis committit, quotiès eá inter pręcipua Dei dona enumerat. Docere puto hoc esse, quod hodiè præstant in academiis doctores theologiæ. Admonere id verò, quod pro rostris vndique faciunt verbi Dei concionatores. Apostolus hic animo prę senti secernit alterum ab altero, nè vni supra vires vtrunque onus imponatur. Maximi meriti est, vtrunque præstare, exemplo Pauli & aliorum apostolorum, quos primitiuæ ecclesiæ egregij adeò doctores, columnæ ecclesiæ, sunt imitati ad vnum omnes. Qui alterum hodiè studeat præstare, rarissima est auis in terris, nigroque simillima cygno. Origenes & Theophylactus ferè eandem inter docere & exhortari ponunt differentiam. Exhortationem vocát paracleſin, quæ dictio tria complectitur: nempe quòd orator primò bonos cohortetur, vt in bono perseuerare dignẽtur: dein, vt malos admoneat, quo absistant à vitiis. Denique, vt eos qui in periculis sunt, constantiæ admoneat. Ad Timot. sic quoque docere & exhortari posuit, 1. Corint. 6. Ad Titum, vult episcopum esse promptum ad docendum, & efficacé in exhortando

Exhortationis tres species.

Talis doctor fuit Baptista Luc.3. In Antiochia exhortationem postulauerunt ab apostolis archisynagogi. Ad Corinthios item mentionem facit exhortationis: sed ibi pro paracleſi ponit paramythia, quæ dictio non solùm significat exhortationem, sed & consolationem. Vtrunque facit ad partes concionatoris. Inuenias in scriptura canonica exercitatos complures, quibus non sit opùs vt [illegible]eantur: sed vt identidém admoneantur, imprimis opùs habent. Diuus Petrus ferè iisdem verbis hũc locum prosequitur, 1. cap. 4.

Exhortatio etiam complectitur cõsolationem.

Qui tribuit, in simplicitate. De officio Missæ hoc poteris non ineptè intelligere. Missa dicta est agapę, à miseratione, hoc est, ab eleemosyna. Hinc supersunt adhuc inania nomina, Offertorium, Collectæ, &c. Per me tamen de quacunque eleemosyna intelligas. Simplicitas hic significat fidelitatem, qua priuatæ commoditati præfertur publica, & quę miserorum habet respectum, sua non attendens, immò negligens. Apostolus Paulus vnà cum aliis apostolis in Macedonia & Achaia multum pecunię conflauit fratribus in Iudæa mittendum. Poterat hic facilè quis, Iudam Scariothen imitando, furtum committere vel paruum, cuiusque decimi putà nummi. Sed simplex oculus, irretortus hæc spectat fluxa. De oculo simplici vide Matth. 6. Viderint cœnobiis & ptochotropheis præpositi, quo oculo mammonam intueantur. Hieronymus simplicitatem intelligit eam, quę personarum non habet respectum. Origenes, Ambrosius, Sedulius accipiunt de illis, qui citra omnem hypocrisin & auræ popularis immunes, eleemosynam faciunt: idque sic, vt dextera nesciat quid siniſtra faciat. Chrysostomus & Theophylactus intelligunt de largitate, qua homo citò & abundè dat, cuius contrarium Apostolus vocat parcè seminare. Viderint noui euangelistæ, pauperes, quos mendicare prohibent, vt edant & satientur omnes, atque benedicant Dominum. Pessimi catholicum mendicum in nomine Iesu & Mariæ virginis eleemosynam rogantem, tanquàm Turcam repellunt, propter gloriosissimæ virginis Mariæ nomen auditum, digni qui nunquàm exorant Deum: quia in simplicitate catholica non precantur. Duplicitas hæresios etiam est, mendicos in-

Missa dicta est agape.

terrogare, cuias sit, Euangelicus ne an papista. Viderint item catholici, vt bona data, immò credita, ritè distribuant. Viderint vt agapen celebrent, sic putà, ne alius sit satur, alius esuriat.

Episcopi vocantur proistamenoi hoc est, præfecti præsides.

Qui præest, in solicitudine. Suprà optimatibus Ecclesiæ præscripsit diaconiam: hic vult eos etiam esse in suis muniis solicitos. Tituli eorum, idipsum quoquè ab ipsis contendunt. Apostolus vocat eos proistamenos, antistites, hoc est, præfectos & præsides: quos alibi vocat diaconos, 1. Corint. 4. Spuda Græca dictio, tam diligentiam quàm curam significat. Diceres diligentem curam. Origenes de hac diligenti cura sic ait: Qui præest Ecclesiæ siue fratribus, solicitus sit, non de rebus huius mundi. Longè enim oportet talem curam abesse ab illis, qui Ecclesiæ sunt prælati. Curam verò, de qua Apostolus ait, sibi commendatam meminerint, solicitudinem omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non vror? Ecclesiæ optimates hanc curam habere decet, ab omni re mundi expeditos. Hæc ille. Aulicam pompam nostratibus maximoperè esse solicitudini, satis est manifestum. Suggesta Ecclesiæ neglecta, altaria abusibus variis obsita, pauperes famelici in cælum clamitantes, sacrarum literarum contemptus, & sexcentæ eiusmodi aliæ res, episcopos nostrates è supino somno excitarent. Sed argentinus deus sic corda multorum sopiuit, vt excitari in æternum nequeant. Argétini numinis meminit S. Aug. de ciuitate Dei, dicens: miror quòd argêtinus nòn genuerit aurinũ.

Charitatis officiorum nemo immunis esse poterit.

Qui miseretur in hilaritate. Quòd si donum prophetiæ non habeas, si docere nequeas, si ministrum Ecclesiæ agere non liceat: nunquid ergò officiorum pietatis immunem esse conuenit, quasi sola ad absolutam iustitiam sufficiat fides? Immò etiam si res desit, num ergò vacare debes ab operibus iustitiæ? Sufficit voluntas, vbi deest facultas. Hęc si abest, illa ardeat: si verò adest, gaudens sua propter fratres perdat. Gaudens, inquam, in hilaritate, quia hilarem datorem diligit Deus, 2. Corinth. nono. Vbi etiam hac dictione vtitur Apostolus, Hilaris & hilaritas: pro quo alius habet, sinè murmuratione. Hilaria celebrari, hoc dici poterit verè, cum frater fratri Hi-

laris adeſt. Sed cheu qui Hilares eſſe iubemur in dando noſtra, nunquam ſumus magis triſtes, quam cum dãdum nobis eſt: accipitur & rapitur ſaltem in Hilaritate. Cùm ſtipem miſero caram largiamur, dicimus amicos diuortium pati: nempe ſeparari hominem & metallum, Chriſtianum & latum. Lamentabilem adeo ſeparationem, lugubre diuortium. O cęcitatem, ô infidelitatem, ô quę & quanta nos manent ſupplicia, qui è tanta dignitate, qua Chriſti nomine cenſemur, filij Dei dicti & reuera exiſtẽtes, noſtra corda huius mundi nugis adeo inceſtamus. Quin ſuccurrit nobis experientiæ, qua exploratum habemus, retinendo in extremam paupertatem immiſericordes ferè ſemper deuenire, atque (vt aiunt) ad reſtim redire? Notum eſt hoc Ouidianum:

Vilia qui quondam miſeris alimenta negabat,
Nunc mendicato paſcitur ipſe cibo.

Dicis ethnicum hoc eſſe? Reſpondeo, ne iſthoc quidem te dignum oraculo, niſi viſcera induaris miſericordiæ, vel ethnicorum exemplo ad æmulationem prouocatus, Dei timens, huius loci videat exemplum, Luc. 16.

Dilectio ſine ſimulatione. Decem & octo articulis Apoſtolus porro ethicem nobis tradit. Qui habet aures audiendi, audiat, vt ſciat quæ ſit bona voluntas Dei. Supra dixit, Date Hilares. Hoc ipſum repetit, hoc ipſum primum & præcipuum gradum ethices ponens. Præceptum hoc charitatis, Chriſti eſt: & per conſequens, omnium Chriſtianorum. Charitas non debet ficta†. Duplex dilectio, hypocritica & anypocritica. Hæc eſt vera, carens omni ſimulatione. Illa eſt ſimulata, perſonata, ſita ſaltem in verbis blandicellis. Hilaritas citra cor, hypocriſis, dolus. Hypocritica fit, quando de fide plurimum diſputando, nos exaltamus, cæterum fratrem inopem verbis ſaltem lactamus. Contra vitium hoc dicit Apoſtolus Ioan. 1. ca. 3. Qui habet ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? Filioli mei, nè diligamus verbo & lingua, ſed opere & veritate. Anypocritica eſt, quæ largitur in ſimplicitate, quæ iuxta præſcriptum Ioannis, fit opere & veritate. Dilectionem eam requirit ex nobis Apoſtolus. Vera enim eſt, quem-

Dilectio eſt duplex hypocritica & anypocritica.

admodum fides operans per charitatem, vera est, atque apto epitheto dicitur anypocritica, 2. Ti. 1. quo epitheto hic claritas appellatur vera.

Odientes malum, adhærentes bono. Qui hoc præstat, recta ad cœlum tendit, nec de ventura sibi Dei ira timebit. Declina à malo, & fac bonum, ait Psal. 36. Et Amos capit. 5. Odio habentes, ait, quod malum est, amantes verò hoc quod bonum est. Ethicum Apostoli, ex propheta Amos acceptum esse apparet.

Charitate fraternitatis inuicem diligentes. Sensus est: fratres multis estis nominibus: videte, litis, vt charitatis affectus vobis adsit. Est autem adfectus, quando quis ex animo fratri benè vult, quando fratris commodis vel incommodis penitus mouetur, &c. Oportet nobis adsit philadelphia & philostorgia. Hoc est, fraternus amor oportet vt nobis adsit, & is germanus. Neque enim sufficit amor fraternitatis philadelphia, si non amor adsit germanæ fraternitatis, qui dicitur philostorgia. Illa tametsi ex charitate tribuat, non tamen tribuit ex dilectione charitatis. Hæc non sine dulcedinis affectu fratri succurrit. Oportet ergo vt illa huic accedat, atq; vna fiant, ambæ. Hoc vero fit, quando sic erga fratrem es affectus, atque erga teipsum, erga cor tuum. Præceptum legis est, Dilige fratrẽ tuum sicut teipsum. Tali dilectione Christus seipsum pro nobis tradidit, Ioann. 15. Quando simili amore inter nos amamus, tunc respondemus huic præscripto, & sumus philostorgi. Sed eheu quantum absunt à præscripto Christi & Apostoli, immo etiam à præcepto Mosaico nostrates, qui rapinis & deprædationibus omnia infestant, omnes depopulantur, paludati prædones, nobiles adeo equites, purpurati, patricij mercatores, negociatores illi, nẽminem non in negociis circunuenientes, vsurarij, publicani, principes exactionibus nouis subin atque nouis miseram plebem planè deglubentes. Væ mundo à scandalis. Tolle tolle è medio syluam scandalôn bone Iesu, doctor charitatis in tuam solius gloriam, quę tibi cum patre & spiritusancto vna est per æterna secula, Amen.

Dilectio fraternitatis duplex

EADEM DOMINICA III. POST natiuitatem Christi, Euangelium, Ioann. 2.

NVptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent, &c.

PRAEFATIO.

GRande & primum miraculum, quod in hoc mundo Christus edidit, Ioannes, Christo deuoti, certo Dei nutu descripsit. Ingens & primum audistis miraculum, certè hoc & magnus & primus euangelista memoriæ commendauit. Magnum, inquam, & primum miraculum, verè amplum & primum, vasto & primo primæuæ conditionis authori congruens, quod ille peruidit qui ait:

Caudice defecto, lachrymat sua funera palmes:

Vndè merum tribuat, dat modo vitis aquam. Lactantius vir Deo plenus, magnum & primum miraculum in vite ex aqua vinum proferente, agnouit. Verbum, inquam, identidem vt in principio omnia creâuit, sic etiam nunc quoque aquam vino mutare nouit. Secundum eum, vineæ sunt diottę siue fictiles hydriæ: Nubes ministri vineæ, aquam impluendo fundentes: Christus verbum æternum lampas cæleſtis, sol iustitiæ, & lux hominum, laticem aquosum eum mero commutans. Dicis naturæ esse opus: Dic ergò, & quid natura? Ede, vndè natura? Eloquere, quis Dominus naturæ, quem populi vocant ens vniuersatis & naturam naturantem? Augustinum, mi frater, audi. dicit ille: Sicut quod miscent ministri in hydrias, in vinum conuersum est opere Domini: sic & quod nubes fundunt, in vinum conuertitur eiusdem opere. Illud autem non miramur, quia omni anno fit. Assiduitate amisit admirationem. Sequitur: Mortuus surrexit, mirati sunt homines. Tot quotidiè nascuntur, & nemo miratur. Si consideremus prudentius, minoris miraculi est, esse qui non erat, quam reuiuiscere qui erat. His Augustini verbis monemur, vt verbum operatorium & efficax probè æstimemus. Hoc Ioannes supra ostendit carnem factum: hic ostendit, verbum perman-

Miracula de assiduitate vilescunt.

fisse. Imperauit in principio virtus, & seruiuit effectus: idem & hic factum videmus. Et secundum Gregorium Emisenum & alios catholicos patres, quotidiè idem in sacro euchariſt. fieri videmus. Si ex creatura, quod Apostolus dicit, creator intelligitur, certè in Cana creator poterit sine negocio deprehendi. Aqua siquidem suum creatorem agnouit, & quod iusserat, fecit. Hæc præfata volo, nunc contextum videamus.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Galilæam esse superiorem & inferiorem, supra authoritate Hieronymi audistis. Noueritis & hic, Cana superioris fuisse pagum. Inferioris erant oppida Nazareth & Capernaum. Ex hac præsenti Cana Nathanael (vt Hieronymus vult) ortus erat, Ioan. 1. Insuper & Ios. 19. huius fit mentio. Interpretationem & significationem allegoricam infra latiori campo edisseram. Cæremonias atque ritus, quibus Galilæi (qui æquè Iudæi fuerunt, atque Hierosolymitani) nuptias celebrarint, Euangelista hic paucis subindicat. Quibus cæremoniis Apostoli hoc sacramentum exornatum voluerint, nusquam plenè descriptum comperi. Iudæorum exempla Christianis per omnia non congruunt. Quod dico propter eos, qui imprudenter ex scriptura quiduis vndique decerpunt, modo id opinioni & moribus eorum conueniat Nam & ex hoc loco ebrietati prætextum arripiunt. Dominus Iesus parabolis quibusdam nuptiarum sacrum satis declarauit, Matt. 22. 25. Marc. 2. Luc. 12. Sed vbi temulentiam asseruerit, Epicurei nostrates ostendant. De hac re infra.

Mariæ ancillalis eius non fuit. *Et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias.* Appáret Mariam tribulem iure gentilitio officiosam interfuisse. Ioſephi hic nulla fit mentio: quippe cuius memoria cum pueritia Christi præteriit. Obserua hic, Mariam non interfuisse nuptiis tanquam lotricem aulularíam. honestissimo siquidem titulo hic, quemadmodum & Matt. 1. mater Iesu nominatur. Luc. 1. dicitur mater Domini. Ea ipsa mater Iesu & Domini, in his nuptiis extitit, decentiæ seruiens & honestati consulens. Iesus verò Dominus, eius filius, vocatus non solus, sed cum discipulis suis. ¶ Attende matrem aduentanti filio præuiam esse oportere. Ante incarnationem

Maria Christi mater vocata, Christus etiam aderit, sed non sine discipulorũ corona.

filij, erat mater: ante natiuitatem matris, erat filius. Matrem Iesu simulàc habuerimus, tunc cumprimis & filius est vocandus: vocatus, certo aderit, sed non solus: cum suorum discipulorum corona veniet. Quia vbi Dominus, ibi & eius ministri. Rumpantur ilia Arrio, Christus pascitur inter lilia. Mater, veteris testamenti: discipuli, noui testamenti typum habent. Discipulos, Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem plerique contendunt fuisse eos, qui hic cum Christo vocati dicuntur. Hi siquidem inter primos Christi fuerunt discipuli. Chrysostomus, & post eum Theophylactus non putant Christum vocatum fuisse ad nuptias tanquam Messiam, sed accersitum saltem nomine consanguinitatis maternæ siue ratione vicinitatis. Nam tametsi baptizatus à Ioanne, testimonium tunc habuerit ter amplissimum, necdum tamen erat doctrinæ & signorum suorum maiestate declaratus. Et ad hoc, nullus propheta in sua patria est acceptus, Matthæi decimotertio, Lucæ quarto, Ioannis quarto. Pharisæus quispiam ad nuptias eas, in quibus se suo honore destitutum iri sciisset, nunquam veniisset. Christus vero humilitatis doctor, non emansit, quia suum honorem nunquam quæsiuit. Venit autem: Primo, vt nuptiarum sacramentum aduersus hæreses, quas nouit orituras, commendaret. Immo pontifex & sacramenti eius auspex, venit suum sacramentum perpetuaturus, teste Augustino, qui ad hæc addit, Christon obuiam veniisse hæreticis illis, qui in nouissimis temporibus deficient à fide prohibebuntque nubere. Quadrat miraculum sacramento. In paradiso verbum nuptiarum mysterium instituit, ibidem satan verbo restitit, neque nunc resistere cessat. Apostolus cum Matthæo dicit, Vnumquenque suum donum habere: eos igitur quibus virginitatis donum negatum est, matrimonij sacramento scortationis vitio occurrere atque mederi debere. Taciani, Manichęi, & alij hęretici, ausi sunt verbo huic obsistere Sacramentum connubij magnum, maximo omnium bonorum encomio dignum est: sed non sunt dissimulandi tot & tanti, qui tantum sacramentum prophanant, abusus. Origenes ille theologus insignis, continentiam tanquam thesaurum omnium maximum,

Christi humilitas.

Nuptiæ sacramentũ habent

nusquàm non maximi facit: coniugatos tamen iustitiæ seruos subindè prędicat, virtuti studentes, in Epistolam Roman. 7. S. Hieronymus dicit Epicuricos philosophos docuisse, sapientem matrimonium auersari meritò debere. Sed doctori doctrina sua satis apta. Terentianæ scraptiæ ęgerrimè tulerunt suos amatores delicatulos tandem ad connubij tedas perductos. Nuptiæ caninæ (vt cum S. Hieronymo loquar) canes decent. Epicurici habendi, non Christiani, qui non fatentur satius esse nubere & vxorem ducere, quàm vri: sed non minus errant ij qui hodiè se ecclesiæ reformatores obtrudunt, & propter abusum eum, etiam à professione catholica deficiunt. Et qui se maximè sacerdotalis coniugij assertores iactitant, nusquàm periculosius ferè, atque in sacramentis vtrisque iis, peccant. Nam quemadmodum laicis ius altaris deferunt, sic etiam sacrum connubiũ prophanant, eius iudicium ad forum & prophanos iudices transferendo. Superintendentes quoque ipsi, turpius omni lenocinio ducturiunt. Effœtas anus non modò, sed & lupas quascunque inhonestissimas, dignantur episcoporum nuptiis. Hic vt clandestinas, quas approbant, sileam nuptias: hoc neque possum, neque debeo silentio premere, quod diuortia quoque ipsa, contra Christum summum nostrum põtificem inducunt. Nec concedunt solum, repudiatis secundas nuptias, sed & nè quid desit Antichristicæ machinationi, bigamiam ipsam legitimã & piam docent, sacramentum connubij negantes. Eant nunc, & Papam Antichristi errorum traducant, quorum impietati, vndè Antichristi ipsissimi dinoscí queunt, nihil deest. Sed hęc aliàs pinguiori Minerua, nunc ad institutum. Christus secundò ad tedarum solennitates venit, vt mysterium, quo ipse ecclesię sponsus designatur, declararet. Magnum hoc sacramentum, de eo dicitur Oseæ 2. Desponsabo te mihi in fide. Desponsationem hanc mysticam graphicè describit Apostolus Ephes. 5. dicens: Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter quod relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suę: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Idem dicit 2. Cor.

Nuptiarũ sacramẽti mysterij declaratio

11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Ad hęc quoque diuus audiatur Augustinus: Quid, inquit, mirum, si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Si enim non venit ad nuptias, hic non habet sponsam. Sequitur: Sed habet hic sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui dedit pignus spiritum sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli, & mortuus est propter delicta eius, & resurrexit propter iustificationem eius. Hactenus ille. Attendamus hæc & dicamus, quæ sponsa tantis vnquàm paraphernalibus siet dotata? Assuerus aliquis, si se & omnia sua venustissimæ omnium puellæ Hester suę sponsæ dederit, quid aliud fecerit, quàm quod homo homini, atque adeò dignæ sibi, immò etiam plerunque digniori & bona caduca dederit? Quis ergò nostri sponsi clementiam mente satis concipere possit, qui indignissimę æterna bona, & se, bonis illis longè præstantiorem, tam liberaliter elargitur? O beatas carnalium tedarũ nuptias, quæ tantorum bonorum nobis referunt typum. Nam nisi genialis illius tori vsus esset, tantorum bonorum expressum huiusmodi instar non haberemus. Felicem eum qui coniugij temporalis bona ritè poterit discernere, vt indè ad agnitionem spiritualis veniat, & tanto nympho de tantis bonis, tanquam ardẽs charitate nympha, sponsa grata euadet. Tertiò, nuptiarum solennitatibus Christus statim in sui auspicio voluit interesse præceptor morum, propter exemplum virtutis. Rex regum diuitibus præbuit exemplum, nè Baucis & Philemonis, hoc est, pauperum (si tamen poetices hic locus est) magalia non fastidiant: Dein etiam, vt pauperum necessitati succurrere discant. Nihil enim fuerit, si comessatores & cõbibones se miseris saltem exhibeant, nisi etiam succurrere studeant. Nam & Christus his nuptiis non comedo & compotator, sed præses & patronus interfuit. Christon quoque si satis audias, ô diues, non locupletes, non optimates, non contribules & amicos tibi conuiuas in ædes tuas cõcieueris, sed infimos quoscunque & inopes, Luc. 14. Non puto dedecori tibi futurum etiam hulcerosum Lazarõ, nisi audias eum glorię esse angelis cœli, referentem personam ipsius Christi. Si verò omnino

Magnates infima ne fastidiant.

neque pauperum hoſpes eſſe, nec hoſpites eos tuos perpeti potes, ſaltem eorum eſto patronus. Puellas egenas ab inopia maleſuada leua Nicolaus. Ruth & Rachab ſi tuo indignas cenſes thalamo, Salmone & Booz: fac ſaltem viduas cõtractas paupertate, ope & conſilio iuues. Pauperies inimica bonis moribus eſt: eam ergò, quantum potes, reprime, idque quàm liberaliſsimè. Nam hac tandem in re ſi durus fueris & immitis, immiſericordem tibi Deum & inexorabilem efficies.

Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Euangeliſta proculdubio præſenti animo Anticomarianis occurrens, Mariam iterùm magnifico titulo cognominat, matrem Ieſu eam appellando. Nouerat gloriosa illa cœli regina, Ieſu mater, quantum filium pepererit, quidque de illo audiuerit. Plus ergò cęteris omnibus ſibi de maieſtate Domini ſui perſuaſit: nec verita filium compellare, quippe quem ſemper in omnibus ſibi comperit obſequentem. Nec item negauerim (quoniam hoc ità veterum theologorum plerique affirmant) humanum hic matri affectum irrepſiſſe, quali diſcipuli Chriſti fratres dixerunt: Oſtende te, & declara te mundo, Ioann. 7. Neque ſic impiam & temerariam Dei matrem, quod Pelagius, immò etiam quod ipſe Mahumet non diceret, credas. Præcipuum, quod matrem mouit, pietas, quæ ad omnia vtilis eſt, erat. Piam hic vides Chriſti matrem, quam ſuprà vides officioſam. Vtinam hæc verba Mariæ heroides & quæcunque matronę diuites crebrò habeant in ore, immò in corde, atque adeo in affectu & effectu. Maria ſpiritu paupercula, videns amicorum penuriam, nihil quo ſuccurreret & eam inopiam leuaret, habuit: ſed quidquid potuit, hoc fideliter præſtitit. Nihil ergò fuerit matronas verbum Marię frequenter in ore habere, niſi & eius induant affectum. Si facultas opitulandi defuerit tunc locum habent verba ſupplicandi & voluntas. Audi regina, Princeps, Dux atque Comes, ſi reginæ cœli non faſtidis Ieſu matris verbum: imitare mundi Dominam, attende miſerorum penuriam & anguſtias: cumque iuuandi copia deſit, vel ſaltem verbis adeſto, Agè, filium dominum tuum, qui in poteſtate eſt, ora. Tibi

Maria chriſtiana regina hoc eſt, matronis præpotẽtibus exẽplũ humilitatis.

aditus ac acceſſus liber eſt. tu nato tuo, tu hero tuo neceſsitudine deuincto, alloqui ſemper audes: Fac igitur pauperum patronam te ſemper exhibeas. Si Antichriſtus tibi filius fuerit aut dominus, nè timeas eſſe moleſtus: ſi nihil obtines, certè ancillam te Dei omnipotentis declarâſti. Si filius aut heros tuus, Chriſti cultor fuerit, haud grauatè audiet, & vltrò compotem voti te faciet: tuumque meritum in regno cœlorum ſic duplicabitur. Tu itidem ciuis & matrona opulenta quæcunque, filio itidem tuo, marito tuo, proximi vicini tui neceſsitatem ſuggere. Dic vinum non habet puerpera illa, ægrotus iſte: frumentum non habet vidua illa, multarum prolium parentes iſti, pecuniam non habet obæratus, Iudæorum factus mancipium. Veſtem non habet, domum non habet hic & ille. Eià nè dubita: nuda in hunc mundum veniſti, nuda exibis. Et quibus tua parta relinques? Heu, ad quid & quorſum tot opes congeſsiſti? Mulier ſecundum naturę proprietatem, mitior viro eſſe debet. ſed proh deum atque hominum fidem, noſtræ non heroides, ſed Herodiades: non heroës, ſed Herodes ſuos ad mactandum miſeros incarceratos inſtigant. Væ mundo à ſcandalis. Sed ſequentia videamus.

Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Quod Maria auſa fuit à filio ſuo aliquid contendere, maternæ eſt authoritatis: quod nihil præſcribit, humilitatis eſt ancilæ Dei. Vides gratia plena virginem, vides inſtar religionis. Nouerat filiũ: dicit ergo, Vinum non habent. Credidit Deum, non ergò arroganter & ambitioſè dicit, Oſtende tuam gloriam, dic vt aqua illa vinum fiat. Quod filius dicit, Quid mihi & tibi eſt mulier? carnalis ſenſus homini duriuſculum videtur reſponſum: ſed Deo plena virgo, aliter accipit. Non ſpernit neque inhoneſtat matrem, ſuæ legis violator Dominus, Exodi 2. Honora patrem & matrem. 21. Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Neutiquàm in eam ſuam legem peccauit, quam venit adimplere, qui puer parentibus ſubditus extitit, & qui animam agens, etiam è cruce matrem ſibi vnicè chariſsimã, eſt deueneratus, Lu. 2. Ioan. 19. Senſus ergo eſt: Spõ-

Chriſtus matri ſuæ duriuſculè nõ reſpondit.

sus non orat, quia qualis sim ignorat. Te matrem mihi nunquam pigendam agnosco, sed & tempus ad patris gloriam expecto. Qua in re saltem patri obsequor, nec carnis consilia sequor. Luc. 2. Matth. 12. cùm euocaret eum, simile fere dixit. Augustinum hic audiamus. Miraculum, inquit, exigebat mater: at ille tanquàm non agnoscit viscera humana, operaturus facta diuina. tanquam dicat: Quod de me facit miraculum: non tu genuisti: diuinitatem meam non genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, quandò infirmitas mea pendebit in cruce. Hoc est enim, Hora mea nondùm venit. Summa, tam diuinæ substantiæ veritas, quàm humanæ naturæ proprietas, in Christo scitu necessaria est: vtrunque ergo diuina sapientia in responso ad ipsam matrem, declarandum duxit. Quòd si qui legere màlunt, Quid tua & mea interest: illos nolo celare, quòd & Chrysostomus, quem Vulgarius secutus est, hunc quoque locum ad eum sensum accipit, nempe sic: Sponsi interest hac in re esse solicitum: qui si iam non trepidat, si nullo pudore suffunditur ad implorandam Dei & hominum fidem: mane, excitabitur, vbi penuria vini omnibus conuiuis manifestior facta fuerit. Et reuerà, si Christus continuò ad matris preces miraculum hoc edidisset, nullam gratiam miraculum commeruisset. Certa ergò & grauissima causa opus mirum hoc, in tempus sibi à patre constitutum distulit: non ad fragilis carnis, sed ad Dei omnipotentis gloriam. Tunc primum locus est diuinis miraculis, cùm miseria ipsa humana manifestata est. Nam quo hæc est manifestior, hoc Dei adiutorium fit illustrius. Sic hic etiam postquàm vini penuria satis esset diuulgata, maior admiratio, maior lætitia & gratiarum actio factum sequebatur. Rogas? Quid est quod dicit, Nondùm venit hora mea? Idipsum quod & alibi iisdem pene verbis sæpenumero dicit, Matthæi vigesimo sexto Lucæ 22. Hora vestra iam est. Marc. 14. Ioann. 12. Venit hora. Ioann. 7. Hora eius necdum venerat. Ibidem: Tempus meum necdum venit. Horum locorum simplicissimus sensus est, Christon nihil vnquàm vel dixisse vel fecisse, nisi tempore ad hoc prædestinato, nihil secundum consilium carnis, sed

Christ⁹ nihil vnquã dixit aut

sed secundùm decretum deitatis feciſſe omnia. Vndè nuſquam carnis & amicorum affectibus ſeruiuiſſe legitur, ſed diuinæ gloriæ vndique: neque item hòmines Chriſto inferre manus poterant, niſi cùm eius aduentaſſet hora, ſiue præſcripto ſibi à patre tempore. Et iuxta Germanicum idioma, hora accipitur pro diuinæ prædeſtinationis tempore. *fecit, niſi tempore ad hoc prædeſtinato.*

Mathematicos, quæſo, noſtros quandò tandèm nœniarum ſuarum pigebit? Dicant: Hora in Chriſtum ius habet, an Chriſtus horæ habet poteſtatem? Filius ne hominis Dominus ſabbathi, an ſabbathum illius? Nunquid conditor vniuerſitatis & temporum, horæ ſubiacebit & alligabitur? Cerberon virus vetus iterùm euomere incipere videmus. Magiſtelli noſtri theologi illuminati, matheſin vnà cum theologia profiteri audent, ſed cunctanter & cautè, ne adſperginem ſuam vnà excreent omnem. Doctrina fati, catholicæ religioni ſatis incommodi intulerunt: Chriſtum in gratiam Iudæorum & Sarracenorum, fato ſubiecerunt: expectant dum ex adſpergine ea aconitum naſcatur, tunc matheſis hippomanes ſuperfuſuri, germen tam ſacrum rigaturi. Auguſtinus, Chryſoſtòmus, Theophylactus, hoc loco ſatis contra hunc errorem ſcripſerunt, Chriſtumque à falſa & prophana philoſophia, immò philomoria aſſeruerunt. Doctores eos, atque adeò Eccleſiam, vnà cum Chriſto (ſi poſſunt) peſſundent. *Mathematicorũ vanitas.*

Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Genitrix Dei Theotocos beatiſsima, mentem filij ſui ſatis intellexit: nihil offenſa verborum ſuperficie, ſed animata medullæ virtute. Quanquàm & verba apertam promiſsionem importent. Nondùm venit hora mea, hoc eſt, quod cupis, ſuo tempore præſtabo, Verùm ſi Maria adeò fuiſſet carnalis, atque hodiè eam plerique faciunt: certè exaſperata, animumque deſpondens, à filio & conuiuis abiiſſet. Sed viſcerum ſuorum verba probè intellexit cor maternum. Adde quòd verbis nati non poterat offendi, quæ neque ſuam, neque amicorum vanam gloriam adfectabat, ſed pia commiſeratione filio amicorum penuriam indicauit. Neque virago ſtatim affectu ſuperata, etiamſi (quod quibuſdam placet) tentata

fuit. Pro suo quisque affectu omnia, quæ legit & audit, accipit. Mariæ sensus, ea quæ sequuntur, argumentum præbent. Ministros adit, monet vt filij sui iussa exequantur. Repulsam haudquaquá se significat passam, sed magis se voti compotem declarat. Immò plusquàm petierat, de nato suo sibi certò pollicebatur. Neq; enim contendit à filio, vt aquam vino mutaret, sed certè hoc expectauit. Cæterùm, charissimi, verbũ hoc Marię. Quidquid vobis dixerit, facite, sibi dictum putent omnes, qui se Christi seruos & ancillas haberi gaudent. Duo sunt verba, quæ verborum parcissima virgo in Cana Galilęę protulit, digna quæ præcipuè ab omnibus Christifidelibus, tanquam certa Euangelij methodus, obseruentur. Primum, Vinum non habent: alterum, Quidquid vobis dixerit, facite. Illud est ad eleemosynam inuitatio, hoc ad opus misericordiæ exhortatio. Primùm commiseratio fidelis affectus requiritur, dein operis executio. Neque enim sufficit rem largiùs expendere fidelibus, sed & fidelis mentis ardentem affectum adesse oportet. Si dedero, inquit Apostolus, omnem substantiam meam pauperi, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Audistis matris verbum, audite & patris vocem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Huic voci paternæ ritè accedit verbum maternum: Quidquid vobis dixerit, facite. Habes Euangelij compendium. Si nunc & ipsum filium audire iuuat, Euangelistas ipsos habes. Vis habere summam? Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Et illud, Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata Dei. Et in hoc breuissimo verbo pendet tota lex & omnes prophetæ, Matt. 7. Luc. 10. Eia Christigena pie, per Deum te oro, ausculta Mariæ: Nihil enim, nisi quod factu & facile est & salutare, monet. Summam Mosis librorum & omnium prophetarum, è diuino planè thesauro tibi promit. Vides siquidem ipse patris cælestis vocem, matris temporalis verbum, & Christi præceptum, sibi consentire. Nolite decipi, nolite aures accõmodare meretrici blandissimæ quę dicit: Credere, esse cõsummatæ iustitię, bona opera ad rem facere nihil. Meretrix hæc ex diabolo loquitur. Filius stat à matre. Patris cælestis vox approbat

Mariæ verba in Cana dicta, sibi dicta quisque putet.

Euangelij summa.

verbum virginis Mariæ. Meretrix perperàm torquet & iugulat verbum Christi: Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Neque enim fidem, neque sacramenta rectè docet. Nam vtrobique bona opera exigun tur, vtrobique virtuti suum præmium decernitur. Filius ergò matri suæ dilectæ subscribens, subinde à suis auditoribus bona opera exigit, Mat. 5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorũ, Luc. 10. Beati eritis, si feceritis quæ præcipio vobis. Constans ista est doctrina Christi. Nusquàm aliter docet. Adeò ad bona opera suos inuitat, vt etiam patrum traditiones ob seruari velit. Matt. 23. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Item: Quodcunque dixerint vobis, facite. Ad de quòd etiam à morte rediuiuus, tale nos docuerit Euangelion. Matt. vlt. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quęcunque præcepi vobis. Ecce epilogum & colophonem, Euangelij principio respondentem. Perpende Mariam virginem veracem, & caue audias meretricem fallacem.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Obserua: hydrias dicit, & non fidelias siue culullos. Hydriam Græci deriuant ab aqua. ὕδωρ siquidem illis aquam significat. Accipitur pro situla. Est generale vocabulum vasis, aquæ deputati vsui. Nos manisternam, vrnam, & vrceum vocamus. Quod dico, ne quis vinaria fuisse, in quibus aliquid vini reliqui fuerit, putet: quanquàm hoc nemo statim faciet, quippe cùm Euangelista dixerit vinum defecisse. Exprimit item Euangelista, cui vsui ficti lia hæc vasa fuerint deputata: nempe ad purificationem Iudæorum. Vides aquaria vasa fuisse, cùm id elementum purificationi lotionis (quod in lege Mosis subindè occurrit legenti) sit creatum, vinum verò recreationi potiùs. De purificationis Iudæorum ritu legitur Marci septimo, vbi Iudæi succensuerunt Christi discipulis, illotis manibus contra ritum synagogæ comedentibus. Iudæi fermè singulis horis abluebantur. Marcus dicit Iudæos, nisi crebrò baptizentur, panem non sumere. Vulgarius legit, nisi cubitaliter lauentur. Ad-

dit Euangelista, è foro venientes se subindè lauare, præterea etiam lauare sedulò pocula, vrceos, æramenta & mensas. Hæc crebra lotio aquam requisiuit multam, & eam mundam. Humana quidem erat traditio: sed Iudæi zelo quodam maximo, quidquid id erat, obseruabant: semper ergò aquam mundam in promptu habere volebant, quod etiamnùm apud plerosque Iudæorum videmus. Denique Palæstina (vt Vulgarius ait) montana, ac per hoc inaquosa, fuit: habuerunt ergò Palæstini aqua plenas hydrias, ne quà id elementi eorum purificatoni deesset. Præterea etiam in nuptiis plus aquæ vario vsu absumi videmus. Ferenda Iudæorum consuetudo erat, nisi superstitiosè ea essent abusi, iuxta hoc quod euangelistæ Matthæus & Marcus de illis asseuerant. Politicus ritus fuit, animi munditiæ admonitio, quam Iudæi in certam iustificandi rationem, quæ sinè peccato non possit omitti, receperunt. Loti quoque, præ cæteris se mundos, etiam intùs, putabant. Sic & nostri Catharæ de sua sibi munditia plurimùm placuere. Verum est, & Mosen lotionem Iudæis præscribere Leuit. 15. 16. Deuter. 23. Verùm hanc Mosis præscriptionem longè minori studio custodiêrunt, quàm suas eas deuteroses lotionis siue baptismi frequentis. Hoc ipsum & Dominus Iudæis Matt. 15. Marc. 7. obiicit. Hydrias dicit Euangelista positas in Cana, & non in templo, addens, esse consuetudinem & non legis diuinæ præceptum. Atqui secundùm Hieremiam, Iudæi ea superstitiosa lotione coruos & æthiopes (quod nos lateres lauare dicimus) lauerunt. Diabolus omnis spurcitiei origo, Muslumanis siue Turcis lauacrum adinuentionis Iudaicæ renouat. Nos verò acquiescimus Dauidi, qui nobis verum baptismum ostendit, Psalm. 50. dicens: Adsperges me Domine hysopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Sed cæci, baptisterium hoc cernere nequeunt. Hysopi humilitatis Christi lauacrum, cuius omnes legis baptismi typus erant, regius propheta adumbrat. Hoc baptisterium qui vnicum nouit, tot hydriis opùs non habet. Et vnicũ hoc, sex illis hydriis longè præstat: quippe tantæ existens grauitatis, vt à duodecim tauris vix possit sustineri. Sed ad vrceos redeamus. Mansi-

Deutero-sin lotionis crebra Iudæi strictius custodiunt.

sternarum earum capacitatem euangelista tertiò exprimit, dicens: Capientes singulæ metretas binas aut ternas. Hebræi mensuram liquidorum vocant *Hin* siue *Log* Græcis μετρητὴς dicitur, Latinis mensura. Porrò quid mensuræ metreta sit, Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Hoc inter omnes conuenit, non heminan, nõ cyathum aut talem de minoribus aliquam esse mensuram, sed maiorem aliquanto. Describit Euangelista amplitudinem hydriarum, ne quis arbitretur pocula fuisse & calices mensarios, quibus vel bibitur vinum, vel poculis mensæ infunditur: sed iustæ magnitudinis fuisse vrnas, aquæ vsui deputatas vario. Tu iam æstima atque perpende, quanto dono nuptias Dominus cohonestauerit. Accedit huc quòd Dominus dicit: Haurite nunc, & ferte architriclino. Haurite ex tantis hydriis in cantharos eos, quibus vinum mensæ apportatur, & quibus merum scyphis & pateris mensæ infunditur. ἀντλέω siquidem significat haurio. ἐνίημι vel ἐγχέω, significat infundo. Profectò id, vndè haurire solemus, non minusculum vas est, quale hoc, quod vltrò citroque circunfertur. Adeò Christus pauperibus parcus non fuit. Tu quoque illius exemplo, qui Christi nomine censeris, da largè, da liberè & plena manu, vt tantundem, immò centiès tantundem recipias. Sequitur:

Metreta parnum genus mẽsuræ non est.

Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Mariæ verbum Christus confirmat, matrem filius honorat. Poterat Dei filius aliundè vinum creare, sed verbum Mariæ noluit frustrare. Dixit mater ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Nequidquàm hoc dixisset, & vanum verbum mulier curiosa disperdidisse visa esset, si Christus ministris nihil præcepisset. Adde quòd ex aqua vinum facere voluit, vt nostræ inseruiret infirmitati. Quis dabit viti merum, Genes. 9. Efficax verbum. Idipsum caro factum, poterat & hic ex nihilo vinum creare. Sed nostram nouit imbecillitatem, propter nos ergò factum potentiæ temperauit. Sic & ex panibus pauculis semel atque iterùm plurimam turbam pauit, qui vel ex lapidibus, immò etiam ex nihilo, panem poterat creare, vel manna è cælo pluere. Puer itidem miracula edere poterat, nisi & Iudæorum infirmi

Christus Mariæ verbũ nõ cessat.

tati pepercisset. Nam qui miracula recepissent pueri, qui adulti, facta mira partim non curârunt, signa alia atque alia postulando: partim auersabantur, dæmoniorum principi Beelzebub ea accepta referendo? Nouit æterna sapientia modum, tempus & locum suum. Vndè & iussit cæcum, vt se aquis Siloę tingeret, Ioann. 9. Surdum curaturus, sputo eius aures tetigit, Marc. 7. Vtrique sine externa re mederi potuit, illi sine aqua, huic sine sputo: sed nostræ infirmitati interim remedium adferendum duxit. Denique labi Manichæorum obuiam ire voluit. Hæresis illa externas res, tanquàm ociosas & noxias, diabolo authori tribuit. *Verbum qui omnia ab initio creauit, & bona, immò etiam valdè bona, prædicauit, suum opus nouit. Quòd verò non ipse fundit, sed alios iubet vrnas aqua implere, non hoc facit in creaturæ aquæ contemptum, sed in miraculi præsens & euidens argumentũ. Seq; Dominũ, cuius imperitare est, declarat. Summa: omnem suspicionẽ voluit abesse, miraculũ præcipuos testes, architriclinum, sponsum, ministros ipsos voluit habere. Sed miraculum nunc ipsum discutiamus.

Manichæa labes.

**Verùm.*

Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Iam secundò párent ministri Domino. Primò laborant, deindè sui laboris prẽmium recipiunt. Primò ferũt aquam, & implent vrceos: postea ex vrceis vina in cantharos, & deindè ex cãtharis in scyphos vina infundũt. Sic laborẽ sui præcepti Dominus beat: vt rũpantur ilia cucullatis erronibus, mercedẽ bonis operibus negantibus. Perfidi homines nolunt monastices aquã baiulare: expertes ergò mercedis vini perpetuò manebunt, immò ne ad nuptias quidem recipientur. Draco ille innumeras stellas cauda sua secum trahit, sui erroris consectaneos, bonis operibus merita sua denegantes. Christus noster ne hausum quidem aquæ frigidæ in sui gloriam nominis datum, suo præmio vult destitutũ. Diuitias bonitatis eius ex miraculo præsenti colligamus. Nulla vnquã apertior & clarior audita est in Dei populo trãsmutatio, nec ethnici maiorẽ metamorphosin potuerunt fingere. Aqua infunditur, & euestigiò effunditur merum. Adeò miraculũ hoc nostrũ Christon Dominũ naturæ, cui nihil deest, qui omnibus omnia prębet abundanter, decla-

rat. Verbum quod creat, recreare: & creatorem eundem esse recreatorem, miraculum hoc dilucidat. ¶ Rogas, quarè non mandârit, suum tantum donum statim apponi conuiuis? Diuina sapientia sic voluit os obstruere hostibus suis omnibus. Porci immundi, ventres impij, dicere poterant, conuiuas omnes probè potos fuisse, nec gustus sensum integrum habuisse: hoc de magistro conuiuij dicere non possunt. Vt itaque donum Dei tanti miraculi ab aqualiculis immundis extenuari non posset, vinum ex aqua factum Dominus archimagerum primum gustare voluit. Simili ratione decem viros à lepra curatos, misit ad sacerdotes, mentagræ discernendæ peritiam habentes, Luc. 17. Iterum Dionysiaci porcelli non possunt dicere, Dominum vinum ebrietati ab initio creasse, Dominumque hic pergræcationi vinum ex aqua feciſſe, ebrietatis patronum. Quod dicerent, si Dominus primo conuiuis vinum apponi mandâsset. Et quare Dominus Iesus temulentiam assereret, contra Mosen, vbique ferè sobrietatem populo Israelitico commendantem, & contra prophetas ebrietatem damnantes? Et Dominus popinationis Azotiæ patronus fuit, quarè & apostoli eam damnant? Et quare Dominus crapulam & voluptatem damnat ipse? Hac de re vide Esa. 5. Luc. 21. Rom. 13. 1. Cor. 5. &c. Quid quod secundum Hebraicam dialecton ebrietas pro saturitate non infrequenter ponitur, teste Hieronymo in quæstionibus Hebraicis? Sed contra Christon & apostolos, contra Mosen & prophetas, noui prædicatores audent huic vitio patrociniari, maximè curiales. Dicunt: Vinum lætificet cor hominis. Rectè hoc. Nam & iucunditati datum est, Eccl. 31. Sed iucunditati, non ebrietati, dicit. Mirum, lapides sanguinem non sudare Dionysiacis, tam execrabilis gulæ vitia extenuare conantibus. Certum est, ethnicos magis sobriè hac de re docuisse: quod vel ex his Horatij verbis videre possumus:

Architriclino vinũ quare degustandum delatum sit.

Vinũ ebrietati non natum.

At nè quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa, super mero
Debellata: monet Sithoniis non leuis. Euchius
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. Non ego te candide Bassareu

Inuitum quatiam, nec variis obsita frondibus
Sub diuum rapiam.

Videret Dionysia ster, quomodo contra legem nature Christum nepotandi vitio assertorem constituat. Christus aquam vino mutauit. Sequitur ergo, vino hominem se honestè ingurgitare posse? Christus vocatus ad nuptias: ergò omnium ebriosorum conuiuia, omnium diuitum & potentum pompæ, magnifici apparatus, comessationes & spectacula, culpa vacant? Perinde ergò est, in choro, an in foro agas: in orchestra sis, an in Ecclesia: in quadragesimali ieiunio & aliis ecclesiæ statis abstinentiis corpus castiges, an popinando, pauperum cruorem & sudorem in tua viscera demittas. O euangelistam? dignũ qui cum Herode & Herodiade discumbat. O Euangelium, dignum quod in aulis & caulis prædicetur omnibus. Sed heu, quãtus sudor manet eam decoctionem. Dominus Deus alios messores in messem suam mittere dignetur, Amen.

Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Non miraculi loco habendum, quare conuiuator non ministros potius, quam sponsum, de optimo vino, serius sub finem conuiuij apposito, sit percontatus. Fuit hoc miraculum, primum omnium quæ Christus edidit: & Christus tunc cum hoc faceret, minoris erat opinionis, nihilque pensi habebatur etiam in sua patria. oportuit ergò vt hoc primum miraculum ita diuulgaretur, vt authori fides adhiberetur, & omnis suspicio ab ipso miraculo lõgè esset aliena. Voluit ergo Christus non per ministros & gregem conuiuarum, sed per ipsos nuptiarum præcipuos, primo diuulgari. Neque Mariam, neque apostolos, neque item Christon ipsum, miraculum hoc promulgare decuit, cùm nemo se honestè ipsum possit prædicare. Sympostarchen primum vinum pitissare decuit, libare illum & mirari, & cum nesciret vndè nobile phalernum esset, sponsum rogare, vndenàm hoc generosum vinum, & quare hoc contra receptum ritum, in extremi-

catem conuiuij, quando palatum compotatorum & commanduconum obsurdescere soleat, reseruârit: errorè ne, an ex industria hoc factum existat. Sponsus nouitate rei & ipse perculsus, palpare mirariqúe. Hoc Christo sic visum, hoc sic sanctum, sic grauitas miraculi pondus suum sortiri. Generosissimum siquidem vinum testatur is, cuius hoc erat muneris. Deindè & ritè per eundem fit indicium, ex aqua esse vinum factum. Porro quod dicit, consuetudinem Iudæorum esse, vt ebriis vilius vinum administretur, neque hoc Dionysiacis nostratibus inseruit euangelicis, qui indè suæ petulantiæ quærunt prætextum. Nam vt taceamus, ebrietatis vocabulum etiam honestè accipi posse, & Iudæorum consuetudinem ebrietati cúprimis aduersari: dein etiam vt demus, archi triclinum ebrietatis vocabulum in nepotandi & helluandi cacoëthes patrocinium elocutum esse: non tamen crapulæ vitium ex his architriclini verbis poterit vel extenuari, vel laudari. Galilæi siquidem hominis verba sunt, non Christi neque Mariæ. In euangelion autem sunt recepta, ad miraculi testimonium, nempe hoc, ex aqua vinum plenum esse factum. Supra hoc testimonium nullum pondus habent. Euangelista fidus scriptor, historicorum more, rem ordine gestam descripsit. si quis immũdus lector mentem Euangelistę, qua veritate testimoniũ dare statuit, in mendacij acceperit patrociniũ, sui hoc capitis periculo fecerit. In Mose, Samuele, Ezra, Nehemia, & in Machabæorum libris, denique item & in ipsis euangelistis multa inuenias scripta, quæ prophani & turpiter dixerunt, & turpissimè fecerunt. Num tu ergo reproborum praua dicta & facta, in tuæ nequitiæ prætextum, ne accipere posse speras? Sed architriclini tandem verba sancta, vtpotè quæ nulla ratione vitio crapulæ adstipulentur, à simili asseramus, nempe tali: Si quispiam bonus vir tibi dixerit, Amice, quæso, caue ne lychnobius noctu, quando vulgus ebriosum & furiosum in plateis grassatur & perstrepit, deambules: Nunquid ex eius amici tui verbis hisce, ebrietatem & ebriosorum clamores, rixas & cædes iustificabis? Propicius esto tibi mi frater, te plurimum oro, animam tuam custodi, & vide vti scripturam feces. Vide nè id quod mor-

Ebrietatis patroni confutantur.

talium omnium bono in hunc mundum venit, tu tuapte prauitate depraues, atque in tuam damnationem tibi vertas. Hoc te admoneo, hoc doceo. Quin sensum eum qui vitiis pugnat, ex ethnicorum libris colligis? Vide quid Plinius de gulæ vitio memoriæ prodiderit libro decimoquarto capite vigesimosecundo. Plato crapulam execratur, quod præsertim vides lib. 1. de legibus. Et Solon decreuit principem ebriosum capite plectendum. Germani hoc præcipuè vitio exteris nationibus sumus exosi: viderint ergo nepotes, an nepotando Deo possint gratificari. Physica, corporis incommoda indè prouenire, docet: animæ, theologia. Si cui hoc vitium contra physices præcepta, corporis vnquam salubritatem peperit: nugetur theologia, quę indè animæ perniciem oriri affirmat. Si quis centesimus vnus vnquam gloriam & diuitias ex ebrietate sibi comparauit, certè mille barathrones & famę & rei iacturam fecerunt. Lupæ in cæcis fornicibus forte ab ebriosis aliquid lucelli aucupantur. In aula item ebrietatem plus gloriæ habere reor. Neque enim crediderim, sobriam puellam Herodiadis filiam saltâsse, neque item mihi persuaderi sinam, siccum & continentem virum, laruatum & personatum, quem Mommantem vocant, cubicula & gynæcea irrumpere, inque torum puellarum, immo etiam mulierum rerum experientium se coniicere, & bona (si Cupido velit) fide nuptis innuptisque condormire, nisi mentiatur Mommantum vates, eam audaciam ebrietati deputans, cùm dicit:

Ebrietatem Plinius, Plato, & alij philosophi damnant.

Dant etiam positis aditum conuiuia mensis,
Est aliquid præter vina quod indè petas.

Sed facessat hinc vates turpis, cum turpissimis aulicis Mommantibus. Nos ad Euangelion Christi filij virginis Mariæ reuertamur.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Audiat hæc, si quis audiendi aures habeat: audiat & expendat, audiat & obseruet, quorsum hoc miraculum tédat. Primo, in gloriam Dei filij, qui secundum prophetarum oracula miraculis pollens, mundo debuit innotescere. Secundo, miraculi miraculorum primitiæ editæ

sunt in fidei catholicæ fundamentum & argumentum. Moses sinè miraculorum portētis non est receptus, Exo. 4. Idem ex eorundem potentia periculum veri prophetæ sumi vult Deut. 18. Et Dominus apostolis suis virtutem edendorum miraculorum dedit Euangelium prædicaturis. Vndè & ipse per talem virtutem creditus, hoc ipsum miraculum in fundamentum nostræ fidei posuit. Baptista nullum edidit, Christus innumera. vndè & à Ioanne per miracula est discretus. Dicit ergo: Ite, renũciate Ioāni ea quæ vidistis & audistis. Tali itaq; potentia Ecclesia est orta, idola omnia demolita: denique & hæreticos S. patres tali virtute superârunt. Chærea quidã Arrianus, vel ficto miraculo suas opiniones præsumpsit perpetuare, sed confusus est. Appáret itaque leuitas nostra, qui à tam validæ traducis religione (infandum) nos patimur abduci. Fundamentum prophetarum & apostolorum Iesus Christus retributor omnis boni habendus, Hebr. 11. Ille ieiunio, eleemosynæ & orationi in abscondito factis, mercedem in cælo promittit, Matt. 6. Marc. 11. Luc. 11. Et Psal. 6. operantes iniquitatem, à se discedere iubet, Matth. 7. Luc. 6. Idem benedictos patris sui, ad portam quæ iustis patet, vocat Matth. 25. Idem denique audientem & facientem, tanquam virum sapientem, super firmam petram ædificare dicit, Matth. 7. Vides fundamentum bonum bonorum operum certum, tot miraculis positum & fultum. Qui sunt ergo noui prophetę, grex monachorum exititiorum, circuncellianorum, qui bona opera iustificandi ratione frustrant? Et quarè non spermologis illis credimus? quarè cannis leuiusculis, nulla factorum potentia claris, fidimus? Ius pontificium combusserunt, quia honestatem & continentiam clero prę-scribit, clerumque cæteris instar virtutum statuit. Nunc itaque simul damnabilis ille papatismus Vulcano addictus est, quid porro factu operæprecium? Comburendum & officium Ecclesiæ, quod etiam abrogauerunt.

Hæretici æquè atq; ethnici miraculis ecclesiæ confundũtur.

Ex more docti mystico
Seruemus hoc ieiunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater, notissimum.

Item quod sequitur:

Vtamur ergò parcius
Verbis, cibis & potibus,
Sommo, iocisque, & arctius
Perstemus in custodia.

His papisticis nugis in cinerem versis, succenturiandus ille sacer hymnus:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.

Iterùm ille:

Viuamus mea Lesbia, & amemus.

At quarè hoc? Quia Christus in Cana Galilææ primum edidit miraculum, vt comessationes, luxum, pompas aulicas, lenocinia, bigamiam, & omne voluptatum genus, vitæ æternæ non incommodare ostenderet: damnosa verò esse, virginitatem, continentiam & cœlibatum, cum omni disciplinarum genere. Sed quis cæcus non videt hic antichristum, Christi opus inuertentem? Accipiam ergo charissimi, hoc factum Christi, in argumentum & fulcimentum paternæ fidei, traducis sacræ, quæ eleemosynam, abstinentiam, orationes, & hoc genus disciplinas, nobis verè meritorias commendat: quæque castitatem coniugalem non damnat, sed cui continentiam viduitatis, & integritatem virginitatis præfert. Sanctum miraculum, validum sanæ doctrinæ argumentum. vndè & euangelista hoc ipsum statim infrà cap. 4. iterùm repetit. Qui de connubij sacramento plura nôsse desiderat, legat inter alios S. Ioannem Chrysostomum super Ephe. 6. Legat item eundem de re vxoria super 2. Thess. 3. Item ibidem de commodis vxoriis &c. Rursus contra abusus nuptiarum legat eundem super 1. Cor. 4. & super Col. 4. &c. Faxit Deus, legamus & intelligamus. Amen.

ALLEGORIA.

Cana interpretatur.

ALlegoriam quoque & ipsam nè audire pigeat. Cana tam possessionem significat, qui zelum, pro forma characterum scripta. Significat catholicam Ecclesiam, quam Christus sibi hæreditatem vendicat, neque id sinè zelo. Hic Maria & Christus cum suis discipulis: hoc est, Christus hic est, reconcilians ima summis,

gentes nimirùm patriarchis & prophetis, tam hos quam illas Deo. Hic virtus sacramentorum, & veritas doctrinę. Hydriæ significant animas & corda fidelium, quia thesaurum grandem Euangelij habemus in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei. Viderit quisque vt vas suum in sanctitate possideat. Aqua significat literam, præsertim veteris instrumenti. Ministri sunt dispensatores mysteriorum Dei, episcopi & diaconi.

Infundere aquam, est prædicare Euangelium omni creaturæ, triturare, deglumareque Dominicam messem, libros sacros diligẽter euoluendo. Infundere iubet Christus, sed ministri Christo obsequentes ardenti affectu, aquam infundunt vsque ad summum, hoc est, supererogant, & veritas promittit, omnem eam supererogationẽ sese præstituram. Vinum, est intelligentia sana, germanus scripturæ sensus, spiritus sancti ipsissima suggestio. Aqua neque odorem habet, neque saporem. Vinum ex vtroque probatur. Aqua verò prius adsit oportet: eam pneuma Christi animat, & in vinum mutat. Scriptura alias est aqua. Architriclinus significat summum pontificem, & cuiusque diœceseos præsulem, quorum est manus imponere. Hi tanquam ecclesiæ capita, de sensu nativo & genuino scripturæ habent iudicare. Nam & Moses ad sacerdotes arduas quæstiones remittit. Ebrietas, prompta est voluntas, feruor charitatis, & gaudium spiritus, quale videmus in apostolis Act. 2. Expostulat architriclinus cum sponso, sed amicè. Sic Martha Mariæ succenset, sic Paulus Petro restitit. Fraternæ hę discordiæ materno lacte sopiuntur. ¶ Christus contra vulgarem consuetudinem, optimum vinum sub finem prandij apponit. Sic & aqua frigida baptismi, regnum cœlorum auspicatur. Vetat allegoria, nè vulgi consuetudinem contra veritatem sequamur. Et sacrosanctum verbum Cypriani de pœnitentibus, huc quadrat: Nihil serum, quod est verum. Hæretici lymphati, hoc est, ebrij & non vino, peruerse primo melicraton, dein poscam siue deuteron ponunt. In confessione primò mulsum de sancta & indiuidua Trinitate prædicant: tandem aquã vinaceis imbutam, hoc est, paradoxa exotica, perperam ex scriptura sacra, cuius vinum, id est, verum sensum, Eccle-

sia bibit & posidet, torta proferunt. Admirantur sua: sed aquá sapit fatuam, quidquid effutiunt: vt in eos quadret hoc Esaiæ: Vxor tua meretrix, vinum tuũ mistum est aqua. Neque hoc abludit, Quorum finis interitus est. Contrà, ad ecclesiasticum vinum, quod in fine generosissimum est, alludit: Qui perseuerauerit vsque in finẽ hic saluus erit. Beatificamus eos qui sustinuerunt. In paucis vexati, in multis benè disponentur, reportantes fidei finem, salutem animarum. Miratur architriclinus synagogicus, miratur & synagoga Actorum secundo. Nos qui iam non in crepusculo, sed in clara luce sumus euãgelica, videmus sic diuinitus esse comparatũ, aliter fieri non p sse: calicem contumeliæ & passionis, calici gloriæ & consolationis præuium esse oportere. Christi vinum, licet primum nonnihil sit asperum, nihil tamen veneni mali habet. Syncerum est merum, mustum verum, in fine verò nectar est, hoc est, immortalitas ipsa beata. Det Deus salutare hoc mustum subausterum & idem plenum, quod vel Nohemum inebriare possit, ritè & cum gratiarum actione bibentes, dulcedinem eius subindè magis & magis percipiamus, vt & tandem æternitatis nectare fruamur, in suam ipsius gloriam, qui in sancta Trinitate trinus & vnus, viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA I. POST OCTAVAS Epiphaniæ, Ioan. 2.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, &c.

¶ SENSVS Literalis distinctio mista.

1 *Matrimonium est sacramentum, atque adeò de foro Ecclesiæ.*

2 *Matrimonij copula secundum ritum Ecclesiæ coniunctorum, meritoria est.*

3 *Maius continentium, maximum Virginum est meritum.*

¶ EXEGESIS sensus misti.

1 *Nuptiæ erant in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Quis me constituit iudicem super te & fratrem tuum? Nisi vellet Christus matrimonium Ecclesiæ iuris esse declarare, haud quaquam hisce se conuiuiis immiscuisset. Lex arguit, matrimonium pertinere ad forum spirituale. Clandestina coniugia, polygamiam, & hoc genus multa, Ecclesia suo iure prohibuit. Ecclesiæ ius vio-*

lans, peior est ethnicis, in quos facit hoc Poetæ in Paulam adulteram:

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu Paula negare.

Ecce vir est: nunquid Paula negare potes?

2 *Nuptiarum sacramentum est, matrimonij religiosam observantiam, esse meritoriam, quod plerique hæretici negauerũt, Antichristi præcursores. Nuptiarum sacramentum est magnum: non solùm propterea quod coniugalem actum à peccato vindicat, verum etiam quod coniugalem fidem & consuetudinem meritis locupletiorem subindè facit. Neque enim obliuiscitur Deus operũ bonorum per Christum factorum. Qui huius sacramenti ignorant virtutem, dicunt: Si se sic habet causa connubij, contrahere non expedit. Efficaciam eam extenuare & obnubilare, Antichristi est certum argumentum. Aqua in vinum mutata, significat actum coniugalem, fidem atque conuersationem coniugatorum, non esse prophanam, sed sanctam, Deo gratã. Vinum siquidem tam Deũ quàm homines lætificat, Iudic. 9.*

3 *Pars etiam eius sacramenti, est continentiæ & virginitatis typus. Præfertur fœcunditas mentis, fœcunditati ventris, in sententijs: alioqui infelices fuissent nuptiæ Ioſephi & Mariæ, infelix item hoc connubium, de quo statim abstraxit sponsum Christus. Denique Christus quoque pseudopropheta esset habendus, qui etiam coniugatis castimoniam persuasit, si Iouinianistæ non delirant, meritum coniugatorum & continentium vnum esse dogmatizantes.*

MYSTICI sensus articuli.

1 *Maria significat Iudæam, vndè salus: terram, vndè veritas.*

2 *Christus sponsus, Ecclesia sponsa.*

3 *Christus non merito synagogæ, sed patris gloria & suæ clementia exigente, defectum synagogæ, aqua gentium in vinum commutata, restaurauit.*

¶ EXEGESIS.

1 *Maria Iudæam significat, idque ritè iuxta hoc Cant.*

1 *Nigra sum, sed formosa. Filia Dauidis, atque adeò Iudæ sanguis, ritè Iudæam significat.*

2 *Sponsum Ecclesiæ esse Christum, vide Ephe. 4.*

3 *Aquam significare populum, vide in mysterio sanguinis & aquæ, de latere Christi profluentis. Item in mysterio, quarè in Missa aqua vino immisceatur. Architriclinus, significat archisynagogum, vel legisperitum, de gentium gratia dubitãtem, quales*

etiam fuerunt plures discipulorum in primitiua Ecclesia. Hydriæ sex lapideæ, scripturarum corticem esse durum. Infundere & effundere, significat sensum natiuum diligenter quærere. De mysterio hoc vide Bedam copiosè differentem.

¶ SECTIO sensus moralis.

1 *Maria virgo, regina cœli, primò adsit: hoc est, virgo libera à vitiis, quærenda est vxor.*

2 *Christus ad hasce nuptias vocandus cum discipulis.*

3 *In talibus nuptiis qui supererogandæ continentiæ aut virginitatis donum non habet, studeat saltem castimoniam præstare coniugalem. Minus catholicus est, qui virginitatis merito derogat, quàm qui connubio detrahit. Videmus itaque quantum euangelicas trinitates peccent, qui & Virginitatis meritum, & Coniugij sacramentum negant.*

DOMINICA QVARTA POST Natiuitatem Christi, Roma. 12.

PRAEFATIO.

NOn ab re Apostolus praxin nobis tantoperè commendat, neque loca ea praxios religionis Ecclesia identidem nobis inculcandà statuit, nisi credamus & Apostolum & Ecclesiam spiritu Dei caruisse. Quòd si tam huic, quam illi spiritussanctus defuit, nostratibus nouis euangelistis ipsum præsto esse nemo non videt. Verum si neque Apostolus, neque Ecclesia spirituſſancti expers delirauit, nouos euangelistas toto cœlo errare, quis non videat vel cæcus? Nouos euangelistas dis diapasòn à veteri nostro abesse, longè aliud Euangelion eos ab orco in supera conuexa protulisse, non obscurum est cuique, nouum hunc Paulum & Euangelion, cum veteri nostro illo S. Paulo & sacrosancto Euangelio, conferenti. Euangelium vetus nostrum, nonnè à bonis incipit operibus? nonnè iustificandi rationem illis defert? nonnè præmia illis pollicetur? Nonnè hoc caput religionis facit Christus sermonem primum, quem in monte habuit, vt à bonorum operum commendatione orsus est, vt statum totum sui Euangelij bonorum operum prædicatione peragit, vt denique suum Euangelion charitatis claudit præcepto: sic & Apostolus cùm in hac, tum in aliis epistolis principium, medium & finem, bonorum

norum operum commendatione transigit: idque sic, vt vndique bonis operibus (quatenùs non legis timore, sed spiritus sancti ductu, fiunt, atque adeò fructus sunt fidei, opus spiritus sancti, meritum incarnationis & passionis Christi referens) vim iustificandi & beandi tribuat. Charitati Christianæ, quæ Deus ipse est, eam virtutem atq; hoc ingenium seu proprietatem iustificandi atque custodiendi nusquàm denegat. Hunc Paulum, hoc Euangelion qui hodiè prædicat, is apud nouos euangelistas diabolus habetur, citiùs Turcam quàm talem doctorem laturos: indè colligi potest, quòd catholicos quoscunque sacerdotes, infidelibus omnibus, etiam perfidis Iudæis peius, odio persequuntur. Periculosa verè tempora, in quibus quod sanctum est, prophanum: & quod prophanum est, sanctum prædicatur. Viderit quisq; quos audiat ecclesiastas. Qui benè cupiunt & religiosè viuere, veterem nostrum Paulum & vetus Euangelion proculdubiò nouo præferent. Præsens lectio veteris nostri Pauli, moralis planè est. eam sic partiuntur: Primò dicunt Apostolum hic taxare pharisaismum, iactantiam putà & ostentationem, vbi dicit, Nolite prudentes esse &c. Dein alteram hypocrisios speciem, qua laborantes, præ se aspernantur alios omnes, damnat. Tertiò, ad virtutes nos alias inducit, & à vitiis absterret.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Esa. 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Pro. 3. Nolite esse sapientes apud vosmetipsos. Sed quid est quod Christus ait Mat. 10. Estote prudentes sicut serpentes? Item quòd Salomon, Pro. 8. nos sapientes esse vult? Item quòd Apostolus nos vult circunspectè ambulare, non vt insipientes, sed vt sapientes, & redimentes occasionem, quòd dies mali sint? Respondeo iuxta verba Apostoli, Esaiæ & Salomonis, nasutos eos saltem damnari, qui sibiipsis sapere videntur, de quibus item suprà idem Apostolus ait cap. 1. Qui cùm se sapientes arbitrarentur, stulti facti sunt. Consilium hic dat salutare, & 1. Cor. 3. Si quis videtur sibi sapiens esse inter vos, in hoc seculo stultus fiat, vt reddatur sapiés. Quod in eos dictum est, quos carnalis eorum sapientia remoratur, quo minùs spiritualis capaces esse possint. Cer-

Prudentes vt nos Christus velit esse cùm hoc Apostolus probibeat.

tum est scripturæ canonicæ testimonio, vitia hominis mentem dementare & prorsus excæcare: vndè & ethnicorum poetæ, homines vitiis deditos, in bestias, putà in lupos, vulpes, leones, & hoc genus feras, fingunt esse mutatos. Superbia itaque cùm omnium aliorum facinorum caput existat, quam (rogo) non cæcitatem homini ingeneret? Obserua Apostolum præsumptuosam eam sapientiam, quam arrogantiam vocare possumus, qua homo de se neque parùm neque modestè sentit, sed meliorem, quàm vt cæteris cedat, putat, suprà eadem epistola cap. 11. itidèm damnare: nostrates verò nouos euangelistas, locum eum, vt infinitos alios, perperàm transtulisse. Sic propriè reddidit Hieronymus: Noli altum sapere, sed time. Erasmus: Non efferaris animo, sed timeas: quod penè eandem habet cum Hieronymo sententiam. noui euangelistę in Germanicis suis versionibus legunt: Seyd nicht stoltz, hoc est, ne sitis superbi. Senserunt Paulum hulcus ipsorum tetigisse, nempe hæresiôn omnium occasionem, arrogantiam & sapientiam præsumptuosam. Veriti ergo vertere verbum Apostoli, altum sapere, seq; ipsos pungere, arrogantiæ vitium Germanicè Vorvoitz, nasen voeifzheit, insolentiam, tumorem, fastum &c. quod Germanicè stolizheit significat, mutauerunt. Sed nec sic iudicium Dei eludendo euadere possunt. Insolẽtes siquidem existentes hi, etiam singulares ✻ ferè volunt videri: quod propriũ est hæreticorum omnium. Sic noui Paulinistę, in veteri catholico Paulo passim dãnantur. Origenes in hunc locum dicit: Qui seipsum sapientem putat, stultus est gloriosus: neq; veram Dei sapientiã capere potest, qui stultitiã suam tanquam sapientiam admiratur. Quod si non facerẽt noui euangelistæ, nulla hodie in Ecclesia esset contentio.

Biblia perperã sunt trãslata à nouis euãgelicastris.

Nulli malum pro malo reddentes.

Sic comparatum est, vt arrogantes, etiam sint iniuriarum impatientes, immò etiam iniuriis immerentes quoscunque supprimentes. Omnis hæresis, teste Iacobo, est æmulatoria. Nullum certius hæresiôn est argumentum æmulatione. Tamen abest vt hæretici à priuato quocúque aliquid æquo animo ferant offensæ, vt etiam ipsos magnates cùm fori tum chori, non dubitent cõuiciis la-

Hæretici vitiligatores.

cessere. Quorum ipsi correptionem æquanimes perpeti debebãt, eos ipsi vltrò lacessunt. Breuiter, iuxta Psal. 34. malum pro bono reddunt, nedũ malum pro malo non reddunt. Eò peruenerũt impietatis, vt magna illis habẽda sit gratia, si quẽ ipsi non lædant. Nemo sacerdos est catholicus, qui cũ illi consuetudinem habuerunt vllam, quem hîc testem non habeã. Emplastratio sacrosancta, quæ arborem sterilem talibus fructibus fœcũdauit. Viderint catholici, nè & ipsi talis euangelij inoculatio fiãt quoslibet iniuriis afficiendo, nihil à quouis sufferendo. Paludatis nostratibus, quorum est è raptu viuere, Apostolus hîc non scripsit. plebs imbellis saltẽ hîc admonetur, nè malum pro malo reddat. Mundi dij iustitiam dicunt esse, vim vi repellere. Largè hîc regulam eam limitant, tanquã & liceat cuiuis magnati atq; potẽti, in quoscunque esse violẽtum. Sepulcra illorum, cælum eorum in æternum. Veri Dei filij, imitantur patrẽ cælestem misericordia, longanimitate, bonitate &c. Dictum hi sibi sciunt esse Pro. 20. Nè dicas, reddam malum pro malo: expecta Dominũ, & liberabit te. Item 1. Pet. 3. Nõ retaliantes malum malo, aut conuicium conuicio, sed cõtrà benedicentes. Mihi vindictam, ait Dominus. qui Domini sunt, Dominum liberatorem opperiuntur.

Bonum pro malo reddere debent etiã potentes.

Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Apostolus hic secundũ glossam interl. monet, ne etiã licita faciamus, per quæ aliquis scandalo afficiatur. Omnia mihi licent, sed nõ omnia expediũt. habenda ratio fratris infirmi, quærendũ hoc quod est ędificationis. Et hic Apostolus nouos tãgit Euãgelistas, qui inflati scientia, charitatis expertes, nihil minùs curant, quàm ædificationẽ & pacẽ. Vult Apostolus ita nos esse modestos, vt omnes nos probẽt, nemo incusẽt. Hoc ait, meditemini, hoc satagite. Apostolus respicere videtur ad hoc Christi verbum apud Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Hæc verba, Non solùm coram Deo, sed etiam, non sunt apud Græcos: sed tantùm, coram omnibus hominibus. Si quis etiã hoc quod Latina habet versio, exponere velit, erit sensus, vt etiam præcipuè quæratur gloria Dei: quod non

Licita etiam, pij omittuntur, ratione vitãdi scandali.

sit, si non habeatur ratio vitandi scandali. Latinus itaque interpres adiectione sua sensum illustrem magis reddere est conatus. Huc facit Psalm. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Locum hunc idem Apostolus etiam infert in epistola ad Cor. 2. cap. 8. Procurantes honesta non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus.

Pax cum omnibus seruanda.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quasi dicat: Nè tibi impia cogitatio subrepat, Infidelis ille est: nihil peccatur, si lædatur: Pacem cum domesticis fidei conseruato. Non sic fiat, frater, sed humanitas hominem decet. Si Iudæus quis est, non ergò statim hominem esse negaueris. Si infidelis est, in suam perniciem, etiam hosti miserendam, infidelis est. Tu qui fidem Christi profiteris, fac & Christi præceptis obsequaris. Tu filius Dei es: fac ergò & patris æterni erga omnes clementiam imiteris. Dicis indignos esse de quibus benè mereris: hoc humanæ ignauiæ tritum est verbum. Sed qui hoc potissimùm dicunt, cui benè faciant, dignum inueniunt neminem. Fac esse, indigni sint: non ergò propter aliorum indignitatem tibi committendum, vt aliquid te, quatenùs Christianus es, indignum ipse designes. Apostolus dicit, Hæreticum post admonitionem vnam atque alteram deuita. Dicis ergò, peccatum non est si proteles sæuidicis verbis, si quibuscunque pessundes iniuriis? Audiendus Apostolus, seipsum expediens 2. Thes. 3. Si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam hunc indicate, & ne commercium habeatis cum illo, vt pudore suffundatur: neque velut inimicum habeatis, sed admonete vt fratrem. Eccè tibi Minos & Rhadamante crudelis: consuetudinem, ait, non habèdam cum contumaci, neque tamen odio habendum, sed admonendum vt fratrem. Quod dicit, vt fratrem, vult ne charitatis viscera exuamus, atque hæreticum pertinacem etiam inuisum sic deuitemus, vt humanitatis illi officia non denegemus: sed ad confusionem, Aue saltè illi non dicamus. Sed quid dicimus de Iudæis & hæreticis, qui non possumus hoc persuadere potentioribus, vt charitatis fraternę officia domesticis fidei exhibeant? Sed & ipsi hoc magis trucem habebunt iudicẽ, quo inclemen-

Hæretici sine causa legitima non debẽt offendi.

tiùs se gerunt erga fratres. Potentes, ait, potenter tormenta patientur. Hic vides hæreticos tergeminum manere supplicium, qui cùm ipsi argui atque corripi debebant, ipsi alios, quorum sufferre debebant castigationes, omnigenis lacessunt iniuriis. Sic ingenio sunt apostatæ, vt eos suimet pœniteat. Mirum ergò non est, eos à quibus deficiunt, calumniari, vt vel ita suum tegant scelus. Occasionem item quærit, vt ait Seneca, qui vult discedere ab amico. Iudam Christi proditorem huiusmodi referunt homines, eius supplicia posthàc laturi. Dicis, ergò magistratus ociosè habet gladium, si hęreticorum non licet resistere intemperieiisi Iudæorum non occurrendum inuidentiis? &c. Moderatur hoc præsens suum præscriptum Apostolus, dicens: Quantùm fieri potest, quod ex vobis est. Primò Iudæi non Domini, non reges relicti sunt reliquiæ Israelis, sed captiui, serui, viliaque omnium mancipia, vel Iosepho teste. Peccat magistratus, & eorũ participat peccatis, ad vsuras & hoc genus sacrilegia illis indulgens. Dispeream si non apud euangelici nominis hæreticos nouos, Iudæi præ clero catholico plùs gratiæ habeant. Egregij reformatores Ecclesiæ, qui Paulum memoria tenent & deuorârunt totum. Municipales hi, nomine magistratus, quem Deum planè faciunt, subindè hoc ex libris Regum succinentes: Fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est: insolescunt supra modum, adeò vt quiuis consul imperatoriam sibi maiestatem vendicet simul & pontificalem. Miseri hi & miserabiles, quàm imperiosè, immò etiam malitiosè, agunt cum clero catholico? Parum est, neque hoc nunc præcipuè carpo, quòd Ecclesiæ bona inuadunt, eaque contra sacros canones suo foro subiiciunt. Intolerabile planè & execrabile facinus est, quòd officia Ecclesiæ etiam sacrosanctam Missam pro sua libidine & hæresi mutant, antiquant, damnant. Quis vnquam hoc ausus est maximorum, non dico, magnorum, imperatorum? Constans nepos Eraclij, Constantinus quintus, Leo quartus, & alij eius farinæ, pessimi extiterunt hæretici: quorum alius ædificia catholicorum demoliri, alius imagines crucifixi & diuorum in nihilum redigere, alius coronam auream Ecclesiæ quandam ca-

Hæretico rum intẽperiẽ magistratus habet compescendi ius.

Hæretici euangelici supra fidẽ insolescũt.

piti vesano suo imponere ausi fuerunt. Nullus vnquàm tantum facinus commisisse legitur, vt cęremonias Ecclesiæ sibi vel abrogandas, vel corrigendas putaret: & quiuis hodie mercator, institor, sutor, alutarius & cerdo, statim vbi imperio in municipales potiatur, se & imperatorem & pontificem esse arbitratur. Talibus cadaueros is hæreticis nisi imperator Augustus, rex Romanorũ cæteriq; reip. Christianæ principes catholici obsistant, atque eorum ausus compescant, prævaricãtur. Episcopi item & sacerdos quicunq; catholici, hæreticos, quatenùs homines sunt, ferãt: sed vbi hęresio dissimulauerint, nec pro viribus scribendo, prædicando, disputando, & omni diligentia adnitãtur eradicare, suis partibus malè respondent. Ambrosius dispensatorem mysteriorum Dei strenuum egit, qui neglexit patrimonium suum, dicens: Si patrimonium petis, rape: sed Ecclesiæ regendæ ius, ne in minimo quidem apiculo tradidit, ne imperatori quidem, dicens: Ecclesiæ ius non tradam. Hic & priuatus quisque humanitati religionem, consuetudini carnali amicitiam, quæ nobis cũ Deo est, pietati erga proximos, pietatem erga Deum & cultum præferre habet diuinũ. Hæc omnia vult Apostolus, cùm dicit: Si fieri potest, & quantùm in vobis est. Similia dicit ad Heb. 12. Pacem sectemini cum omnibus. Itidèm submonet 1. Thess. 5.

Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus Libido vlciscendi se, diabolicum planè est tentamentum. Nulla nostræ religionis præsentior est pestis, atque est Nemesis illa, siue Diræ atque infernales furiæ, vindictæ eius incitatrices. Nemo tam alienus est à Christi regno, atque is qui importunorum vlciscitur iniurias. Et quomodò non absint longissimè ab ecclesia, sese vlciscentes, cùm etiam in omnes leges, etiam naturæ, peccent? Nónne natura omnibus feris arma sua ingenerat, rostra, vngues, vngulas, dentium varia genera, virus, ignes etiam? Nónne videndo aliæ bestiæ occidunt homines, aliæ tangendo enecant? Solus homo nascitur inermis, sed rationalis: vt meminerit, non violentia, sed ratione omnia sibi transigenda. Viderint equites nostrates nobilistæ siue nobilistastræ, cuius

Vlisci se christian' nõ debet.

sint: Christi ne, an diaboli. Dicunt suæ esse conditionis, nihil à quouis sufferre, omnes vltro lacessere, omnem iniuriam vlcisci. Adeo putant sui ordinis esse, prædari, regias vias insidiis funestare, vehes merciũ auferre, & quoslibet viatores spoliare, vt indè etiam sese egregiam famam sibi parare posse confidant. Quid hominibus illis & Christo? Quid nobilitati illi & religioni Christianæ? Quid ordini illi & Ecclesiæ? Christus personam crucis hic in terra retulit: religionis sacræ symbolon est crux. Ecclesia Christi nullam aliam, præter Christi crucem, nouit gloriam. Qui Christi est, siue is imperator sit, siue infimatum minimus, nôrit sibi dictum, Non temetipsum defendas. Hoc nobis dictum est, qui precio, puta precioſi sanguinis Christi, sumus redempti, atque adeo Christi serui & debitores. Nostrum ergo erit obaudire Psalmo quarto. Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Date locum iræ, ait Apostolus, quod est, succensendi locum cedite Deo. Date Deo locum iræ. Sic interpretantur hunc locum Chrysostomus & Theophylactus. Et hoc quod sequitur, sensum eum poscere videtur, Mihi vindictam. Meminerimus qui Christi sumus, verborum Christi & Apostolorum, immo etiam Mosis & omnium prophetarum, qui Deo omnem vindictam referunt acceptam, & nos eius protectionem sperare volunt. Nos populus eius, ipse protector noster. Dei protectionem & auxilium abnegamus, quoties impatientes in persecutionibus, nosipsos vindicamus. Et qui sumus nos? quæ est nostra virtus? Nonne puluis sumus & vmbra? Quin ergo omnipotenti fragiles & imbecilles nostram vindictam Deo deferimus? Inimico plus commodamus, quam incommodamus, quoties in pœnas imus, supplicia de inimicis nostris sumendo. Exempli causa: Lapide (vt Origenes ait) nos petiit, saxo nos referimus. Famam nostram læsit, conuiciorum in nos plaustra congerendo: nos genuinum infigendo dentem, occinimus, oblatramus, atque remordemus. Quid vero istac nostra perficimus ira? Nónne sic vel æmulos oblectamus & pascimus, qui si viderent se à nobis contemni, protinus ira emorerentur. Quanto sa-

Potentes etiam iniurias suas vlcisci non debẽt.

Vlciscẽtes seipsos Dei protectionẽ excutiunt.

tius igitur esset, nos sus q; deque ferre, & Domino Deo omnem vlciscendi nos locum deferre, qui non lapides & verba, sed æternum ignem, quo fontes & violentos puniat, habet? Ego retribuam, ait Apostolus, & adducit scripturam, vt maiori maiestatis nobis persuadeat pondere. Deut. 32. Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Ibidem: Vndictam tribuet in hostes eorum & propicius erit terrę populi sui. Item ca. 32. * 10. Mea est vindicta, ego retribuam. Dicit suum esse vlciscì. quę malum, ergo nostra temeritas, qui nobis Dei munia arrogamus, puluis & vmbra? Prohibuit libidinem vlciscendi Leui. 19. Esa. 1. & 47. Temeritas itaque preuaricatione legis damnabilior fit, quoties lacessiti iniuriis, nos ipsos vlciscimur. Nemo qui violentiis depressus est, dicat: Nescit Deus quid mecum iam agatur. audiat Psal. 78. Apocalypsis sexto, decimonono, peccatum violentiæ in cælum clamitare. Audiat item & Christum, dicentem: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Quid nunc porro cupias? Potens est, omnia videt & audit, nostram iniuriam sentit. Denique & suum solius est, in fontes animaduertere. Deferamus ergò illi, demus illi quod suum est, non inuideamus illi suam maiestatem: quod nisi fecerimus, bis nos reos constituemus, & nihil etiam irati efficiemus, muscis & culicibus magis impotentes.

Sed & si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.

Legẽ fides præsta repossunt,

Longè alia nobis præscribit Christus, quam legislatores veteres illi philosophi. Neque item nostra religio consentit barbariei Turcicæ alcoranisticæ. Et vt demus nostram legem supra naturam esse, nunquam tamen dicemus esse citra vel contra. Dicis: Quis præstabit grandem eam charitatis legem? Respondeo, Christiani spiritus dulcedine imbuti. Spiritus dulcedinem non sapis, si bouinaris, si oblatras & mordes. Dicis: Quem ego nunquam læsi, eius ego feram cõtumelias? Christum attende innocentem cruci affixum, vtique vt hoc tu imiteris exemplum. Et quæ gloria Christiano, si fur & adulter ad supplicia rapiatur? Inuenias contumaces qui ausint dicere: Prius perpetiar æternam damnationem, quam hoc fa-

ciam. O horrenda verba. O pseudochristianorum damnationem grauissimam. Nullus Agarenus sui Alcorani præcepta adeo contemptui habet. Lex nostra de benefaciendo inimicis nostris, est naturalissima. Euclides à fratre suo valdè exasperatus, potuit iram omnem ponere, & omnis iniuriæ obliuisci, fratris vnico blandi verbo delinitus. Nos hoc nobis impossibile esse blasphemamus. Legimus item philosophos amicos factos discordes, & quendam, alterum illorum exibilasse atque dixisse, Vbi est iam vestra amicitia? Respondisse vero philosophum: Amicitia nostra iam est sopita, ego vero mox ipsam excitauero. Atque hoc paulopost reconciliatorio verbo & ratione effeciſſe. Mirum quam ethnici odium execrentur. Aiunt: Iram esse furorem, Aiacem ira in insaniam esse agitatum. Naso & post eum Seneca aiũt, Iram in faciem etiam exire. Dicũt ergo alij, Multis iratis profuisse, adspexisse speculum. Denique etiam aiunt, vocem Vltio, inhumanam esse. Quare ergò nos quoque philosophando speculum euangelicum non adspicimus, vt vltus truculentos ponamus? Ad speculum pertinet: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis, Matth. 7. Marc. 4. Et hoc Petr. 1. cap. 4. Iustus vix saluabitur, impius vero vbi manebit? Videtur hoc dixisse in eos qui talia effutiunt. Iterum dicis: Supra nos est, non possumus tali ac tanto præscripto esse pares. Respondeo, Spiritum Dei quem accepimus, fortiorem esse spiritus huius mũdi. Hieronymus dicit, in Dei mandatis non tam hoc quod præcipitur, quam eum qui præcipit, esse æstimandum. Fortis vt mors dilectio. Si spiritus sanctus diffusus est in corda nostra, quid vetabit, quo minus per ipsum spiritum, hominem (quod etiam natura iubet) amemus, etiam inimicum? Nam homo esse non desinit, tametsi hostis esse incipiat. Quod si inimico officiosus extiteris, nunquid tu primus hoc feceris? nunquid id vltimus feceris? An non & antea hoc ipsum multi fecerunt? an non & post te multi hoc præstabunt? Immo quis vere Christianus hoc non fecit? Quod si oculus tuus nequam, hic Apostoli verbum sugillat, ergo statim hallucinatus credendus Apostolus? Sed non hallucinatur, cui veritas ipsa adstipulatur. Vide quid Christus dicat

Præcepta non tã cõsideranda, quam legislator.

Matth.5. Luc.6. Iterum dicis : Quid demum fiet, si hoc ipsum præstitero? Nónne malos præfractos facio ? Nónne fomentum & alimentum malitiæ præstitero ? Sic solet ratio humana omnia Dei iudicia notare. Sed quid per Deum ex verbo Dei mali poterit prouenire, ritè obseruato ? Si oculus humanus est nequam, non ergò statim nequitiæ insimulandus Dominus Deus. Solem suum facit oriri etiam super hostes suos Deus. Nunquid hoc facit vt fiant contumaciores? Tam homo Dei parens prescripto, non peccant, quam ipse Deus, qui non solum præcipit, sed & exemplo nobis etiam erga reprobos humanitatem commendat: atque ad hoc facit id, quod hic sequitur: Hoc faciens, prunas capiti hostis tui infuderis. Bifariam hoc intelligunt. Primo, efficies eius damnationem grauiorem. Theophylactus hic dicit : Benemerere de inimico, & sic Deus cuius omne est iudicium, iniuriam qua te obruit, districtius iudicabit. Ambrosius post Chrysostomum vult, sensum Apostoli præscriptum, etiam Salomonis parabolæ esse, officiis humanitatis erga hostes, nos eorum culpas facere graviores. Ambrosij verba sunt: Obsequia nostra proficient illis ad pœnam. Origenes & post illum Hieronymus, & plerique alij catholici, in hunc sensum alludunt, dicentes, tanto nos pœnas hostium nostrorum aggrauare, quanto æquanimiores in sufferendis eorum iniuriis sumus. Secundo, sensus est: Efficies vt ad se redeat, velit nolit, quod in Euangelio sibi vult, Compelle intrare. Non debet aliquis cogi violentia, sed indulgentia Metaphorica locutio, congerere prunas in alicuius caput. Metaphoræ virtus est officium humanitatis. Primus sensus textui magis consentit. Secundus ex tropo fit magis venustus. Vterque sanctus, vterque ergo amplectendus. Afficiamus ergo etiam hostes nostros charitatis officiis, quæ honorem vocant. Aut enim indè compungentur, aut indurabuntur: quorum hoc ad eius qui de hostibus benemeretur, meriti cedet auctum: illud ad eius qui lædit, & in crudelitate læsi officiis obstinatior redditur, supplicij cedet degrauationem: vt vera soraismus rhetorum, hic in Apostoli verbis locum habeat. Sanctus Hieronymus in Prou.25. item ad Hedibiam, vbi hunc locum citando explicat,

Patientia tam homo non potest peccare quã Deus

Patientia nostra cul pa tyrannorũ aggrauatur.

Patientia victrix tyrannorũ.

dicit: Malitiam eorũ noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam. Atque huc Eſa. cap. 6. vbi & propheta quoquè ipſe de prunis ignitis agit, citat. Sed nónne pulchrum & iucundum, quod Apoſtolus quoque ipſe hoc loco tanta diligentia ſcripturam adducit? Facit autem hoc primo, vt perſuadeat nobis, præceptum hoc parui momenti non eſſe: ſecundo, vt præcones & doctores Euangelij, exemplum indè petant ſcripturæ crebro adducendæ. Poterat Apoſtolus ipſe, quatenus vas electionis conſtitutus, & quatenus gentibus doctor & deſignatus erat, ſua authoritate quiduis adfirmare: ſed noluit ſuperbiæ hęreticorum exemplum dare. Obſeruârunt plerique his noſtris temporibus hęreſiarchan quendam eò deueniſſe vecordiæ, vt etiam ſcripturam canonicam ſit adducere dedignatus: quaſi eius verba omnia, tanquam purum Dei verbum, omnibus ſint adoranda. Accedit, quod & ſuum Euangelion, doctrinam fidei vocare auſus fuerit. Tradidit hominem Deus in talem fœdam & execrabilem audaciam, quo minus læderet, quo eius veſania omnibus manifeſtior fieret. Hic ſi noſtra peruerſitas ſapere & ſibi proſpicere non vult, grauiori tandem culpa damnabitur. Apoſtoli interim humilitas perpetuo encomio celebrabitur, qui nihil citra ſcripturam docere voluit. Nec vnus ſaltem huc quadrat ſcripturæ locus. Vide Pro. 3. 20. 25. Deut. 10. 32. &c.

Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Vinci à malo, eſt ſeſe ſtatim exaſperari permittere. Vincere bono malum, eſt omnia æquo animo ferre. Alterum Apoſtolus prohibet, alterum præſcribit. Supra ſcripturæ fundamẽtum iecit. Huc mentis oculi ſunt infigendi. Scriptura ſiquidem ſcutum eſt, quo ignita iacula hoſtis repelluntur. Scuto hoc niſi munitus fueris, occidiſti. Diaboli item mancipium eſt, qui mundum ſectatur, & qui ſuæ gloriæ eſt ſtitor. Qui ſuæ ſaluti conſultum cupit, mundi iudicio, etiam proprio damnato, Apoſtolum Chriſti audiat. Verbum Apoſtoli tanquam aureum & vitale prouerbium, ſemper ob oculos habeat, aureis literis cordi ſuo inſcribat: ſic enim fiet, vt malum bono vincat. Hoc ipſum vt præſtemus, faxit Deus, Amen.

POSTIL. VVICEL. SVP. EVAN. EADEM DOMINICA QVARTA post Natiuitatẽ Christi, Euangelium Matth. 8.

CVm autem descendisset (Iesus) de monte, secutæ sunt eũ turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. &c.

INDVCTIO.

DVo exempla Christi potentiæ, ex Matthæo vnà Ecclesia nobis proponit, quemadmodum & cætera omnia, cùm iucunda, tum sacrosancta. Alterum curati leprosi, alterum sanati paralytici. Vtrobique Christi diuinitatis gloria relucet. Vterque siquidem morbus humano auxilio & ope maior est. Sancta ergò fides nostra, certum, quo sustentetur, habet fundamentum. Benè nobis, quibus indignis peccatoribus tanta contigit felicitas. Quis non compatiatur vel adamantini cordis homo, infelicitati eorum, quibus Christus necdum illuxit? Verùm nos viderimus, vt hæc exempla atque adeò fidẽ Iesu Christi, rite ad suum finem, beatitudinis nimirùm, acceperimus. Nunc textum euangelicæ lectionis videamus.

Cum autem descendisset (Iesus) de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Suprà cap. 5. dicit Euangelista, Christum ascendisse in montem, vndè eum nunc descendisse dicit. In monte sedebat docens. hic in plano stans, manum suam extendit ad opus. Ascendit ad docendum, descendit ad operandum. à verbo ad opus venit. pulchrè alterum ab altero pendet. Quid verò in monte præceperit, sanctus Matthæus à quinto capite vsque ad præsens octauum persequitur. Et verè salutare esset, eam cælestem philosophiam, quam æterna sapientia huic mundo primùm denunciauit, cuique homini præcipuè & speciatim esse commendatam. Deberemus profectò eas primitias concionum Christi, catechismis & enchiridiis omnibus catholicis inserere, seorsum scribere, literis stanneis excudere, & quotannis priuatim è suggestis plebi Dominicę denunciare. Nam & hoc in primitiua ecclesia factum, liquido videmus ex libello diui Augustini, cui nomen in didit, Sermo Domini in monte. Sermonem eum Dominicum apud Matthæum tribus capitibus, quinto nimi-

Sermo Christi in monte factus, cuius cõmẽdatus esse debet.

rum,ſexto & ſeptimo, conſcriptum,diuus Auguſtinus iuſto lib. expoſuit:dignus ſanè ille liber,qui Germanicè verſus,omnibus, pro nugis, quibus hodie ſeſe multi addicunt,legatur.Sed quæ hęc tempora ſunt, qui huius tempeſtatis mores,vereor me hoc nequidquam optare. Scopus ſermonis primi Ieſu Chriſti,eſt. Bona opera nõ eſſe peccaminoſa & mortis æternæ meritoria, ſed Deo gratum ſacrificium, iuſtitiam fidei abſoluentia, augentiaque.Hoc quod diuus Iacobus contra hęreticos eos, qui tum S.Pauli epiſtolas(quod & S. Petrus factum teſtatur) perperam, tanquam bona opera fidelium nihil apud Deum penſi habeantur, acceperunt, doceat,grauiſsimiſque argumentis hæreſim eam confutet, à nouis prædicantibus ſtramentitius author exploditur. Sic & preſens ſermo Chriſti, præter orationem Dominicam, quæ & illi ſermoni inſerta eſt, cum epiſtola S. Iacobi, ſtramentitius & papiſticus nouellis dogmatiſtis non haberi non poteſt. Quàm potens Deus & clemens? Vitiligatores ſpiritu maligno correpti, huius tragœdiæ authores, certo Dei iudicio ſuam hæreſim craſsimè omnibus prodiderunt. Quis enim non videat phanaticos eſſe homines, qui tantam epiſtolam verè propheticam, apoſtolicam & euangelicam, planéque diuinam, auſint tanquam fatuam ab apoſtolicis ſcriptis ſeparare? Inſania iſtæc debebat cuiuis catholici animum,ad maiorem huius Chriſti ſermonis & epiſtolæ S. Iacobi amorem,accendere. Cęterùm, quatenus anguis antiquus lubricus eſt,& eius geninen verſipelle, ſophiſmatis & fuco troporum homines ſolet tanquam preſtigiis dementare: cumprimis neceſſarium eſt, vt homo magiſtellis illis nouis aures ſuas claudat,certo doctore catholico in ſermonis eius & S. Iacobi epiſtolæ explanatione vtatur, ſermoníſque eius & epiſtolę catholicum ſenſum,tanquam præſens antidotum contra omnes hæreticorum adſpergines & aconitum ſemper habeat in promptu.Sed nunc ad Euangeliſtam. A concione ea in monte habita deſcendit Chriſtus,& magna caterua cum eo.Turbam numeroſam eam intellige,de qua ſuprà cap. 4. Secutę ſunt eum turbæ multæ de Galilæa & decapoli,& de Hieruſalem, & de trans Iordanem. Item cap. 5. Videns autem

Epiſtola S. Iacobi nõ eſt ſtramentitia.

Iesus turbas, assendit in montem. Turbam sic decuit ascendere auditu ad contemplatiuam vitam, rursum descendere factis ad actiuam. Exẽplum vtriusque est Christus, qui haudquaquam in monte mansit, sed suo tempore etiam ad opus descendit. Rogas, ad quod opus nobis sit descendendum? Hoc ipsum ad opus, quod nobis in monte Christus præscripsit. Theosebiam absolutam, in factis docuit esse sitam. Doctrinæ itaque illi statim facta addidit, vt eusebiæ eius exemplum nobis iuxta atque documentum, relinqueret. Huc facit peroratio eius sermonis, quæ sic habet cap. 7. Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ędificauit domum suam supra firmam petram. Habes hic epilogum & Christi doctrinę summam: nempe pietatem facto exornandam, augendam & absoluendam. Tempus est audiendi, tempus est etiam operandi. Exemplum aliud illustre Christi habetis Ioan. 13. Huc faciunt Apostoli verba Ro. 2. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Opus nunc Christi pensiculatè discutiamus.

Theosebia facta absoluta est sita.

Et ecce leprosus veniens, adorauit eũ, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Attende occasionem boni operis nobis semper adesse. Pauperes semper habebitis vobiscum, inquit. Homo mentagra infectus, & hic prodit commodè, quippe in quo Christus verus Deus & homo, Dominus & magister noster declararetur. Per potentiam Deus, per compassionem homo per documentum & exemplum quod nobis præbuit, Dominus & magister. Venit itaque commodum homo leprosus. Venit, quia tali medico illi opus erat, cui humana præsidia mederi non poterant. Vtinam & nos tandem malorum nostrorum benè conscij, veniamus. Et adorans eum. Adorando, numem in Christo se credere declarat. Marcus expressius dicit, eum ad genua prouolutum, Christon adorâsse, cap. 1. Lucas adhuc significantius dicit, eum in faciem suam coram Christo prostratum. Quàm timeo etiam hanc piam humiliationem leprosi, diligenter adeò ab Euangelistis memoriæ commendatam, nostratibus in risus materiam abituram. Sed huiusmodi externę humiliationes, interni affectus indicia, damnandæ non sunt.

Orationis feruor obnixæ, ineffabile voti desiderium, desiderij fiducia viuax, fiduciæ lætissimæ author Christus, resultantes in vno corde simul, huiusmodi inclinationes & erectiones aliter & aliter, quod experti nôrunt, efficiunt. Et nisi nos penitus potenti manui Dei submiseri-mus, in manifestatione eius gloriæ nunquam erigemur. *Orationis feruor ceremonias suas secũ adfert & gignit.*

Hic leprosus certè citra omnem hypocrisim se Christo prostrauit, vndè & meruit à Christo mirificè exaltari. Prostrauit se, quia non solùm (quod Lucas ait) leprosus erat, sed & fœdissima plenus impetigine. Tandem & voce testatur se nullo vti fuco. Christum Dominum vocat eum putà, cui omnes hominum cogitationes sunt manifestæ. Ad verbum Marcus & Lucas eius orationẽ ità describunt, nisi quòd ille nomen Domini (quod alioqui in ipsa oratione compræhenditur) omittit. Superfluè enim & ociosè videretur Domino supplicare, nisi eum talé sotera crederet, qui omnia posset. Adde quod orãs dicit, Si vis, potes. Hic & apud Lucá Domini vocabulũ præmittitur. Conuenit nomen & oratio externæ humiliationi: abest fictio, adest deuotio. Exterius quidem homo lepra laborabat, sed non impurus interius in anima, quam purificauit fides syncera. Et si altera carendum esset homini munditia, quis non mâlit internam externę præferre? Corporis quidem puritas etiam à Deo petenda est, sed animæ lepra non negligenda. Homo hic interius instàr stellæ rutilans, Christum solé iustitię agnoscens, eum suo vocauit nomine, Dominum appellans. Dominus enim nomẽ eius, Amos. 9, Si vis, ait, potes me mundare. Q. d. Corporis morbus omnibus mortalibus abominandus, me quidé atrocissimè infestat: sed nescit homo, quæ sibi verè, quantum ad veram beatitudinem, commodent: tuę ergo potentię, tuæ sapientiæ, tuæ denique bonitati me totum committo. Credo te posse quidquid velis, velle quidquid prosit. Attende: non dicit, Si Deum pro me interpreceris, intercessione tua mundabor. Nec item dicit: Munda me. Sed omnipotentem, sapientem & clementem, qui ea quæ homini prosint, & possit & nôrit & velit, fatetur. Confunduntur hic præsumptuosi nostrates Israeles, qui imperiosè quodammodo Deum orant. Dominus est Deus, timendus ergo est:

nec in oratione aliter, quam humilitate ſuperatur. Hoc eſt quod & nos docuit orare, fiat voluntas tua, Matth. 6. Sic diſcipuli dixerunt, Fiat voluntas Domini, Act. 21. Et ſaluator ipſe dicit: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ad hunc modum niſi ſeſe homo Domino Deo humiliauerit, nequidquã ſibi de fide & fiducia in Deum ſupplaudit. Attende iterum fidem leproſi. Chriſtum omnia ſcire & poſſe fatetur, Deum verum & verum hominem ſeſe Chriſton credere declarans. Deo enim ſoli omnia ſunt poſsibilia, Matth. 19. Luc. 18. Solus & ille omnia nouit, 3. Reg. 8. Daniel. 13. Hæc pietas humilima, virtus eſt ea, qua Iſrael cum angelo luctabatur. Similem ferè habe us de Conſtantino leproſo, abhorrenti facinus ſacerdotum ethnicorum, infantibus innumeris necẽ parantium, vt in eorum cruore rex ſeſe lauans, à lepra mundaretur. Crudelitatem eam cùm rex deteſtaretur, dignatus eſt eum Dominus ad lauacrũ recipere baptiſini: vbi quum ſancti Syluestri Papæ miniſterio tingeretur, ab elephantiaſi corporis & animæ eſt mundatus. Videamus nunc porrò affectum orationis leproſi.

Oratio humilis, cælũ penetrat.

Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Auditis fratres, quid poſsit oratio fidei humiliantis ſe? Nè dubitemus: nam & nos exorabimus, modò ex vera fide, humiliter oremus. Oratio humiliantis ſe, nubes penetrat, Eccleſiaſtici, trigeſimo quinto. Porrò vt etiam videamus leproſi orationem non inconditam, viſum diuinæ ſapientiæ, vt ad omnia eius orationis verba reſponderet. Leproſus ait, Si vis: Dominus reſpondet, Volo. Ille. Potes me mundare: hic ait, Mundare καθαρίσαι Græcè. *Hittaher* Hebraicè, ſignificat, Eſto mundus. Obſerua verba Chriſti: Volo, Mundare. Bonam Chriſti erga nos voluntatem attende, nutus diuini virtutẽ æſtima. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra. Vtrunque ſcire nos vult, vndè vtrunque exprimit. Quod dicit, θέλω, id eſt, Volo, tam leproſi orationem, quàm ſuam voluntatem, vult nobis commendatam. Niſi enim dixiſſet, Volo: poterat quis ſuſpicari, leproſum futiliter orâſſe, Si vis. Dein quòd dicit, Volo, ſubmonet ſe ſemper paratũ nobis adeſſe, & ſimul ſpem nobis ingenerat. Et Dauid

in hunc

in hunc ſenſum dicit Pſalmo 36. Spera in eum, & ipſe faciet. Saltem vt à peccatis abſtineamus, monet Ieſus Sirac capite 38. Quod tandèm fuerit ſecundùm eius voluntatem orare, 1. Ioannis 5. 1. Timoth. 2. Matt. 23. Iaco. 1. Obſeruandum & hoc quòd Marcus primò dicit Ieſum miſertum eſſe leproſi, exprimens internam clementiam ſiue affectum, quem ſequitur extenſio manus, tactus & cura, hoc eſt, effectus & externa commiſeratio. Poterat Dominus ſine tactu & manuum extenſione curare, ſed ſic voluit primò ſuum affectum declarare, vt verus Deus vtrobique diſnoſceretur. Deitas incircunſcripta, extenſionem & retractionem de ſe non patitur prędicare: humanitas per huiuſmodi molimina periclitatur. Nã, quod Lucretius ait, Tangere & tangi nulla res, niſi corpus, poteſt. Illa poteſt ſaluare, hæc tactum tanquàm ſalutis medium accommodare. Dein extendere manum & tangere voluit, vt relinqueret nobis exemplum, ne quà carnem noſtram deſpexerimus, Eſaię 58. Tertiò ſubmonet, fidem ſine operibus mortuam eſſe. Manus, ferè in ſcriptura opus ſignificat. Volo, dicit: docens, ex prompto affectu opus profluere oportere. Denique tangit leproſum, ſeſe Dominum legis oſtendens. Moſes lege vetuit, ne quis leproſum tangeret, Leuit. 13. Dominus verò hic (vt Chryſoſtomo placet) voluit manifeſtare, ſe legi nihil debere: ſed fontem eſſe lympidiſsimum, in quo qui lotus fuerit, illi omnia eſſe munda. Theophylactus addit, Chriſti carnem eſſe ſanctam, & ſanctificandi habere virtutem. Heliſęus non fuit auſus Naaman leproſum attingere, quia legis fuit ſeruus, 4. Regum 5. Moſes quoque fidelis ſeruus in domo Dei, nullum imperium ſibi in Dominũ ſuum arrogauit. vndè & nobis quatenùs Chriſti ſumus, non dominatur. Rom. 7. Qui hic leproſum tangit, finis eſt legis ad iuſtitiã omnibus credentibus, Rom. 10. Huc facit ferè tota epiſtola ad Galat. Sic & leproſus fidei puritate corporis munditiem meruit. Verùm & nunc audiamus, quid Dominus mundato à lepra præſcripſerit.

Carnem ſuam homo ne deſpiciat.

Et ait illi Ieſus: Vide ne cui dixeris: ſed vade, & oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moſes, in teſtimonium illis. Notate chariſsimi, Chriſtum leproſo etiam fide ſua

Præscripsit aliquid Christus leproso curato.

mundato, aliquid præscribere, ne vobis imponant nou prædicatores, dicentes, Christon pro nobis satisfeciſſe, nec bona nostra curare, sed nudam fidem inspicere. Verè credentes, etiam ab accepta beneficentia & spei certitudine bonis operibus pręcipuè intendunt, aratro Dominico manum admouendo. Ne igitur ociosæ fidei, iustitiæ summam referamus acceptam: audiamus quidnam Dominus leproso mundato præcipiat. Primò vetat, ne cui tantum beneficium & suam sanitatem prędicet. Christus siquidem, quatenùs homo, noluit beneficia erga miseros sua decantari, id quod & nobis suprà capit. 6. sermone in monte, præscribit. Vndè & Lucę 8. archisynagogo, cuius filiam à morte excitauit, præcepit, nè cui id diceret. Humanum applausum & auram popularem, quâ fugitandam omnibus docuit, ipse cum primis fugit: sed nec Deum sua gloria voluit defraudari. Lucæ itaque 18. commendat alienigenam à lepra mundatum, redeuntem, & dantem gloriam Deo. Item Lucę octauo, homini, quem à diaboli infestatione liberauit, ait: Redi in domum tuam, & narra quæcunque fecerit tibi Deus. Obserua verba. Non dicit, quæcunque feci tibi: sed, quæcunque fecerit tibi Deus. Sic & Matt. 11. non dicit Ioannis discipulis, Cæcis visum reddo, mutos loqui facio, &c. sed, Cæci vident, muti loquuntur, surdi audiunt, &c. Nam quanquàm ipse hæc miracula ederet, voluit tamen nobis relinquere salutaria humilitatis documenta. Voluit seipsum humiliare, & à patre suo exaltari, Philip. 2. Modestiæ hic documentum habemus, simul & exemplum. Nihil absurdum magister veritatis nos docet. Nam, per Deum: oro, quid habuit leprosus, vndè se efferret? Alibi quoque veritas dicit: Vade, & iam amplius noli peccare, ne tibi quid deterius eueniat. Sic & hic modestiam hominis commendat. Et nobis dicit Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæcunque præcepta sunt vobis, dicite: Inutiles serui sumus. Hæretici hic dicerent, quoniam inutilia sunt opera bona. Noluit item Iesus, vt ipse leprosus suam prædicaret sanitatem, quia hoc contra legem esset. Nemo suus iudex esse potest. Vult ergò mundatum iudicibus se ostendere legitimis. Vndè sicut suprà vetuit, nè cui diceret: sic nunc mandat, vt se facer-

Iactantiæ vitium cauendum.

dotum iudicio sistat. Confessionis auricularis (quam sic vocant Vuicleffistæ) hic vides adumbrationem. Exomologesis eius typus fuit lex, quæ iudicium lepræ & lepræ sacerdotibus defert, Leuitici 14. Charitas vestra tertium præceptum leproso à Domino datum, audire fortassis grauatur, sciens historiam centurionis adhuc superesse expediendam. Breuitatis itaque gratia præceptum hoc tertium, de oblatione nimirùm, in aliud tempus reseruantes, nunc saltem indicabimus, quid sibi velit hoc verbum, in testimonium illis. Dominus Iesus nouerat, quid in homine esset, Ioannis 2. Nouit supercilium pharisaicum, nempe hoc quod Ioanni dixerunt: Quare baptizas, si tu non es Christus? & quo dixerunt, In qua potestate facis hæc? Ne ergò posteà cùm ad ipsos dicturus erat, Quis ex vobis arguit me de peccato? dicere possent, leprosos attrectasti, & immundus consuetudini nostræ te ingessisti: iubet leprosum adire sacerdotes, munusque suum dare, in testimonium contra illos. Pondus habet hęc adiectio. Hoc ipsum posteà contra schismaticos & superstitiosulos sacerdotes differendum nobis veniet. In suum ergò locum id ipsum reseruantes, ad sequentia ibimus.

Confessionis auricularis adumbratio.

DOMINICA II. POST OCTAVAS Epiphaniæ, Matt. 8.

Cum descendisset Iesus de monte, secutæ, &c.

¶ SENSVS literalis partitio.

1 *Christum* [redacted] *vt doceret, & doctrinam miraculis confirmaret.*

2 *Vt in ipsum credatur, & illi obediatur.*

3 *Eam fidem obedientem, cuius effectus est charitas, humilitas, & prudentia, &c. saluare.*

¶ EXEGESIS.

1 *Cùm descendisset Iesus de monte, &c. In monte docuit, post sermonem benè longum descendit de monte ad opera misericordiæ, se nostræ attemperans infirmitati. Iudæi signa requirebant: illorum inserviens infirmitati, descendit de monte, hoc est, theoriæ subdidit praxin. Descendens de monte, curat leprosum cum seruo centurionis & alios ordine, quia ad hoc missus, Esai. 53.*

2 *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio &c. Fides requiritur. Cæterùm signa quærit natio incredula. Herodes quoque curiosus fuit videndi Iesum. Fides, vt S. Hieronymus ait, humilitas & prudentia notanda in centurione. Fides est,* quia credidit Christum paralyticum posse sanare. *Humilitas, qua se indignum fatebatur. Prudentia, qua ex sua potentia, Dei omnipotentiam colligere potuit. Prudentiæ item humilis fuit, orationem succinctam facere. Domine, ait, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*

3 *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient &c. Fidem saluare, significat recubitus in sinu Abrahæ. Sed accipe h de fide per charitatem operante, pro seruulo officioso, & se Iesu humiliante.*

MYSTICI sensus sectio.

1 *Peccatum inueteratum, præcipuè hæresios infectio, iudicio sacerdotis offerenda.*

2 *Peccatum veniale ex infirmitate subortum humana, oratione Dominica & aliis hoc genus tollitur modis.*

3 *Victoria quæ vincit mundum, est fides in Christum firma.*

¶ EXEGESIS.

1 *Lepra significat peccatum mortale ratione separationis, 1. Cor. 5. Ephes. 5. 1. Tim. 1. Apo. 3. Incipiam te euomere. cap. 22. Foràs canes potissimùm hæresis, Tit. 3. 2. Ioan. Lichen est omnium fœdissimus morbus.*

2 *Apostoli & Apostolici viri, sunt dispensatores mysteriorum Dei.*

3 *Fides charitate flagrans, vincit omnia. Possibilia omnia, Mat. 9. Et sacramenta nequicquam accipis, nisi credas.*

¶ SECTIO sensus Moralis.

1 *Exoratur Deus fide sapienti, humili, & charitate fulgenti.*

2 *Exorat non solùm, sed & acquirit sibi apud Deum præmia.*

¶ EXPOSITIO.

Leprosi sapientiam attende in hoc quod dicit, Domine, si vis. Sapientiam Centurionis, Ego quoque homo sum potestate præditus. Humilitas attendatur alterius adorantis, maximè huius dicentis: Non sum dignus &c. Eccle. 35. Oratio humiliantis se, nubes penetrat. Pietas etiam huius pro seruulo adeò sedulî. Pietas ad omnia vtilis.

DOMINICA V. POST FESTVM Natiuitatis Christi, Rom. 13.

NEmini quicquam debeatis, nisi vt inuicèm diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implenit. Nam, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergò legis, est dilectio.

PRAEFATIO.

ATtendite charissimi, Apostolum scribam doctum, è thesauro suo noua depromere simul & vetera. Legem docuit esse quatenùs imperfecta erat, abrogatam: atque euangelium, perfecta quod est lex, succenturiatum. Hæretici plerique fermento pharisaico conspersionem euangelicam, supra omnem ambrosiam suauem, amaricare præsumpserunt, adeò vt fideles in Asia penitùs dementarent. Contra hos Apostolus vehemẽtissimè disputauit in epistola ad Rom. & Galat. fidem & charitatem, atque adeò Christianam libertatem, asserendo. Fidem magni fecit, maximi verò charitatem, finẽ putà legis. Fidei encomion indè colligitur, quòd eam ædificij spiritualis ponit fundamentum: Encomium charitatis, quòd eam iustificationis ædificij summum statuit. Vndè ferè à fide incipiens, charitate claudit. Fidem verò præcipuè ad Heb. cap. 11. magno encomio euehit, maiori longè charitatem 1. Cor. 13. celebrat, dicens fidem esse ex parte, atque adeò cessaturam: charitatem verò in æternum permansuram, atque adeò perfectionis habere præclarum instar. Vndè & hic alibi dicit eam esse finem legis. Et Christus eam dicit complecti Mosen & omnes prophetas: quod certè sinè iustificationis virtute esse nõ potest. Apostolus & idem euangelista Ioannes fidem & charitatem copulat, 1. cap. 3. dicens: Hoc est præceptum eius, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. Et qui seruat præceptum eius, in illo manet, & ipse in eo. Dicat nobis nouus euangelista: num in Deo maneat, & in se Deum manentem habeat homo, beneficio charitatis, præter iustificationis meritum. Dicere hoc haud poterit, reor,

Charitas Deiparæ omnium maxima, non iustificare non potest.

niſi fortè præceptum Chriſti ſeruare, eſſe ſaltem credere dicat. Per miſericordiam Dei te obteſtor, quicunque es lector: vide in quam nos labyrinthum noui adigant Euangeliſtæ. Vide nouum Euangelion omni Mæandro eſſe obliquum magis & magis flexuoſum. Vbi minimè conuenit tropis omnia eludunt, nempe vbi ſcriptura ſecundùm literam ſaltem exponenda eſt: contrà vbi ſcriptura ſchemata requirit, literam ſaltem ſequuntur. Exempli gratia: In verbo Chriſti, Hoc eſt corpus meum: bone Deus, quas non phraſes comminiſcuntur? Contrà neque Melchiſedéchi oblationem, neque manna ſuis figuris rectè æſtimant cum patribus catholicis. Sic etiam hoc loco vbi ſcriptura eſt præcipuè dilucida, troporum ſylua lucem euangelicam prorſus obſcurant. Hic ſophiſtas agunt apertos: alibi ſophiſticen, vbi catholici hæreticorum ſophiſmata ſimili eludunt ratiocinatione, damnãt. Sed viderint tandèm, in quem locum deuenerint. Nos hic ad Apoſtolum redeuntes, dicimus charitatem virtutem atque Dei donum præcipuum, fructus fidei atque adeò ſpiritus ſancti, legis obſeruationem &c. iuſtificare, ſeruare, & beare. Sectio eſto: Charitatem oſtendit primò nos è lege Moſis onere liberare. Dicit enim: Nemini quicquàm debeatis, niſi vt inter vos ametis. Secundò oſtendit, charitatis exercitium, malum deuitare, & bonum ſedulò operari. Tertiò concludit, ſic legé Dei perfici, atque hominem tele tali iuſtificari, finem omnis conſummationis charitatem ſtatuendo.

Debitum eccleſiaſticorum, hoc eſt fidelium, à legali differtur.

Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Dixerat quæ magiſtratui debeamus, nunc ſubdit, quod proximo teneamur. Poteſtati, timorem, honorem & vectigal debemus: proximo charitaté tenemur. Interim iterùm ad legis onus reſpicit, oſtendens charitatem eſſe veram & perfectam libertatem Chriſtianam. Legis onus omnium grauiſsimum, quia facit nos reos. Aes alienum facit hominem ante diem canum: grauiſsimum onus debitum, quod etiam homini quietem aufert, hominem prorſus deprimens. Quem verò putamus ita potiſsimùm ſollicitari? nónne eum qui non eſt ſoluendo? Lex non præſtabat, vndè vel Deo, vel proximo homo ſatisfaceret. Euangelium ſufficit tantas diuitias, quæ etiam in cælum the-

ſauros præmittunt. Lex ergò moleſta, Euangelion non item. Fateor & in Eccleſia fideles, eſſe debitores cùm Dei tum hominum: ſed Deus pater eſt fidelium, & homo aut frater aut proximus: ſi domeſticus fidei eſt, frater eſt: ſi hæreticus, ſi Iudæus, aut deniquè hoſtis, proximus, nempe homo. Nihil ſiquidem homini proximum æquè eſt, atquè homo. Qui verè fidelis eſt, non cogitat: Mihi proximus ſum: Nihil ad me, ſi eget aliquis cui nihil debeo. Non, inquam, talia dixerit vnquam verè fidelis, qui nouit ſe debitorem omnibus. Ad Apoſtolum: Vnicum nos omnes adſtringit debitum, nempe charitatis. Eam debemus proximo. Proximo nos Deus, cui nos totos debemus, oberatos eſſe affirmat. Debitor frater fratri. Debitũ gratia Dei, nobis tanquam æs alienum, gratis data. Non leges imperatorum, non Speculum Saxonicum, vulgò Der Saren ſpiegel, aut aliæ leges gentium, fidelem, quid proximo debeat, docent, ſed fides. Nec item minis cogitur debitũ reddere: ſed charitate & ſpiritu ſancti ductu, hoc quod debet, ſua ſponte præſtat. Denique non habet opus, vt ſumat alicundè vel fœnore. Spiritus enim ſufficit abundè vndè ſatisfaciat. Non ergo debita ea, Eccleſiæ onus putanda, quemadmodum neque moleſtum eſt, membra corporis mutuam ſibi operam præſtare. Ita lex fidelibus præſtatu eſt facilima.

Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Vel hinc colliges, fideles debitores eſſe legis præſtandæ. Conficies & hinc, miſeræ plebi imponere nouos euangeliſtas, dicentes legem ſaltem datam ad agnitionem peccati. Attendendum etiam hic, tranſlatores eos, qui ſcripturam canonicam Germanicè reddiderunt, malitioſè locum eum Romanorum tertio, ad ſuam hæreſin ſtatuendam, ſua adiectione eſſe adulteratos. Chriſtus ſuffragatur Apoſtolo Matth. 5. dicens ſe non veniſſe ad legem ſoluendam, ſed perficiendam. Quod Chriſti verbum, non eſt (vt hæretici noſtrates hodiè contenduut) de Chriſto ſolum, ſed de Chriſtianis omnibus intelligendum, quod ſic ſtatus capitis quinti apud Matthæum vnicè requirit. Qui verè Chriſti eſt, ſibi quoque dicit: Non vocatus ſum ſoluere legem, ſed implere. Immo etiam legem pluris quam ipſi Iudæi, facit: maioriſque cura eam ſtudet implete,

Debitores legis ſunt etiam fideles.

Legis adimplatio nõ ſolum Chriſto incubuit, ſed & incumbit omnibus Chriſtianis.

quam ipsa gens Hebræa. De ethica hic loquimur, non de cæremoniali & iudiciali legis parte. Nam & Apostolus hic perfectionem legis non in cæremoniis & iudicialibus præscriptionibus, sed in charitatis officiis sitam esse docet, secutus Dominum & magistrum Iesum Christum apud Matthæum cap. 5. Nunc verò cum videamus legis perfectionem non fidei, sed charitati tribui: quid hæreticos audimus charitatem à iustificandi ratione separantes? Agape, hoc est, charitas, vtrunque testamentum complectitur. Vndè Apostolus nos subindè compellans, ait: Agapeti, id est, dilecti. Charitatem Dei in cordibus nostris diffusam esse, hac appellatione nobis insinuat. Dilectio si cui data est, sese ad omnia sentit declivam. Hæc cui deest, legem subin accusat, atque præstatu difficilem esse murmurat. Vndè Apostolus fidelibus agapen ipsam, tanquam methodum & scopum totius religionis, tanta commendat fide & tanquam regulam tradit, iuxta hoc quod sequitur:

Legis perfectio non est sita in cæremonialibus & iudicialibus.

Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hic liquidum fit, quidnam Apostolus sibi velit isthoc vocabulo, legis. Quatuor hic legis præscripta recenset secundæ paginæ, nempe ad proximum pertinentia. Quo colligimus, legis partem moralem (cuius neruus est charitas) nobis esse relictam, reliquas partes abrogatas. Quod si per vocabulum legis, vniuersalem legem (iudicialem putà & cæremonialem) vellet nos intelligere, certè aliquid etiam de vtraque in medium protulisset. Sed sic aduersus seipsum, maximè contra hoc, quod ad Galatas & alibi de Christiana libertate scripsit, luctaretur. Atqui si etiam opera charitatis, quæ nobis Mat. 5. commendantur, vellet antiquata, contra legis opera disputando, Christum vanum constitueret, tanquam nugas meras tradentem. Manifestum itaque est, Apostolum vocabulo legis variè vti: quod quia vesani homines, noui illi apostoli, non satis aduerterunt, eò errorum deuenêre, vt tam Christum, quam Apostolum, sibi contraria docentes insimulent. Ab hac execrabili atque maledicta hæresi qui tutus esse velit, nôrit ma-

Lex moralis nobis est relicta

Legis vocabulo Apostolus variè vtitur.

Legis præcepta varia.

gnam esse differentiam legis præceptorum. Alia nimirum esse cęremonialia, quę Grecè dicere possumus hieratica: alia iudicialia, quæ politica, causarum putà fori: alia moralia, quæ & ethica Græcè dixeris. Priora duo abolita dicimus, nouissima hæc tenere constantissimè confitemur. Iudæum, Turcam, & hæreticum contestamur esse omnem dogmatisten, aut omnes leges confundantem, aut tertiam eam fidelibus non præscriptam esse, dogmatizantem: neque enim sic libertas spiritus, sed carnis licentia docetur: quemadmodum etiam non Ecclesia, sed Iudaismus & Alcoranismus statuitur, si vel iudicialia, vel cæremonialia fidelibus obseruanda obtrudantur. Quantum ad legem moralem, obseruandum, Apostolum hic paucis, sed certis verbis proloqui, amanti nihil esse difficile: non ergo legem fidelibus esse onus, sed officium. Atque hoc est quod sequitur:

Dilectio proximi, malum non operatur. Quis malum committat ductu spirituſſancti? Charitatem spirituſſancti donum esse, immo Deum ipsum esse, Ioannes Apostolus atque euangelista haud obscurè docet. Apostolus quoque hic noster dicit, charitatem diffusam in corda nostra per spiritum sanctum ipsum. Nihil ergò designabit prophanum, qui ex sancto est spiritu, in cuius cor tam sanctum donum, quod Deus ipse est, diffusus intercedit. Cauet charitas inferre malum proximo, sed magis gestit de quouis benè mereri fratre. Vtrunque vt præstet, charitas ipsa satis admonet. Lex quoque naturæ vult, vt hoc quod nobis fieri ægrè simus laturi, ne id proximo faciamus. Nulla vnquam natio fuit tam barbara, quæ non legem eam probârit: adeo Christiana religio est sana. Horrendum ergò dictu, esse in Ecclesia qui etiam ethnicis sint magis impij. Sunt nostratium non pauci, nec item ij ex infimatibus, qui Christum ficulneum planè authorem, atque adeo dignum cuius præcepta rideant, ducunt: Horrendum, inquam, dictu, sed verum est, res ipsa argumento est, magnates etiam nostrates stupra & adulteria charitati adscribere. In conuiuiis & comessationibus aulicis benè poti, totas noctes choreis transigunt: in iisdem toris quorumlibet vxoribus & filiabus concumbunt bona (vt aiunt) fide. Veneris hæc manci-

Legẽ charitati etiã lex naturę probat.

Charitati flagitia quæcunq; carnis infanda adscribunt.

pia pudica credas? Si continent, certè non religionis amore, sed nobilitatis prophanæ gloriæ hoc fit timore. Interim oscula rapta, & furta omnia gaudiaque. Veneris impermissæ, in lucro ponunt, omnia charitati tribuentes. Dein & eidem virtuti hoc deputant, si plebeij alicuius hominis nuptam aut filiam incestârint. In eum locum ventum est, vt optimates reip. Christianæ, impietate omnes ante eant ethnicos. Nobilistarum item huiusmodi delicatuli liberi, si qui ad artes liberales addiscendas, in ludos & academias aliquo mittuntur, Ouidium, Tibullum, Catullum & Propertium quatuor præferunt Euangelistis. Et nulla præsentior pestis pubis studiosæ esse potest quam grex iste talium perditionis filiorum. Sed quid scholas saltem tales inficere dico, cum & chorum atque vniuersam penè conspurcârint Ecclesiam? Bona Ecclesiæ, quæ pauperum sunt, heu mihi quanto luxu prodigunt? Hic identidem charitatem citant, quasi bona Ecclesiæ, sint bona pauperum meretricum & parasitorum. Negociatores quoque & institores illi præpotentes, charitatis se spiritussancti plenos putant, si vsuris & imposturis, fraudibus & dolis subindè studeant, dummodò cellam aliquam, aut altare, aut statuam diuo huic vel illi statuerint, aut etiam tot anniuersaria, denique etiam viscerationes & congiarium aliquod, non sinè tubæ clangore in testamento confecerint. Quam hoc à charitate Christiana absit, quis non videat, qui nôrit quid sit, proximo malum non intentare?

Charitas iustificat atque atq; fides.

Plenitudo ergo legis, est dilectio. Hic catholicæ professionis vallum obserua sacerdos catholice, aduersus hæreticorum irruptiones, quantunuis violentas, satis validum. Luteranæ sectæ dogmatistæ, charitati virtutem iustificandi negant inesse, exibilant & damnant omnes hic sibi non accedentes. Audax hominum genus & planè effrons, vniuersali omnium beatorum coronę non solum, sed & Christo ipsi sese præferentes. Hic quoniam Apostolum interpretamur, de Apostolo primo dicamus. Plenitudo legis, inquit, est charitas. Idem 1. Cor. 13. discrimi nat inter fidem & charitatem. Vterque locus clarus. Illic summam religionis, vtiq; & iustificationis, fidei tribuit.

Quæ enim noſtra religio, quæ lex perfectæ libertatis, ſi non iuſtificat? Et ſi fidei hoc præſtat, quod charitati adſcribitur, mirum hoc nos Apoſtolum celâſſe. Dicit charitatem legem adimplere, finem eſſe legis, &c. Non hoc fidei refert acceptum. Quin & ſaluator de charitate ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, Ioann. 14. Similia vides 1. Ioan. 2. & 5. &c. Non poſſunt Chriſti & apoſtolorum ſimpliciciſsima verba callidiſsimi inuertere ſerpentinum genimen hæretici, vt ilia rumpantur. Næniæ ſunt, quod dicunt, fidem & charitatem vnam eſſe rem Apoſtolo inter fidem & charitatem nonnihil differentiæ tradente. Et vt vnam rem eſſe faciamus, non tamen hæreſin Euangelicorum fratrum approbamus: immo maximè erroris arguimus. Explodunt & damnant omnes, charitati iuxta atquè fidei vim iuſtificationis tribuentes, atque ob eam potiſsimum profeſsionem tanta controuerſia tumultuantur. Hic viuis & mortuis inſultant. dicunt, Sola fides iuſtificat: Stat illa theſis: illam nobis permittant ſanam oportet: Nullam etiam gratiam nobis ſubſcribentibus habemus: Ignis verò infernalis ſuper capita omnium nobis reſiſtentium: Germanicè, Das helliſch feur eben auffire kopsf, &c. Quid? Nónne iſtec blaſphemia etiam ipſum Chriſtum lædit? Matth. 22. In iſtis duobus mandatis, putà dilectionis Dei & proximi, vniuerſa lex pendet & prophetæ. Ioann. 15. Qui diligit me, ſermonem meum ſeruat: & ad eum veniemus, & mãſionem apud eum faciemus Iterum: Dimitte, & dimittemini: Date, & dabitur, &cæt. Lucæ ſexto. Nónne hæc Chriſti? cui, iam, quæſo maledicit nouus Euangeliſta niſi Chriſto, nobis tantoperè charitatem prædicanti? Sed charitatis hoſtes crudeles hæretici valeant: nos quod fidei eſt, fidei præſtamus: & quæ charitatis ſunt, charitati non auferimus. Roget hic quiſpiam, vndè charitas homini contingat, quæ dilectionis fons & origo. Quæſtioni huic paucis reſpondeo, charitatem eſſe donum ſpirituſſancti. Eſt enim ſpiritus ſanctus ignis inacceſſus, vndè noſtris igniculis ignis venit: ſinè cuius numine, nihil eſt humanæ rationis lumen. Verba Apoſtoli non ſunt obſcura, ad Galatas quinto, dicentis, fructus ſpiritus charitas. Nec item obſcura ſunt verba Ioannis,

dicentis: Omnis qui diligit, ex Deo natus est, 1. cap. 4. &c. Charitatem, Dei muneris esse vel indè liquescit, quod omnium supernorum charismatôn maxima est. In charitatis prædicationem præcipuè citandum duco charitatis præconem insignem Ioannem apostolum & euangelistam, per totam epistolam suam, nihil nisi charitatem vsque adeò prædicantem, vt etiam Deum charitatem denique faciat. Altius assendere non potest. altissimus siquidem, iuxta cantum Ecclesiæ, est Deus. Sed ad Apostolum nostrum reuertamur, 1. Cor. 13. charitati primas deferentem, Gal. 6. in charitate, qua alter alterius onera portat, legem Christi adimpleri cõfitentem, Col. 3. charitatis vinculum perfectionis inesse adfirmantem. Denique 1. Tim. 1. finem legis in charitate constituentem. Plura de charitate vide Leuit. 19. Matth. 19. Marc. 12. Luc. 10. Roman. 5. Gal. 5. Ephes. 3. 4. Philip. 1. 1. Pet. 1. Obtestatus per omnium iudicem Christum, quisque noui Euangelij solius fidei dogmatistes & hyperaspistes, tot scripturæ testimonia de sola fide iustificante, contra charitatem iustificantem, proferat. Nos ostẽdimus Deũ esse charitatem, charitatem esse maiorem fide, finem & plenitudinem legis & hoc genus alia, iustificationem & meritum non obscurè præ se ferentia. Noui Euangelistæ hactenus nè vnicum quidem iota protulerunt quo ostenderent scripturam canonicam à iustificationis ratione segregari. Ignaui ergo & insani, qui tam futilibus fidem adhibuimus authoribus. Ecclesiæ patres nunc etiam audiamus, charitatem prædicantes. Chrysostomus in hunc locum scribens, dicit charitatem esse matrem omnium bonorum, magistram & executricem omnium virtutum. Ambrosius itidem in hunc locum ait: Charitas malum non facit, quia bona est: & quatenus legis est perfectio, peccati est expers. Et sequitur, Proximum diligere, est iustitia: inimicum verò diligere est abundans & perfecta iustitia. Iterùm: Hæc est cęlestis iustitia, quæ nos Deo patri similes facit. Origenes denique in hunc locum ait: Fieri nequit vt in Christum peccet, qui Christum ex toto corde diligit. Item, Charitas symbolon est, quo omnes qui Christi sunt, vnicè discernuntur. Eat nunc sophista Luteranus, & sesqui-

pedalibus raræ & profundæ Theologiæ verbis tantam lucem obnubilet, dicens Christi discipulos, fidelium charitatem neutiquam, sed fidem solam iustificare, nec ad iustificationem eam solius fidei, requiri charitatem. Charitatem esse Dei donum, vides Roman. 5. Galat. 5. Quod dico, nè quis dicat, nos etiam gratiam excludere Dei. Obserua miro, diuino nimirùm, artificio Apostolum prædicationem charitatis claudere verbo vnico, Dilectionem plenitudinem legis colligendo: Plenitudo (inquit) legis, est charitas. Verbum hoc duo præ se fert. Alterum est anacephalæosis, hoc est, recapitulatio siue cõprehensio. Tropus est & rhetoricus ornatus, quo rhetores longæ orationis seriem atque summam, perorando, parua quadam oratiuncula complexam, auditoribus & lectoribus faciunt commendatiorem. Quintilianus anacephalæosin dicit dictam, quod per capita quodammodò discurrat. Secundum est ergastica. Dicit charitatem nihil mali operari. Plura hic consideranda, nempe charitatem quoque nihil non boni exequi. Ecclesia felix & veritaté in benè fundata, columna veritatis, habet tales scripturæ locos de sola charitate, multa egregia continentes: eos palàm exhibet. Vsqueadeò Ecclesię catholicæ de charitatis virtute prædicatio, est certa, vt etiam ex ethnicorũ philosophia adstrui possit. Et si nulũ aliũ philosophum haberemus, vnicus nobis sufficeret Crates, cùm eius sententiam S. Athanasius diligenter illustrauerit. Agitedũ hæretici illuminati, ex vestra noua theologia & philosophia proferte aliquid tam manifestissimis & validissimis authoritatibus contrarium. Ecclesiæ catholicę episcopo vero & pontifici magno, charitatis vnicę magistro, cuius spiritu ductus S. Paulus, de sola charitate identidem tot encomia profert, Iesu Christo Domino nostro sit gloria, gratiarum actio & victoria per æterna secula. Amen.

Dilectio legis plenitudo.

EADEM DOMINICA QVINTA post Natiuitatẽ Christi, Euangelium Matth. 8.

Ascendente Iesu nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ità vt nauicula operiretur fluctibus, &c.

PRAEFATIO.

Historia hęc Euangelica, breuis est verbis, sed valdè locuples sensu: quippe in qua fideles multa, & ea cùm iucunda, tum salutaria, fidei mysteria abdita inueniunt. Gloriosa hęc Christi nauigatio, quemadmodum & cętera, quæ Christus fecit, omnia, non aliter quâ salutaris mysterij pictura & scriptura viuida, est accipienda. Magnalia nostri seruatoris, gesta perfunctoriè legere, quemadmodum acta Hannibalis, Scipionis, Iulij, & aliorum heroum legi solent, est Euangelio Christi contumeliam facere. Aliam siquidem virtutem habent Christi gesta, & alio consilio, Dei nimirùm, conscripta sunt ab Euangelistis. In historia siquidem Euangelica, veritas, vita, lux, salus, beatitudo, & hoc genus alia sacramenta continentur: illæ nihil nisi rem factam & historicam scientiam adferunt. Vndè Salustius, Liuius, Suetonius, Tacitus, & alij historiarum scriptores, historici vel historiographi vocantur: gestorum verò sacrosanctorum Christi conditores, euangelistæ dicuntur & creduntur. Illorum scripta leguntur, horum & leguntur & adorantur. De Iesu ergo Nazareno sermo, non modo auribus arrectis, sed & cordibus apertis, & pio desiderio inflammatis, tanquam præsens animarum præsidium, hauriri & custodiri debet. Cùm illæ leguntur historiæ, nemo aliter auscultat, nisi vt noui aliquid, quo rerum humanarum cognitio crescat, addiscat. Ethnicorum heroum hic non solum acta, prę Christi gestis extenuo, sed & sanctorum patriarcharum historicā literam eam, qua Iudæi saltem vtuntur, nihil nisi putidas carnes Aegypti esse dico, collatam ad historiam euangelicā Christi. Et si in historiis patriarcharum mysteria nostræ fidei cumprimis sunt requirenda, quis mentis inops neget Christi gesta præter miraculi magnalia, salutaribus mysteriis esse fœcundissima? Hæc prefanda duxi, vt ad altitudinem mysteriorum eorundem, gradum aliquem atque aditum faciam, mentesque nostras, ad huiusmodi sacramenta audienda & custodienda, attentiores reddam. Christiani hominis cor, biblia quędam esse debet, cui non attramento, sed spiritu Dei viui tanta diuinæ claritatis mysteria committātur. Sic & suas traditiones non

Historiæ euāgelicæ nō legēdæ instar prophanarū.

Traditiones apostolicæ quib⁹ Libris commissæ.

membranis putidis, & foliis Sibyllinis mobilibus, sed cordibus viuis, & supra adamanta firmis, tradere maluerunt apostoli. Præcipuè obseruandum, Christon statim à concione in monte facta, septem grandia & stupenda edidisse miracula: primum, leprosi mundati: secundum, serui centurionis paralytici, consolidati siue restricti: tertium, socrus Petri à lethiferis febrium paroxysmis liberatæ: quartum, phanaticorum quorundam à diabolorum flagellis liberatorum: quintum, præsentis nauigationis: sextum, dæmonum, quos ab alio quodam obsesso abactos, in porcos abire permisit: septimum, valetudinarij eius, quem in grabato ad Christum curandum attulerunt. Hæc Matthæus ab octauo capite vsque ad nonum persequens, ostendit Christum verum Deum & hominem, Messiam nimirùm, promissum Dei salutare. Nauigatio verò hæc miraculosa, facta est post abitum à Capernaum, cùm transmisso mari Genezareth siue Genesar, in terram Gadarenorum siue Gergesenorum, quę & ipse Galileæ sunt ciuitates, iter haberet. Noueriot hoc imperiti, Iordanem nobilem illum fluuium, non procul ab oppido Tiberiade, à Tiberio Cæsare sic appellato, exundare siue restagnare, & in lacum magnum (qui & ipse Tiberiadis nomen ab vrbe trahit) abire. Dicitur & stagnum hoc, mare Genezareth, quod eius oppidi fines (quorum mentio fit Mat. 14. Mar. 6.) alluat. De stagno Genezareth habes Luc. 5. Ioann. 6. Ex hoc stagno Iordanis rursus defluit in lacum Asphaltitin fabulosum, vtpotè qui mundi mirabilibus adnumeretur. Ferunt Asphaltitin nihil gignere, in eo nihil submergi posse viuum, vita carentia protinus absorberi, esse innauigabilem, nullum animal in se habere viuum. vndè & mare mortuum vocatur. Genezareth verò mare, iuxta atque regiones eas quas alluit, dicunt omnium esse fœcundissimum, præsertim potabilem & salubrem; quod non instar paludis pigra aqua constet, sed quod dilabatur & prománet, ventisque obnoxium subindè moueatur. Egesippus quoque ipse ait, tam regionem quam lacum eum, Genesar siue Genezareth dici, libro tertio, capite vigesimo sexto. Hęc dico, vt intelligas euãgelistas Matthęum & Lucam, quorum al-

Asphaltitis fluuij mira.

Mare Genezareth fœcundũ.

ter scribit de regione Genezareth, alter de mari. Cæterùm Genesar & Genezareth vnum sunt, quod & cosmographi ferè fatentur omnes. Vltra hoc mare Tiberiadi adiacet regio, cuius incolæ vocantur Gadareni, ab oppido claro Gadara sic appellati. Gadarenses vocat Egesippus. Porro cùm & alia ciuitas ibi esset, nomine Gergesa, qua ibatur versum Gadara, Matthæus ait hoc itinere Dominum venisse in regionem Gergesenorum, & indè ad Gadarenos, cuius potissimum Marcus & Lucas meminere, Quod dico, nè quis obesæ naris, puter euangelistas dissentire. Quòd si Gadara & Gergesa (quod pleriſque videtur) idem sunt, minus obscuritatis subest lectioni. Sunt qui oppidulum Gergesa, Gerasa vocent: indigenas, Gerasenos. Summa huius loci esto, ciuitates multas iuxta hoc mare fuisse, potissimum Capernaum, Tiberiadem, Gamalam, Gadaram, Gergesam, Bethsaidã patriam Petri, Andreæ & Philippi, quæ & Iulias, in Cæsaris Iulij memoriam est vocitata. Nunc tandem pro virili contextum euangelicum tractemus.

Ascendẽte Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Hoc in Capernaum (vt audistis) actum est: ibi siquidem nonnullis signis editis, visum est diuinę sapientiæ, vt indè regnum cœlorum vltrà maritimis quoque Galilæis denunciaretur. Stagnum itaque hoc Galilæam scindens, cùm Domino esset traiiciendum, pontóne habuit opus. Ponto hic cuiusnam fuerit, nullus euangelistarum exprimit: saltem dicunt Iesum ingressum nauiculam, & discipulos eius cum eo. Ad allegoricum sensum, quem infrà audietis, hoc nobis sufficit. In hanc nauim simulàc ascendissent, ait Iesus: Transfretemus ad vlteriorem ripam. & sic soluerunt, Luc. 8. Iesu Nazareni potestas quã ta in terris fuerit, satis innotuit: debuit & inclarescere, maris illũ & ventorum esse potentem, atque adeò verum Dei filium existere. Sanctus Marcus quoque significanter ait, Dominum discipulos, Transeamus in aduersam ripam. In quo eius vera humanitas perspicitur, quæ vnà cum discipulis nauigio ad stagni eius transmissionem opus habuit. Quod & in sequentibus lucidius exprimitur.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ità vt nauicula operiretur flu-

retur fluctibus. Mare, secundùm Hebræotismum, dicitur stagnum, quod maximè ex Luca euidens fit: quippe qui non habet, mare, sed stagnum. Sunt qui dicant Christon procellas eas, de quibus hic agitur, commouisse, in miraculi sequentis occasionem. Sed veritati magis est consentaneum, procelloso aliquo vento, solito, naturali, exortas, sed non sine Domini præscientia & nutu. Nam si Dominus excitasset, certè & id miraculum per se esset, miraculo reductæ tranquillitati non minus. Sed neque sic rationi consentit. Procellas siquidem excitare, inamabile est: sedare, iucundum. Nec Iesus venerat turbines (quanquàm hæretici non credant) commouere, sed compescere motos. Verùm non video, quare de incertis plurimùm velitemur. Certum est, à turbine nimboso præsens naufragium factum. Periculum maius & atrocius extitit, propter instantē noctē, cuius Marcus meminit cap. 4. Tempestatē magnā fuisse, Matthæus, Marcus & Lucas diligēter describunt, vt indè Christi gloria euidentior appareret. Nam quo procellæ fuerint sæuiores, hoc anxietatem & timorem discipulorum & ipsum maiorem fuisse sequitur. hic quo maior fuit, tanto & eos Christum ardentiùs inuocasse liquescit: tandèm ex omnibus his præsidium Christi, ac per hoc gloria Dei fit illustrior. Non video, quare periculum opinionibus incertis exaggeremus, occasionem sumentes indè quòd sanctus Matthæus dicat, nauim fluctibus opertam, quasi obrutam atque submersam. Sensus est, tantos fuisse fluctus, vt præ eorum magnitudine, nauis videri non potuisset ab hominibus, si quiv traque in ripa fuissent. Marcus dicit, ortam procellam, & fluctus irruisse in nauim, ita vt illam implerent, quod per hyperbolen dictum intellige. Et Lucas ferè eadem vehementia dicit: Et complebantur, & periclitabantur. Sensus est, vim nimborum fluctus in nauim impulisse, non tamen funditus submersam operuisse, & eos qui in naui erant, dimersisse. Nauis Christi, vt in allegoria declarabimus, periculum pati & naufragari potest, non autem perire. Summa ergò huius loci est: Discrimen fuisse ingens, & præsentem mortem nauigantibus intentasse omnibus: nec discipulos Christi, nauigandi peritos, & ventorum insanię non in-

Mare secundùm Hebræā dialecton significat stagnum.

expertos, maius discrimen anteà vidisse. Sed quod in sequentibus videbimus, tempestas ea cùm illis, tum nobis quàm felicissimè cessit.

Ipse verò dormiebat. Non metu dormiuit & pauore, quemadmodùm Ionas, eiusdem cap. 1. sed securitatem quodammodò declaraturus, in cuius signum accipere possumus ceruical, quod illum capiti suo subiecisse Marcus testatur. Dormiuit item, se verum hominem ostendens, qui etiam alterna requie opus habuit. Quos labores ante nauigationem eam habuerit, Euangelista in superioribus satis ostendit. Alibi videntes discipuli Christon *nimium* labori intentum, timuerunt illi. Hic ergò verus Deus & homo, per soporem eum declaratur: per securitatem adumbratam, Deus: per requietis necessitatem, homo. Alibi etiam requieuit, comedit, bibit, fleuit, infremuit spiritu, tandèm quoque mortuus est & sepultus, verus homo. Sed ne hominem saltem arbitreris, audi sequentia:

Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Audite charissimi & attendite, vt discatis, quo modo vos habeatis anxietatibus & periculis impliciti. Si non possumus cum Christo securè dormire, at saltem discamus Christo rectè fidere, ad ipsum vnicè confugere exemplo discipulorum. Idem & ex ipso Dauide discamus, & dicamus Psal. 43. Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Item: Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomé sanctum tuum. Item Psal. 11. Saluum me fac. Psal. 15. Conserua me Domine, quoniam speraui in te. Psal. 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę vsque ad animam meam. Clamaui ad te, dixi, tu es spes mea &c. De profundis ita semper ad ipsum Dominum clamandum, vel exemplo Ionæ, & dicendum eiusdem cap. 2. Circundederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Cùm angustiaretur in me anima mea,* Domine, recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Sic, inquam, ad Dominum ipsum de profundis clamandum. Discipulorum orationem Lucas sic describit: Præceptor præceptor, perimus. Geminatio em-

Acceden dum ad Christon in necessitatibus.

**Domini recordatus*

phasin habet, qua & Christus clamauit, Heli Heli, Psal. 21. Matt. 27. Orationem discipulorum Marcus sic describit: Præceptor, non est tibi curæ quòd perimus? Hæc omnia periculum & præsidium vnà nobis declarant. Obseruanda oratio discipulorum, vt indè superstitionem eam, quæ tot tutelares & auxiliares Deos commenta est, abolere possimus. Non hic audis, naufragos Abrahamum, Isaac, aut Iacob tanquàm exantlatores mali, inuocasse: sed Christum Deum Abrahæ, Isaaci & Iacobi. Vides & apostolorum imbecillitatem, quam illis postea Christus quoque obiicit: sed ne sic quidem ad aliquem sanctorum confugerunt. Ex synagogæ matris vberibus didicerunt, solum Deum auxiliatorem implorare. psal. 17. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui. Ibidem: Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Perlege totum psalmum. Item 30. 80. 98. 114. &c. Dominum huiusmodi inuocatione oblectari vides psalm. 90. vbi dicit: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Contrarium vides psal. 13. 52. Adeò idololatriæ insimulandi sunt, quicunque à creatore deficiunt, à creaturis quibuscunque tandèm auxilium petentes. O pastores, ô idola, videte quo catechismo plebem Dominicam Dei vocabulum docueritis: videte, qua institutione Dei maiestatem & præsentiam vulgo rudi tradideritis. Auxiliatorem, saluatorem, ducem, rectorem, protectorem, & omnia patres Deum esse didicerunt: vndè & ex ipsa experientia illi tot nomina indiderunt. Sed & ipsa natura docet nos, auxilium omne à Deo petendum esse. Quis vestit lilia agri? Quis pascit volatilia cæli? Cuius præsidio ales sustentatur in vacuo aëre, ne in terram labatur? Quis dat incrementum sementi, quam terræ committis? Abraham? Isaac? Iacob? Absit. Sed Deus Abrahæ, Isaaci, & Iacobi. Quem sanctorum inuocauit Enochus Genes. quarto? Quem Loth Genes. 10? Quem denique diuum in auxilium vocauit ipse Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, Iosue, Samuel, Dauid, Ezechias, Iosias, & alij ordine omnes? Da mihi vnum ex omnibus, qui vel sanctos archangelos, defensores & auxiliatores accersiuerit sibi. Miss-

Diuos nõ inuocãdos vt saluẽt, sed vt pro nobis intercedant, implorandos.

sos, fateor, legimus angelos, sed non inuocatos, sed à Deo inuocato. Saul desperabundus, ad mortuos & pythonissas, contra legem, cõfugit, canis bis mortuus, cum mortuis sortem accipiens. Adeò horrendum est, hominem à Deo suo ad creaturas desciscere. Quis ergò satis detestetur eos, qui superstitionem eam vulgi dissimulant, nedùm eos qui asserunt? Charissimi in Christo, vos oro & obsecro sapiatis tandèm, ne quà fiat, vt quemadmodùm olim Heuę mentem corrupit serpens, ità & vestra synceritas corrumpatur. Antichristus nobis imminet personatus, Christi veritatem simulans veniet. caueamus, nè illi viam præparemus. Videamus, ne philosophando verbum Dei adulteremus. Vltorem Deum timeamus. Quis tradidit Romanos in obscœna contra naturam facinora? Et quare eos Deus in tantam ignominiam tradidit? Nónne ideò, quia Deum animum, id est, spiritum omnipotentem esse cognouerunt, non spiritualiter tamen & pura mente coluerunt, sed quod Dei fuit viuentis, hoc Ioui, Marti, Neptuno, Aeolo, & aliis deorum portentis retulerunt acceptum? Ita sanè. Quare ergò nouos Neptunos, nouos Dioscoros, Pollucem & Castora comminisci non timemus? Immò quarè commenta portentosa ea defensamus? Ab omni specie mala caueremus, monitore Apostolo. Christus non vult nos iterùm ethnicis, è quorũ erroribus ille nos semel asseruit, similes fieri, Matt. 6. Videamus ergò, nè vtroque pede claudicemus. Si pater Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu sancto & nostro seruatore, vnus est & verus Deus, inuocetur: si verò Baal quispiam Deus est, agè adeatur cultum, ad eius confugiatur præsidium, 3. Reg. 8. Si non pertimescimus pœnam, quam de Romanis sumpsit, agè exterminium Cananæorum nos moueat. Videamus item quàm horrendus sit sarcasmus, quo Dominus ad populum suum ait: Ite, & inuocate deos quos vobis elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ, Iudicum 10. Non hæc dicimus, quòd litaniam Ecclesię cum schismaticis nasutulis nostratibus, velimus correctam aut abolitam. Aliud est, sanctos auxiliatores inuocare: & aliud, ad intercedendum pro nobis ad Deum implorare. Sacrosancta est litania, quæ dicit: Saluator mundi, adiu-

Ecclesiæ litania sacrosancta.

ua nos, ſalua nos. Item: Sancta Maria, ora pro nobis: Sancta Dei genitrix, ora pro nobis: Sancta virgo virginum, ora pro nobis. Nuſquàm audis eccleſiæ cantum alium. Quæ vnquàm eccleſia cecinit, Saluator mundi, ora pro nobis? aut, Sancte Petre, adiuua nos? Quàm velim, eos qui ſeſe eccleſiæ eſſe volunt & contendunt, mentem eccleſiæ ritè perſpicere: & ſatis perſpectam, tandèm ſtrenuè etiam mordicùs aſſerere? Quod niſi fecerint, & ſchiſmaton & ſuperſtitionum materiam cudunt, de vtroque errore Domino aliquandò pœnas daturi. Sed nos ad ſequentia abeamus.

Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? S. Marcus & Lucas habent, Dominum priùs ventorum & maris rabiem increpaſſe, & poſteà exiguæ fidei diſcipulis ſuccenſuiſſe. Vides contra Anabaptiſtas, Euangeliſtarum nouorum ſobolem, præſens argumentum. Neque enim tam ordo rei factę, quàm pondus rei vel res ipſa, ab Hagiographis eſt obſeruatus: ne quis magis conditioni hiſtoricæ, quàm ipſi hiſtoriæ, ipſiuſque hiſtoriæ medullę, adhæreſcat lector imprudens. Summa huius negocij eſt, Chriſtum tempeſtatem horrendam verbo ſaltem increpatorio ſedaſſe, interim & modicę fidei ſuos culpaſſe diſcipulos. Expoſtulatio ea, qua diſcipulos modicæ fidei increpat, ſic eſt apud Marcum: Quid timidi eſtis adeò? Necdùm habetis fidem? Obſerua etiam fidelibus diſcipulis addubitationem irrepſiſſe. Lucas ergò ait: Vbi eſt fides veſtra? Tanquàm dicat: Bonam de me opinionem concepiſtis, cuius amore omnia veſtra reliquiſtis, ęrumnoſum & laborioſum me ſequentes. Sed hic ea fides veſtra planè vacillat. Deus Iſrael non eſt talis, qualis Baal 3. Regum 18. vt ſtertat, & crapulam edormiat. Nam ſecundùm pſalm. 120. non dormitat neque dormit, qui cuſtodit Iſrael. Quid ergò, me ſecundùm humanitatem dormiente, ſopitam quoque arbitramini deitatis maieſtatem? Satin' vtrunque in me didiciſtis? Hominem, per tot argumenta humanæ fragilitatis, eſuriei, ſitis, algoris, laſſitudinis, &c. Deum, tot & tantis ſignis, etiam verbo potenti? Quare ergò nunc alterius obliti, trepidatis? O ſalutarem diſcipulis & nobis ſomnum eum, quo fidei integritatis admonemur. Submonet hæc expoſtu-

Anabaptiſtæ confundũtur.

Deus electis suis sẽper est præsto.

latio, vt certa fidutia nobis semper Deum præsentem credamus. Dictum obseruemus, Deus tuus tecum semper ero, Genes. vigesimo sexto, trigesimo octauo. Exodi tertio, Iosuæ primo. Esaiæ quadragesimoprimo, Hierem. 1. 15. 30. Et illud, Dominus vobiscum, Num. 1. 4. 2. Par. 32. Iudith 13. Item hoc Heliszei 4. Reg. 6. Plures nobiscum sunt, quàm cum illis. Eius loci exempla nusquàm in scriptura nobis non occurrunt. ex tanta sylua exemplorum, breuitatis causa, tria adduxero. Primum 2. Paral. 20. vbi Iahaziel filius Zachariæ, regi Iosaphat, timore regum Moab & Ammonitarum perterrito, & omni multitudini per spiritum Domini dicit: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. Sequitur: Cras descendetis contra eos, & Dominus erit vobiscum. Iterùm sequitur: Credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta erunt vobis prospera. Habes exemplum, Dominum liberare ab hostibus. Aliud exemplum quod adducam, arguit Dominum etiam à bestiarum & ab ignis violentia liberare. Dan. 6. & 3. Eductus Daniel ex lacu leonis, nulla læsione in eo inuenta: quia credidit Deo. Egressi item Sidrach, Misach, Abdenago de medio ignis, & congregati satrapæ & quicunque potentes, contemplabantur eos: nec in eorum corporibus, nec in crinibus, nec in vestibus eorum vllam læsuram, immò ne fœtorem quidem grauem ignis aliquem offenderunt. Mirum hoc, sed non minùs mira eorum confessio. Dixerunt enim: Deus, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis. Quod si noluerit, notum tibi sit Rex, quia deos tuos tamen non colimus. Eccè tibi veram fidem. Diuinæ voluntati se commiserunt, parati tam mori quàm liberari. Auream statuam regis adorare recusauerunt. Sic & nos quoque Deum colentes, mundum auersantes, oraremus: Fiat voluntas tua. Sic & leprosus ait: Domine, si vis, potes me mundare. Si & exemplum cupis, Dominum in aquis & tempestate liberatorem esse, vide Actuum. 27. vbi de Pauli naufragio dicitur: Porrò neque sole, neque sideribus apparentibus ad complu-

res dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Cùm autem multa iam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Hortor vt bono animo sitis. iactura enim animæ nulla erit ex vobis, sed tantum nauis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius ego sum, quem & colo, dicens: Nè timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Eccè donauit tibi Dominus omnes qui tecum nauigant. Hæc tria exempla auxilij diuini, in omnibus periculis deberemus nobis, quisque sibi, ob oculos ponere, nè & nos fidei pusillę Domino increpandi veniamus. Videtur mihi item rationi consentaneum, vt in maiorem emphasin, Græcam dictionem obseruemus, ὀλιγόπιστος, hoc est, modicæ fidei. Et hoc commendatior nobis hæc dictio esse debet, quo videmus eam apud Matthæum esse frequentiorem: nimirum capite sexto, decimoquarto, decimosexto, & hoc loco, vbi Dominus discipulos, non tanquam atheos & infideles, sed velut infirmos arguit. Ea ipsa etiam nùm nostram imbecillitatem argueremus. Hic, vt fidei nostræ proletarios siue gregarios taceam: nouellos apostolos, qui non ὀλιγόπιστοι, sed μεγαλόπιστοι, esse volunt, modestiæ puto admonendos. Inexpertis illis verè bellum dulce est. Rertis & Grettis suis se strenuos Achilles promittunt. Egregij planè milites Threiciam tangere lyram. Et quis non Therſites militiam inter pocula crepat? Laurentium ipsum quis non Threicia vincat amusside, si operosæ gloriæ martyrium sit, poculis ludere? Bella insuper & splendida militia fidei, inter aulicos lato clauo deambulare proceres & miserorum mentes sesquipedalibus verbis ad arma subindè & * ad * arma incitare. Nota est vox principis nouorum Apostolorum, Negocium religionis ferro expediendum esse. Et superintendentes classici ferè omnes cum omni suo grege, nihil nisi lanceas, enses, bombardas, & tormenta cudunt. Tale brachium prius parandum, & deindè disputandum. Hoc & olim Donatistæ, Circumcelliones, & Vuicleffistæ factitarunt. Quis in hac militia pumilio, non præstet se Goliathum, tot militum septus cohortibus? Apostolus ter virgis cæsus, semel lapidatus, ter naufragium fecit, noctem & diem in pro-

ὀλιγόπιστος dictio in euangelicis literis celeberrima.

Hæretici prius sibi arma parant, deinde disputant.

fundo fuit, sæpè in vigiliis, in fame, siti, frigore, nuditate, & nullis non miseriis fuit exercitatissimus. Apostolus hoc poetę, tanquam verus Aeneas, Romanę ecclesię author, dicere poterit:

Ac velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant:
Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Aphricus, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorq; virum, stridorq; rudentum.
Eripiunt subito nubes cælumq; diemq;
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

In melitæos apostolos nostrates, nouos apostolastros, quadrat hoc:

Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuìo tibi multa volant, dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguinæ fossæ.
Imus in aduersos? quid cessas? an tibi manors
Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper erit?

Nulla alia gloria nostratium, nisi in potentia & conspirationibus: quibus freti, neque pontifici summo, neque episcopis, neque Cæsareæ maiestati, neque Romani imperij regi obediunt: contumeliis omnes qui ab illis dissentiunt, statuamque auream eorum adorare recusant, afficiunt. Vos charissimi, vtrunque exemplum, verorum nimirum & pseudoapostolorum, vobis proponite. Horum iactabundam præsumptionem & insolentiam discite auersari, & in popinis delitescentes nolite insenescere, aulicum splendorem fugite, sed illorum exemplo vestra omnia relinquite, cum gaudio facultatum vestrarum rapinam potius sustinete, quam aliis vim inferre discite: & sic tandem cum Christo in nauiculam probationis descendite, probemini sicut aurum in fornace, vt paulatim veri μιγαλβαισοι euadatis. Christus suis, etiam si videatur dormire, vigilat. Quibus verè dormiet, infrà ostendemus. Sequitur:

Tunc surgens, imperauit ventis & mari: & facta est tranquil-

litas magna. Quam verè loquitur propheta Pſal. 148. Spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius? Creatura bruta vocem audit creatoris. Ethnici tanta potentiæ Dei myſteria ſub typo Aeoli, Neptuni, & reliquorum fictorum numinum, quodammodo inuoluta ſignificârunt. Neptunum itaque ventos increpaſſe, graphicè finxit Maro, dicens: *Ethnici fatentur Deum vbiq; innare.*

Eurum ad ſe Zephyrumq; vocat, dehinc talia fatur:
Maturate fugam.
Sic ait, & dicto citiùs tumida æquora placat,
Collectaſq; fugat nubes, ſolemq; reducit.

Et Apoſtolos, reddita tam inſperata tranquillitate exultantes, fingamus hic ducis ſui vocem audire, nempe eam:

Vos & Scyllæam rabiem, penituſq; ſonantes
Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopea ſaxa
Experti, reuocate animos, mœſtumq; timorem
Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Sanè nil deſperandum, Chriſto duce & auſpice Chriſto. Fabula eſt quicquid de Aeolo, de Neptuno & Calliroe, & de hoc genus nugis garriunt ethnici vates. Chriſtus Ieſus Dominus noſter verus Dominus maris, nauigationem omnem vtcunque naufragam, ſolo verbo, quo omnia ſunt condita, ad portum optatum perducere poteſt. Felix qui cum Chriſto nauigat, hoc eſt, patitur: illi ſiquidem poſt tempeſtatum noctem dies multifariæ ſerenitatis illuceſcit. Qui non eſt tentatus, quid ſciat? Sed quarè non potius hic pro ethnico verè diuinum vatem inducimus, Dauida nimirum, tanta Dei magnalia exprimentem Pſal. 106? Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant qui redempti ſunt à Domino. Sequitur: Et annuncient opera eius in exultatione. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ. Sequitur: Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini? Hæc pſalmographi verba, ſpiritus ſunt & vita: Maronis carmina, ſunt luſus & fabula. Conſentiunt

ſibi pſal. Supra dixit, procellas audire vocẽ Dei. Hic dicit, dixiſſe Deum, & procellarum ſpiritum conſtitiſſe. Vtrunque in preſenti lectione audiuimus. Beatus qui intelligit.

Porro homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Supra præſenti (ni fallor) animo ex Marone, maris & ventorum rabiem delineauimus. Adeo nõ piget nos eius citationis, vt etiam cupiamus, Græcorum nauigationem, Vlyſsis naufragia, & alia hoc genus, cuiuis eſſe nota: Scyllam, Charybdim †Ioni†ponti, Maleæ fluctus quoque raucos. Nam quo maritima pericula homini magis ſunt cognita, tanto hoc illi miraculũ prodigioſius apparebit. Ad cognitionẽ eam faciet etiam diſcipulorum pauor. Exanimati diſcipuli, vellicant & expergefaciunt Chriſtum, præſentem mortem ſub oculos videntes. Chriſtus vt homo excitatus, vt Deus eſt probatus, increpans ventos. Sic enim Lucas habet: Et experrectus, increpauit ventum & tempeſtatem aquę. Increpare ſic legis Aeneidos 6.

Maris rabiẽ vel ex aliorũ relatiõe, vel experientia diciſſe prodeſt.

Sic prior aggreditur dictis, atq; increpat vltro:
Quiſquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis,
Fare agè quid venias.

At quænam increpatoria Chriſti verba, niſi ea quæ ſunt apud Marc. Tace, obmuteſce? Increpat, hoc eſt, imperat, dicens: Sile, obmuteſce, quieſce: & ſilet mare, quieſcit aura, & extemplo ſequitur ſerenitas magna. At quiſnam eſt hic, qui iubet muta & bruta audire: niſi ille qui finxit aurem, qui vocat ea quæ non ſunt, qui ſtellas nomine vocat, & quem pulli coruorum inuocant? Ille ipſe eſt. Nam & ille ventos de theſauris ſuis mittit. Ille olim iuſsit mari ſeſe ſcindere, & mare ſeſe diffidit. Ille Iordanem retro labi iuſsit, & abiit retrorſum. Ille cataractas cæli tempore Noæ emiſit, & reuocauit. Vndique vnum verbum, vndique potens, vndique mirabile. Qui facit mirabilia ſolus, ait Dauid. Spiritus (vt habet ſacra pagina) non mãſit in populo Iſrael, cum Dominus exicçâſſet Iordanem. Et hic merito omnes mirabantur. Hic qui filium Dei (qui ſolus mirabilis, mirabilia faciens) non videt, certè vel phanaticus eſt, vel amẽs. Humanam rationem hic captiuam ducit maieſtas Chriſti ad credẽdum euangelio, cui nihil quod opponat, habet. Quis eſt

Mari imperauit increpatorie Chriſtus.

Miramur merito opera Chriſti.

tantus, inquiunt? quasi dicant: Præfert quiddam homine maius, cuius iussis venti & mare obediunt, cuius increpationem salum & æther expauescunt. Hoc apud Lucam sic legitur: Quis putas est hic, quia vētis quoque & aquis imperat, & obediunt ei? Hoc vt & nos tandem faciamus, oremus dicentes:

O iam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ salo.
Rapidos rector comprime fluctus.
Et quo cælum regis immensum,
Firma stabili fœdere terras.

Ad tuam ipsius gloriam, qui cum patre & spiritu paracle to viuis & regnas vnus Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

ALLEGORIA.

Ecclesia typus est nauis.

CAtholicis constat omnibus, nauim Ecclesiæ significationem habere. Nam haud secus atque liburnum, in alto iactatur, variisque exercetur periculis: homines tamen è præsenti morte in vitæ æternæ portum optatum perfert: sic ecclesia ex huius mundi discriminibus portui sistit salutis, sospes ipsa & integra, incolumes & saluos reddit sibi commissos omnes. Mare significat mundum, Matth. 13. Omnes qui piè in Christo volunt viuere, eos in hoc mundo persecutionem oportet perferre, 2. Timoth. 3. Et per multas tribulationes oportet nos intrare in regna cælorum. Christus primo ingreditur scapham, deinde Apostoli. Christus est pastor bonus, oues præcedens, ecclesiæ caput. Qui cum Christo & apostolis non est, nihil illi & ecclesiæ. Iactet alius templi penetralia, alius desertum. Christus suorum corona discipulorum cinctus est, & ecclesia apostolica traduce veram Christi nauiculam sese potest ostendere. Sunt & aliæ naues, de quibus dicit Marcus: Sed & aliæ nauiculæ erant cum illo. Nauiculas eas vocat plœaria. Sunt autem hæreticorum caueæ, angustæ, & momentaneæ: censum graduum, hoc est, successionem sanctorum pontificum, martyrum, euangelistarum, Apostolorum, prophetarum, patriarcharumque

Naues hæ bēt & hæretici sua.

perpetuam oſtendere non poſſunt. In hæreticos eccleſiã ſimpulantes, hoc quadrat:

Quæ faciunt homines, imitatur ſimia turpis:
Attamen vt fuerat, ſimia ſemper erit.

Càtechiſant, baptizant, communicant, pſallunt, & omnia quę eccleſiæ ſunt, imitantur: ſed quia traducem eccleſiæ veram deſeruerunt, in ſuum malum omnia faciunt. Nauicula fuit, Sabelliana hæreſis. nauicula, Arriana: nauicula, Iouiniana &c. nullum canonizatæ, hoc eſt, declaratę ſanctimoniæ, potentię, miraculorum, martyrij, conſtantiæ perſpectæ, ſanctum habent hæreticorum naiculæ. Quiſque hæreſiarcha ſuæ eccleſiæ caput & cauda, prora, carina & puppis, nullos palmites æternitati proferre poteſt ſterilis & infelix propago. Nauicula, naui quidem non eſt abſimilis, ſed aliud eſt. In vna naui, vnus eſt Chriſtus. Manendum ergò eſt in vnitate traducis probatæ, antiquæ, æternæ. Surdis auribus prętereundi ſunt hæretici, clamantes: Euangelion, Euangelion, Scriptura, Scriptura. Immò etiam clamitantes, Chriſtus Chriſtus, Matth. 24. 1. Cor. 1. Clamant, ſed falſi prophętę in veſtimentis ouium, ergò cauendi, Matth. 7. per blandiloquentiã & aſſentationes corda ſimplicium decipientes. Romanor. 16. & placentia dicentes, Eſaiæ 38. Sirenes hæ, nos è naui Chriſti conantur pellicere: ſed eam nos deſerere non poſſumus, & nouis tot rudibus futilibus ratibus, potius quàm nauibus, nos cõmittere, maxime cùm varient inter ſe, vt neſcias quam intres. Vos hæreſiarchæ, vos argonautæ, videte qua vos fidatis lyntre. Quin in arcam Nohemi, centum ædificatam annis, reuertimini? Arca Nohemi noſtra nauis eſt, 1. Pet. 3. Hæc eſt vnica Chriſti, non momentanea, ſed æterna. Hoc ipſum, niſi audire recuſetis, craſsiori aliquanto Minerua oſtendam. Chriſtus diuidi nequit, ſecundum Apoſtolum 1. Corint. 1. Nuſquam ergò eſt, niſi totus vbi eſt. Exempli cauſa: Argus quiſpiam ſuperbus, Chriſti humanitatem negauit: Faſtidioſus aliquis Typhis, eiuſdem negauit deitatem? Palinurus aliquis præſumptuoſus, fidem ſinè bonis operibus docuit iuſtificare. Hęc infelicia monoxyla, olim in æternam abyſſum ſunt damnata. Quarè vos ea ab orco reuo-

catis? Nolo vobis hic obiicere, quòd Moſen & prophetas perperam docetis, bonis operibus rationem iuſtificandi negantes. Hoc ſaltem exprobro, quòd Chriſti diſcipulorum non poſtremũ ſanctum Iacobum, ſtramentitium authorem propudioſo vocabulo proſciſſum exploſiſtis, quòd dicat, ex factis iuſtificari hominem, & non ex fide tantum. Reſipiſcite tandem, & conſiderate quàm fœdè erretis. Sin minus, Polyphemum vos exoculatum, cœlo terræque deridendum, exhibueritis. Nauis Chriſti, à maligno ſpiritu nunquam non infeſtata permanſit, nec etiam porrò permanebit. Sed quid profecit ſatan hactenus? Nihil. Nec item porrò proficiet. Audite Ambroſium: Ventum, ait, Dominus increpat, & ceſſare facit, non vtique aquilonem, non Aphricum, ſed eum, cui dictum eſt ab angelo Michaele in Epiſtola Iudę: Increpet te Dominus * ſatan, Et Apoſtolus: Nihil, ait, proficient amplius, &c. Huc facit quod Plutarchus in Theſeo de Apollinis reſponſis ſcribit, nempe Athenas plurimùm infeſtationum habituras, ſed nunquam excindi poſſe. Sic Delphicum habet oraculum:

Vter vt inſanis pelagi iactaberis vndis,
Ipſe madebis vter: ſed non fas mergier vnquàm.

Verum hoc eſt, ſi de Eccleſia figuratè promptum accipiatur: non quantùm ad Athenas, olim oraculum eſt eluſum. Sanctus Clemens papa in Epiſtola ſecunda ad fratrem Domini diuum Iacobum, myſterium hoc de Eccleſia graphicè deſcribit. Catholicę religionis ſtudioſus ſacerdos, Apoſtolicæ ſedis verè Apoſtolici hominis allegoriam perlegat.

Nauis Chriſti vexatur.

Haber Eccleſia prętet hæreticos, etiam alios hoſtes, ſed hæreticis minus peſtilentes, tyrannos nimirùm, Nerones, Decios, Domitianos, Herodes, Annas & Caiphas Pharao ille tandem in rubro mari, haud ſecus atque plumbum, nunquàm emerſurus ſubmegetur. Habet tyrannis illa numen Leuiathan, omnibus humanis viribus maius: ſed nihil eſt eius vis, collata virtuti agnelli Dei, Iob quadrageſimo. Nihil ergò in vniuerſum Turcarum tyrannus cum reliqua tyrannorum cohorte, cauda draconis Apocalypſeos efficit, niſi quod verè catho-

Eccleſia prater hæreticos etiã alios habet hoſtes.

licos ad pœnitentiam & ad inuocationem nominis Dei excitat. Contra huiuſmodi Behemoth præſertim orandi pſalmi, atque inter cæteros Pſalm. 123. Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Pſalm. 45. Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Deus in medio eius. Deus reuerà in medio Eccleſiæ Emanuel. Nulla tam glorioſa natio, quæ deos ſuos tam præſentes habeat, atque nobis eſt noſter Ieſus. Clamemus ergo & dicamus cum Pſalm. 43. Exurgè, quare obdormis Domine? exurge, & nè repellas in finem. Verùm, nè orantes, non exoremus, videamus vt cum omni decoro precemur: Videamus quo decoro bina & bina in arcam Nohemi intrauerint, maſculus ſeorſum & fœmina. Iam cum nos inhoneſtè gerimus, in tanta abuſuum & ſuperſtitionum, tot hæreſeôn & ſchiſmatôn abyſſo natantes, Dominus non ſui (vt ſancti Ambroſij verbis loquar) ſomno corporis, ſed noſtro corporis ſomno dormit: nec prius excitari poterit, niſi per multifarias procellas, noſtram dormitantiam eam fidei exiguæ, excuſſerit. Iam ſatis ponto † improborum atque diræ tempeſtatis miſit, nihil vnquàm, niſi tumultus, cædes, factiones & proditoriæ fraudes. Si neque ſic è ſupina ſomnolentia Pontifices & Archiepiſcopi noſtrates, quorum eſt, decorum Eccleſiæ inſtaurare, exurgere volunt, perpetuò ſibi Dominum habebunt dormientem. Non tamen ſuę Eccleſiæ Dominus deerit: ſed ſuo tempore per veros adoratores Eccleſiæ præſules, qui ſuis omnibus & omni mundi vanitate relicta, Chriſtum in hanc nauim ſecuti ſunt, exurget expergefactus, facietque iucundam Eccleſię tranquillitatem. Faxit Deus, eos adoratores iam habeamus, Amen.

DOMINICA III. POST OCTAVAS Epiphaniæ Matth. 8.

Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt &c.

¶ SECTIO literalis sensus.

1 *Christus dormitum iuit in navim, vt sui è somno parua fidei excitarentur.*

2 *Discipuli tentati, ad Christum confugientes, tentatos monent quid faciant.*

3 *Fidelis Deus non patitur suos tentari supra id quod possunt sufferre, 1. Cor. 10. 2. Pet. 2. Novit Deus &c. Facit ex tentatione lucrum, 1. Cor. 10. quia tentatio schola, dans intellectum, Ecclesiastici. 34. Heb. 2.*

¶ DECLARATIO.

1 *Ascendente Iesu in naviculam &c. Dormit nobis, quando nos nobis relinquit. Excita potentiam tuam, & veni. Dormit dormientibus, vt excitentur. Dormiente patre familias, venit sur & inimicus homo superseminans zizania. Navis typum habet Ecclesiæ, cuius rectoribus dicitur, Vigilate. Melior vigilantia somno. Cæterum non dormitat qui custodit Israel.*

2 *Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, &c. Bonus somnus Christi, per quem excitantur discipuli. Felix necessitas, quæ cogit ad meliora. Pugna mater pacis. Per hæreses probantur electi. Post huiusmodi hæresion & schismaton tempestates, tranquillitatis sol Ecclesiæ multo præclarius resplendere solet.*

3 *Ad Christum confugiendum. Beatus qui confidit in eo. Fidelis Deus, sed nos valdè fragiles & superstitiosi. Corripit ergò & saluat. Vexatio dat intellectum, Esa. 28. Vexatus David, mysteria regni cælorum omnia didicit.*

¶ SENSVS Mystici sectio.

1 *Ecclesia per navim significatur, per mare mundus periculosus.*

2 *Christus aliquandò dormire videtur.*

3 *Excitatus, actutum omnes turbas sedat.*

¶ MYSTERII explanatio.

1 *Arca navis, equidē fuit ecclesiæ typus. Chrysostomus in Mat. 22. Gregorius in epistola ad Isicium: Turbatio ecclesiæ maximè fit per hæreticorum flabra ventosa. Sunt & hæreses varij myoparones: quia hæretici veri fures, latrones & piratæ. Ex ista navi ejectus propheta Ionas. Extra ecclesiam esse, est perire.*

2 *Paterfamilias dormit, & dat inimico homini potestatem ità insaniendi.*

3 *Ecclesia militans ità ad cognitionem suæ negligentiæ venit. Gene.43. fratres Ioseph, Num.21. filij Israel, Dauid 2. Reg.24. Manasses 2. Par.33. Excitatus saluauit Abrahamũ, Iob, Ioseph Gen.41. Israelem, Heliam, Tobiam, Iudith, & omnes electos, Heb.11. Obserua: Beda etiam crucem per naiculam significari ait.*

¶ Moralis partim, & mysticus partim.

1 *Cùm nescimus quid agere debeamus, Christo supplicandũ oratione & scripturæ diligenti discussione.*

2 *Damascenus & alij catholici, vocant sanctos patres Deiseros viros, quia reuera templum spiritussancti: eos pro intercessione implorare, eorum monumenta exquirere, vtique ad Christum est confugere. Hæretici immundi porci. diaboli hoc diuersorium inquirat, qui cum illis in mare præceps ire desiderat, Mat.8. Mar.5. Luc.8. Iac.3. Excitatur etiam Christus eleemosyna & ieiunio nam & hisce armis diaboli superatur ira.*

3 *Omnia ad gloriam Dei vertamus & quæramus.*

DOMINICA SEPTVAGESIMAE,

1. Corinth. 9. & 10.

NEscitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis, &c.

PRAEFATIO.

SEnsus præsentis lectionis, charissimi, est exhortatio ad bona opera, fructus fidei & Spiritussancti, per quæ iustitia fidei consummatur. Salutaris adeò lectio: in qua Hieronymus quæst.1. ad Hedibiam, exclamat, dicens: O quanta beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem. Erubescat & pudefiat hic Euangelista nouus, vsque ad rauin solam fidem succlamitans. Corinthios proculdubiò fidé Apostolus cùm verbis coràm, tum scriptis absens docuit, nec eam in efficacem, nec vmbratili & fumosę similem: sed veram, viuidam, operosam, filiorum Dei. Non tamen cessat identidé illis bona opera sedulò commendare, ipsaque opera bona ritè prædicare, nempe brauium accipientia, hoc est, iustificantia & beantia. Chrysostomus

Opera bona iustificant.

stomus & Theophylactus acriter hic insectantur solius fidei blaterones, acu diceres tangere eos etiam nostrates Luteranos, des lauteren vnd reinen Euangelij, illimis & synceri euangelij. Sic luceat, ait Christus, lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Deum. Nouis nostris apostolis & morum censoribus, quid (per Deum oro) mollius? quid lutulentius? Principium feruere solet. Exordium nouæ sectæ quàm nix & glacies frigidiusculum, quis igni diuino, hoc est, Spiritui sancto, deputauerit bene sanus? Vtinam falsos tandem prophetas attendere inciperemus. Fortè tempus necdum est, replenda fortè iniquitas hæresion & schismaton. Quòd si id in fatis est, solabimur nos Christi verbo Matt. 24. electum è Dei manu rapi posse neminem. Valeant paleæ innumeræ, tritico vel rarissimo saluo, Matt. 4. Vannus Dominica electos frumentum purum tutò conseruabit. Deus suos ab omni iniquitate se immaculatos seruantes, nouit. Vasa domus Domini varia sunt, Rom. 9. 2. Tim. 2. Multi in stadio currunt. Ex duobus vnus assumetur, alter relinquetur. Beatus qui se sic gerit, vt assumi mereatur: & qui sic currit, vt apprehendat. Sensus (si quis aures audiendi habet) huius lectionis est, quod dixi, admonitio ad bona opera, iustitiam fidei absoluentia & coronantia. Sectio tripartita est. Primò Apostolus monet, vt in stadio religionis ita curramus, vt brauium gloriæ adsequamur. Secundò, exemplo suiipsius nos ad castigationem & (vt alibi ait) exercitationē corporalem cohortatur. Tertiò ostendit, cursum eum virtū nostrarum nō esse, sed gratiam diuinam nobis in medio cursu semper postulandam. Hoc verò potissimùm submonet, vbi dicit: Nolumus vos ignorare fratres.

Nescitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Attende diligentiam Apostoli, nos ad cursum religionis hic tribus similitudinibus aptis inuitantis. Prima est cursorum, secunda luctatorum, tertia palæstritarum siue athletarum. Nescitis, ait, de rebus adeò vulgaribus rogitando. Quasi dicat: Proculdubiò scitis. Spectacula fidelibus fugienda sunt omnia: non tamen nesciunt fideles ea heri in ciuitatibus, vbi inter infideles degunt, Ioannes Chry- *Spectacula fidelib. fugienda omnia.*

ſoſtomus in multis locis homiliarum ſuarum, vanitatem eam damnat. Noſtrates hodie Troicum ludum, quem corrupto vocabulo Torneamentum vocant, in nobilitatis periculum & argumentum certum, maximi omnium faciunt. Rectè, qui gloriæ huius mundi mancipia ſunt, mundi nugis nobilitantur. Troianorum ſtemmate ſeſe efferunt, Chriſti corporis extorres. Sunt certamina pleraque ad exercitandam pubem ſaltem inuenta, quæ ſuo loco nemo bonus damnauerit: ſed faſtuoſam pompam quis pius ferat? Quæ huius mundi eſt peruerſitas, ſcandala non fieri non poſſunt: væ per quem. Habet mũdus ſuum campum Martium, habet & ſuam arenam, cuſtodit ſuos ludos & certamina olympica, pythia, denique item obſeruat ſua feſta Saturnalia, Bacchanalia, carniualia, paganalia, & hoc genus alia. Quis vanitates eas mundi neſciat etiam monachus? Quid quòd vanitates vidiſſe tales, homini verè Chriſtiano non obeſt, immò prodeſt? Viderat anachoreta quidam mulierem fuco infectam, auro, argento, purpuraque comptam, Iunonium incedere: ingemiſcere ille & flere. Qui aderant, cauſam flendi rogitant. Reſpondit ille, flendi ſe in mulieris iſtac ſuperbia cauſam offendiſſe, nempe ſuam ſocordiam qui nunquã tanta ſedulitate ſtuduerit placere Domino Deo, quanta mulier illa mundi gloriam captet: neque item ſe ſe pro regno cælorũ tanto ardore militaſſe, quanto mulier ea pro æternæ mortis cruciatibus ſudet. Sic & Iſthmici, Nemæi, Quintilij, Plebeij ac alij ludi viſi, ſpiritualem ſpiritualis admonent militiæ atque hoc contendit Apoſtolus, dicens: Scitis quo feruore in ſtadio huius vaniſsimi mundi curratur, ſcitis quod mereantur brauium: agite ergò currite & vos, quiſque pro ſe perniciter. Non ſolùm ſufficit credere ad abſolutam iuſtificationẽ: curredum etiam eſt in ſtadio, è carceribus magno animo candum impetu, non interiungendum, non reſpirandum, niſi ad ſcopum ſiue metam fuerit ventum. Stadium vocat Apoſtolus campum certaminis, fortè quòd centum quinque & viginti conſtaret paſsibus. Sic accipitur etiam Ioan. 6. 11. Apocalyp. 14. 21. Stadium noſtrum, qui Chriſti nomine cenſemur, eſt Chriſtianiſmus, cuiuſque vocatio diuerſa. Non eſt ſtadium hocce noſtrum no-

Spectacula vana vidiſſe, vt è pio non obeſt.

Stadium curſus Chriſtiani.

mentaneum: sed quoad viuimus, cursus nobis imminet, nempe is de quo dicit: Currebatis bene, quis vobis remoram posuit? Vtinam pudefiat ille quisquis is est. Scilicet egregium Apostolum agit, qui benè currentes, in medio cursu remoratur. Faciunt hoc noui Euangelistæ, solius fidei hæretica prædicatione, brauium, de quo hic agitur, obliterantes, Christum agonothetam, hoc est, retributorem omnium bonorum negantes. Brabion nostrum, est augmentum gratiæ, vita æterna, & meritum maius atque maius gloriæ. Munerarius est Dominus Deus, qui suum in nobis opus coronat. Filij meritum est, & Spiritus sancti ductus, quòd currimus. Sine me, inquit, nihil poteſtis: vtique item sine patre, per quem ad filium peruenitur, vtique etiam sine Spiritusancto, per quem Iesum inuocamus. Brabeuta itaque siue numerarius noster suum in nobis opus coronat. Quale autem opus? Nónne bonum? Per Deum quod peragitur opus, quis hoc peccaminosum, & gehennæ meritorium dixerit? Certus sum, ait Apostolus, meum depositum mihi seruari in illum diem. Fidelis Deus, idem ait, qui non obliuiscetur operis nostri boni, per ipsum facti. Curramus ergò strenui. Ioannes Petro præcurrat, Ioan. 20. Emicet Asahel, 2. Reg. 2. Nemo in vanum currat, Galat. 2. Sirenes hæreticos nouos, nescio cuius Euangelij prædicantes, ne audiamus. Non est solius fidei stadiodromos nostra ampla, sed laborum, disciplinarum & crucis angusta, Matt. 7. violentiam requirit & patientiam, Matt. 11. Heb. 12. Errare in hoc stadio non poteris, quia Christus est via, quam qui tendit, non errat, Ioan. 13. 14. 1 Pet. 2. Nemo in hac via currens, respiciat, Luc. 9. Qui respicit cum vxore Loth, in statuam salis, qua alij quicunque electi excitabuntur, mutabitur. Genes. 19. Luc. 17. Si delassat & viæ angustia & longitudo, recreet spei promissæ & certitudo & amplitudo. Catabrabeuin (sic enim vocat brauium hoc Apostolus Colos. 2.) nemo sibi vel vltra, vel citra ponat, vel poni sinat. Brabeuta spirituum ponderator, metam posuit currendi: idem etiam præmium cursus cuique athletarum suo tempore fideliter & diuite cornu largietur.

Brabium curs' Christiani.

Brabeuta Christus opus suum in nobis coronat.

Opus bonum non est peccaminosum.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi

quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Secunda similitudine luctatoris iterùm Apostolus nos monet, ne in solius fidei fidamus beneficio, operum bonorum merito detrahendo, atque desidendo: memores, nos ad opus vocatos Deo dignum: nec hoc frustrà, magna siquidem præmia sedulò laborantibus promissa. Non audiendi, qui dicunt impossibilia nobis esse præscripta. Est, fateor, periculosum in circo luctari: sed nemo coronabitur, nisi legitimè certauerit. Nostram fragilitatem adiuuat Deus. Credenti omnia possibilia. Amanti nihil difficile, quia fortis vt mors dilectio. Cauendi hæretici, qui ex industria animos athletarum fortium auferunt, partim fatalem necessitatem docendo, partim arbitrij libertatem negando, partim legis impossibilitatem mentiendo. Audiatur hic Apostolus: Ab omnibus vult vt nos abstineamus. Mundus nihil nisi laqueus pedibus stultorum. Cupido excæcat: diuitiæ & voluptas spinæ. Denique diuitię gibbus grauissimus. Agonothetes in nostras manus nobis dedit, nos expeditiores facere, aut mundi plicis nos intricare. Huc facit quod Dominus dicit: Non potestis duobus dominis seruire, Deo & mammonæ, Matt. 6. Item, Bonum semen à voluptatibus & curis huius seculi suffocatur, Luc. 8. Vide, si vincimur, nostra hoc fieri culpa: quia hæreticos audiuimus, Apostolum deprauantes. Deprauant præcepta disciplinę accidiosi & voluptuosi hæretici. Non intelligunt, qui, vt bene operentur, sibi necdùm persuaderunt, homines inconstantes, duplicis animi, ad omne opus bonum inepti. Quare ergò non audimus catholicos interpretes sanctimoniæ laude insignes? Cæterùm & verba Apostoli non sunt obscura. Quid circo & mollibus hominibus? Thersites, Silenus, Sardanapalus, qui nesciunt ludere, campestribus abstineant armis. Aduersarius noster est caro nostra, mundus & diabolus. Hic ieiunio, oratione, eleemosyna & obedientiæ omni disciplina nobis est opus. Hoc luctandi modo, si strenuos nos Christi athletas præstiterimus, indotati nunquàm dimittimur. Tam circus quàm stadium suam laudem & præmia habet. Tá agonistæ quàm cursores coronantur. Militia est vita hominis Christiani in terra, sunt & victori certa constitu-

Abstinẽdo omnibus, liberarbi. iuuatur.

ta præmia. Meminerimus coronarum, quarum aliæ vocabantur ciuicæ, aliæ murales, aliæ triumphales &c. Meminerimus etiã agonotheti fidi iuxtà atq; pij, dicentis:

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit:
Omnibus hic erit vnus honos: tres præmia primi
Accipient, flauaque caput nectetur oliua.

Nos Christus Iesus, nos Pater cælestis, nos Spiritus sanctus ille, cuius bonitas orbem terrarum repleuit, sine præmio in circum vocauerit? Coronæ olympici ludi marcescibiles erant: nostra omni hedera magis magisque virescit. Videre videor Petrum huc respexisse, 1. ca. 5. Euge ne hanc agonothesiam negligamus.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans. Hic Apostolus sese exemplum currendi & luctandi profert, nempe prodromum atque progymnasten. Hic tertium simile infert, in athleta etiam cursorem complectens. Palæstritas Græci olim etiam pyctas appellabant. Palæstra gladiatoria quoque ad ludos ethnicorum solennes pertinet. Vide pie catholice, statũ nostrum, solius fidei non esse rem: gymnasium siquidem desidiosos non diligit neque coronat viros. Lanistarum dimicatio attentionem requirit. Nemo descendit in arenam, nisi exultans animo atque strenuus. Neque item aliquis, vtut strenuus, vel bestiarius, vel bustuarius, vel cuiuscunque tandèm generis lanista, in circum emicat, nisi proposita corona. Vndè colligere est, etiam nostris exercitiis promissa præmia iustitiæ, maioris gratiæ & gloriæ. De prẹmiis nobis propositis habes Matt. 5. 6. 10. 20. Marc. 9. Luc. 6. Ioan. 4. 1. Cor. 5. Et alibi copiosè. Mercedis siquidem vocabulo vix aliud est in scriptura canonica frequentius. Nisi enim talia nostris promissa essent laboribus, ineptè Apostolus religionis nostræ disciplinas, aut cursori, aut luctatori, aut athletę compararet. Atque hoc est, quod ait, non in incertum curro. q. d. Non spem pasco inanem, siue, vt cum Poeta loquar, non ferũt mea gaudia venti. Nostra certè gaudia venti ferrent, si præmia nos aut nulla manerẽt, aut si nobis non satis certa essent. Non absimilis est alia metaphora eorũ qui aëra verberant. Cum laruis quoq; luctari, est aëra verberare. Quid verò hoc esse putandum? Qui spe prẹmij destituti

Fides sola christianissimum non absoluit.

Opera bona iustificant.

aut qui frigidè aliquid peragunt, aëra verberare dicuntur. Apostolus tale nihil fecit, quoniam de mercede laborũ certus, dispẽsator Dei mysteriorũ sedulus & fidelis extitit. Qui verò hoc præstiterit, sequẽtia satis declarãt.

Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Eccè tibi Apostolum progymnasten, quisquis es qui de Apostolo te iactas. Sed cui luctatur aduersario? Nónne diabolo & mundo? Vtique, sed non cum illis duobus hostibus solùm. propior adhuc alius adest, & is quo propior, hoc etiam periculosior. Est autem hostis ille domesticus, nempe caro. Quomodo verò intentat nobis mortem caro? Cùm facit nos illa edere, quæ spiritui sunt contraria. Quod bellum nobis contra hostem illum suscipiendum? Corporalis exercitatio, & omne disciplinæ ecclesiasticæ genus. Audi Apostolum. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo. Dicis, Vtinam & ego hoc præstare possim? Respondeo, Vtinàm & tu hoc præstare velis. Non potes, quia non vis: quia non vis, ergò concionatores dura carni prescribentes, odio prosequeris. Sed vide mi frater, an ne cursus citra puluerem (quod aiunt) fiat, vide ãn ne lucta sudore careat, & gladiatura periculo. Vide cuius rei Apostolum habeas exemplum. Dicis ergò legem Euangelio esse faciliorem? Respondeo, legem ad huiusmodi nos cogere, ad quæ nos Spiritus sanctus spontaneos & volentes inducit, Leui. 16. Non immeritò ergò Apostolus arguit eos, qui plus æquo carni indulsere, Col. 2. Rectè item Rom. 6. monet, vt membra nostra arma iustitiæ accommodemus. Item Col. 3. vt ea occidamus. Item vt veterem Adamum abiiciamus, Gal. 6. Denique vt hoc loco se exemplum talis dat exercitij, sic Galat. 6. dicit se crucifixum. Gal. 5. dicit expressè crucifixionem esse carnis. Denique frustrà hoc non fieri vt hic dicit, sic & Rom. 8. dicit nos victuros tunc demùm, vbi facta corporis mortificauerimus. Ecclesiastes hic porrò obseruet, non semper in excusationem proferri posse hoc, quod dicitur Matt. 23. Secundùm facta eorum nolite facere. Vide quid dicat Saluator Matt. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus. Item Apostolus vult episcopũ inculpatum, 1. Tim. 3. Tit. 1. & in hac epistola, cap. 10.

Caro quo arcte impugnãda.

Episcoporum negligentia culpa non vacat.

Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem spiritualẽ escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberũt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autẽ erat Christus. Rogas vt sibi hæc quæ iam dicta sunt, & hoc quod iam dicitur, consentiant? Respondeo, Optimè. In superioribus Apostolus fideles ad vitam religiosam inducere instituit, eodem tenore etiam hic idem agit. Supra dixit: Sic currite, vt comprehendatis: nam & ego sic curro, vt adsequar, &c. Nunc dicere vult: Nè cogitatio vobis subrepat, Israeliticus populus habuit propicium Deum, quod in ipsum præ cæteris crederent populis, non obstante quod non præstiterint id, quod nos hic præstare iubemur. Quomodo ergo nobis timeamus, *quomodo Deus nobis iratscatur, qui baptizati sumus, & tot mysteria quæ illi non nouerunt credimus & confitemur? Cogitationi tali hic occurrit Apostolus, tanquam dicat: Certum est, maiores nostros clementem habuisse Deum, quod in eum crederent. Adde etiam, quod & baptizati sunt, & eucharistia refecti. Sed neque fides, neque tantorum sacramentorum vsus eos saluabit, quatenus fuerunt irreligiosi. Mala concupiscentia, idololatria, scortatio & murmur illis, vtcunque credentibus, exitio fuit. Pone vnum omnium fidem habuisse, non tamen sinè vita religiosa iustitiæ laudem & beatificationem mereri potuisset. Hæc huius loci natiua intelligentia est, quod vel litera præ se fert. Plurimi, ait, Deo non placuerunt: in deserto quippe interiêrunt. Intellige, quanuis fidem Dei veri & viui habuerint, & baptizati fuerint, & Eucharistia sint vsi. Dabo item omnes in campo Dominico egisse & cursores & pugiles. sed quotusquisque strenuus & pextinax, adsecutus est palmam? hoc est, quod ad promissam terram peruenerũt? Nónne nisi Caleb & Iosue? Nónne alij ceciderunt propter vitia iam recensita? Quid de nobis fiet, fratres, quorũ ingratitudo longè est maior & damnabilior? Illi omnia habuerunt in figuris, & nè sic quidem vllam meruerunt veniã. Heu mihi, quanta nostra est culpa, qui in tanta luce opera tenebrarum facimus? Nobis in exemplum, ait, Israeli*

Sola fides nõ seruat.

*quòd

hoc accidit: putà, vt nos tali exemplo magis cauti, religiosi etiam magis esse, operam daremus. Sic intelligitis, vt sibi cohæreant quod supra dictum est, & hoc quod hic exponimus. Vide catholice lector, quantum absint à vera religione, qui hodiè tantoperè clamitant de Eucharistias specie vtraque, & de sola fide, interim charitatis & eius commoditatis planè obliti. Vtinam miseri hic attendant, etiam patres credidisse, & vtrâque speciem sumpsisse, nec tamen sic constitisse. Patres hic non intelligè ethnicos, illos priscos nostros antecessores, sed Iudæos illos, duodecim patriarcharum genus. Dicuntur hi etiam patres nostri, propter fidei traducem, quemadmodum & pater noster dicitur & est Abraham ipse. Nubes est ea, quæ interdiu patribus ipsis nostris obumbrauit, signum fauoris diuini non obscurum. De nube isthac sic dicitur Exo. 13. Dominus præcedebat eos ad ostendêdam viam in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, &c. Theophyl. Sedulius, & plerique alij per nubem intelligunt spiritum sanctum. Vndè etiam dicuntur spiritualiter baptizati, in mari nempe & in nube. Nubes supra, mare infra. Spiritus illis, hic aqua designatur, vndè verum constat baptisma. Israel vt sicco pede mare transiêrit, vides Exo. 14. In Mose baptizati, non intellige eodem dicendi modo, quo nos dicimur baptizati in Christo, Act. 19. Mat. 28. Moses tam non erat author baptismi, quam Ioannes: non ergò dominus, sed eius sacramenti seruus. Quid ergò, in Mose baptizati, quoniam sic habet textus? Moses hic, quod quidam catholicus nostro hoc æuo scripsit, legem significat. Lex Mosis cuinam referenda accepta? Nónne Deo? maximè. Vndè & baptismum Mosis, Dei fuisse vides: nam & mare Dei fuit & nubes. Obserua, non ociosè Apostolum hîc primo ponere baptismum, postea vero Eucharistiam. Bonus ordo. nemo, nisi lotus, ad mensam panis communis recipitur: quanto magis nemo, nisi baptizatus & verè contritus, ad mensam Dominicam admittendus? Quare autem dicitur spiritualis cibus? Quia mysterium continebat, non minus atquè etiam noster cibus & potus. Adde quòd & spiritualiter est sumendus, & non solum sacramentaliter. Hebræorum cibus fuit mãna, Exo.

Eucharistias vtraque specie sumere, nõ sufficit.

Patriarchæ quoq; vocantur nostri esse patres

Baptismi author nõ Moses neque Ioannes, sed Christus.

Cõfessi & cõtriti, ad eucharistiã accedãt

16.Num.11.Deu.8.Pſal.77.Ioan.6. Potus eorum fuit aqua,quam petra, virga Moſis percuſſa, fudit,Exod.17. Deu.8.32.Nebe.9.Pſal.77.80.104.113.Eſa.48.Vtrinquè noſtra deſignabatur Euchariſtia.vndè Apoſtolus ait,eccleſiæ & ſynagogæ vnam fuiſſe eſcam & vnum potum. Manna non exprimit,ſed petram,non citra myſterium. Calicis ſacri participationem liberam eſſe debere,figura deſignat. Dein & fundaméti Eccleſiæ Petrę libenter mẽtionem facit. Sequebatur illos, quia fides eorum erat de futuris.Nos prȩcedit.quia noſtra fides ſita in p̃teritis.Sic iterum vides noſtrã fidem & Abrahæ,eſſe vnã,Ephe.4. Faxit Deus,opera etiam Abrahæ exprimamus,Amen.

Euchariſtiæ typus

EADEM DOMINICA SEPTVAGESIMÆ,Euangelium,Matth.20.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c.

INDVCTIO.

INter omnia noui teſtam. ſimilia, vix aliud inuenias, quod bonitatem Dei nobis æquè declaret, atque hoc præſens.Munda ſiquidem in hac lectione Dei bonitas denunciatur,qua & bonũ opus Deus haudquaquã,quantunuis modicũ,ſuo defraudat præmio,& qua longè ſupra omne noſtrum meritum, immo etiam ſupra omnem ſpem munificus eſt in retributione boni. Quidquid vltro citroq; in ſcriptura de Dei iſthac munificentia legitur, huc referendum eſſe ſcias. In conſideratione tantæ Dei largitatis, pſallendum nobis cum Dauide rege pſal. 117.Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.Hunc verſiculum libenter replicat pſalmographus,nullo alio nomine, niſi quod Dei bonitatis dulcedinẽ guſtauit.Dicit ergò:Guſtate & videte,quoniã ſuauis eſt Dominus.Et pſa.118.Bellè cãtat *Tob Attha*,hoc eſt,Bonus eſt Dñe.Apud Euangeliſt.Matt.19. Lu.18.dicitur:Nemo eſt bonus,niſi ſolus Deus:hoc eſt, natura,& propriè Deus eſt bon⁹,boni fons,bonus ſupra omnem noſtrũ captum.Sic & ſpũs Domini bonus dicitur Pſa.142.Lu.11.Benignus dicitur Sap.1.bonus & ſuauis,12.Dulcis ſuper mel,Eccl.24.Et verbũ dicitur bonũ Mich.2.Heb 6. In præſenti item lectione dicit:Si oculus tuus nequã eſt,quia ego bon⁹ ſum?hoc eſt,Ego niſi bo-

Bonitatis Dei declaratio.

nus esse non possum, vtut liuor id dolenter ferat. Rectis corde bonus sum, quia hi sentiũt de me in bonitate, sperando in me, atque me quærendo bonum, Thre. 3. Viderint maligni, qui de Domini bonitate malè sentiunt, diuitias bonitatis eius (Rom. 2.) & lõganimitatis contemnentes: hi siquidẽ thesaurizant sibi irã in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Bonitatem Dei recto corde credere, nõ est infimus ad salutẽ gradus. Sed quotusquisque est, qui hunc gradum attingat? Qui Dei bonitatem verbis magnificè extollant, innumeri sunt. Sed peccatori dicit Deus, Quarè tu enarras bonitatem meam, & assumis testamentum per os tuum? Non est speciosa laus in ore peccatoris. Vt igitur semen bonum præsentis lectionis, corde itidem bono recipiamus, nostram primo prauitatem agnoscamus. Audiamus scripturam de Dei bonitate: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Expectat nos Dei bonitas & longanimitas ad meliorem frugem, & ad pœnitentiæ dignos fructus. Qui furabatur, iam porro non furetur: magis autem laboret, vt habeat de suo vndè aliis suppeditet. Discamus in bono malum vincere. Scitum est Germanicum dictum, contra eos qui nos iniuriis afficiunt: Er thut mirs lieber, dann daſz ichs in rheet. Mâlo iniuriam ferre, quam inferre. Quod si sic fuerimus affecti, vel saltem nostram amarulentiam & cordis prauitatem agnouerimus, euangelion bonum optimi patrisfamilâs palato nostro sapere poterit. Nihil enim est quod solam subindè fidem crepamus. Imitatores Christi nos vult habere Apost. Eph. 5. Et Christus ipse dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Atque hæc hactenus.

Simile est regnum cælorũ homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione aũt facta cum operariis in singulos dies denario, misit eos in vineã suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam: & quodcunq; iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextã & nonam horam, & fecit similiter. Præsentis lectionis particula hæc, vocationem domus Abrahæ propriè exprimit. Iudæi siquidem, priores omnium populorum, ad agnitionem Dei & religionem veram peruenerunt: quod biblia

dilucidè oſtendunt. ¶ Paterfamilias, eſt Antiquus dierum, pater noſter cæleſtis, cui nemo vnquam fuit à conſiliis. Οἰκοδεσπότης à ſapientia æterna ritè vocatur, quia ſinè omni creaturarum conſilio, ſuo ſolo nutu omnia gubernat & continet. ¶ Regnum cælorum ſignificat tempus noui inſtrumenti, in quo virtute nominis vnigeniti Dei, verbi incarnati, regnũ diaboli ſubdeuaſtatur, cultus verò Dei paſsim in vniuerſa terra propagatur. Regnum hoc ante Chriſti natiuitatem quidem etiam fuit in hoc mundo: ſed ſolum in Iudęorum populo, idque in vmbra & in ænigmate. ¶ Operarij ſunt homines, per Deum ad Dei imaginem & ſimilitudinem creati, ad faciendam voluntatem eius & iuſtificationem eius in omni tempore. Vndè etiam Rom. 1. dicit gentium doctor, munus apoſtolicum in hoc eſſe datum, vt fidei obediatur inter omnes gentes ſuper nomine Ieſu. ¶ Vinea eſt eccleſia catholica. Animaduertimus diuinæ ſapientiæ ſic viſum, vt ſingularis gratiæ certo myſterio eccleſiam ſuam: vineę frequenter in ſcriptura conferat. Eſa. 5. vocat domum Iſrael vineam à ſe conditam, plantatam, putatam, pedatam, maceria item conſeptam: nec tamen vineam eam labori tanto reſpondiſſe. Iterum aduerſus vineam eam propaginis Iſrael, idẽ ferè dicit Hie. 2. in hæc verba: ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergò conuerſa es in prauum vinea aliena? pſa. 79. dicit ſe vineam eam de Aegypto tranſtuliſſe, gentes diripuiſſe, & plantaſſe eam. Vinæa iſthæc quatenus degenerauit, dulcedinem oblita priorem, beſtiarum terrę deuaſtationi eſt derelicta. Elegit itaque aliam eccleſiam catholicam, quam omnigenis chariſmatibus fœcundauit, ne qua vnquàm ſterileſcat ſiue degeneret. Quod Dominus Mar. 12. ita fatetur, dicens: Vineam plantauit homo, & circunfoderat ſepem: foderat lacum, ędificauerat turrim, & locauit eam agricolis. Vinetum hoc ſiue nouelletũ, nunquam interibit, cùm noui, ac per hoc æterni, teſtamenti opus exiſtat. Verum exoticis ampelis viticulisq; non eſt conferenda, nullum peregrinum ſeminarium aliundè in hoc nouelletum inferendum. Nouit Dominus vitem *Sorech* callicarpõ, vberes, pulchros, dulces, atq; perpetuos fructus proferentẽ: hæc ſaltem traducẽda, nulla aliũdè inſerenda.

Eccleſia catholica typus; eſt vinea.

Vinea eccleſia vinea tes peregrinas reſpuit.

Bestiæ vineæ sunt hæretici.

renda. Sic & Moſes noluit diuerſa ſemina vna ſeminari, Deut. 22. Hinc arcendus eſt aper de ſylua & ſingularis fera, Pſalm. 79. Vulpeculę hanc vineam perfodientes, inſectandę & capiendæ vinitoribus. Beſtię vineis peſtilentes, hæreticos & ſchiſmaticos, hypocritas, phariſæos ſuperſtitione & ſimonia deprauatos, ſignant. Archiepiſcopi & cæteri optimates, huic vineæ prę fecti, qui beſtias eas arcere, abigere, & capere deberent, partim cum vulpeculis contra vineam hanc Domini vulpinantur, dogmatiſtarum nouorum patroni, partim vineæ exterminationem diſſimulant & muſſant: omnes muti canes, cum beſtiis illis ſimile iudicium ſubituri. ¶ Oeconomus eſt Chriſtus, cui pater omnia ſubiecit, quem & omniũ iudicem conſtituit, Act. 10. Quod ſecundum humanitatem eius dictum accipe. Secundum deitatem, conſubſtantialis Deo patri & ſpirituiſancto, ſuapte maieſtate, potentia, patri & ſpirituiſancto cooperatur omnia. ¶ Denarius ſignificat mercedẽ vitæ æternæ, quam Chriſtus verę, hoc eſt, operoſę atque viuentis fidei fidelibus ex ęquo promiſit omnibus. De præmio hoc vide Mat. 5. 10. Luc. 6. 2. Ioan. ¶ Forum ſignificat mundum faſtuoſum, voluptuoſum, rabulis plenum, ocio & vanitatibus ſeruientem, deſideriis carnis & oculorum obnoxium. Hinc oportet ſaluandos abſtrahi, atque in Dei vineam, hoc eſt, in Dei verum cultum induci. ¶ Diluculum, prima, tertia, ſexta, nona, vſque ad vndecimam horam, ſunt omnes ętates & ſecula ante & poſt legem vſque ad incarnationem noſtri ſoteris, quando nimirùm plenitudo temporum & finis venit ſeculorum. Patrifamilias veniã eam maximæ curæ eſſe vides: ſtatim ſiquidem tempore matutino ſiue primo diluculo, pro ſua ea vinea vigilare eum vides, ſtatim exire, & operarios conducere. Hoc eſt, ſtatim à condito mundo, fidem & cultum ſuum mortales, hos prius, illos poſteà, pro ſuo beneplacito & nutu, docuit. Curam eam neque iam poſuit. Vſque modò, dicit Chriſtus, pater meus operatur, & ego operor. Trahit itaque, immò etiam in vineam ſuam pleroſque compellit intrare, hunc iuuenem, illum ſenem, ad opus veræ pœnitentiæ ex hoc ſeculo malo. Cæterùm aurora propriè ſignificat tempus veteris inſtrumenti, patri-

archarum, regum & prophetarũ, in ſumma ſanctimonia & religioſa vita reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti expectantium, Gal. 3.

Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes ocioſos, & dicit illis: Quid hic ſtatis totum diem ocioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Abite & vos in vineam, & quidquid iuſtum fuerit, accipietis. Hoc verbum de vocatione gentium intelligendum: ſerò ſiquidem ethnici ad fidem & cultum veri Dei, è ſuperſtitionum variarum nugis peruenerunt. Religio vera longè anteà fuit quidem in mundo, ſed in Iſraelitica duntaxat gente. Tandem & gentilitati panem, quem filij hæredes in menſa neglexerunt, colligere Dei gratia contigit, donum gratiæ Dei auditu fidei cognoſcenti, & cum gaudio recipienti. Infelices ethnici, tametſi commeruerunt, vt abiicerentur, tamen & nullo ſuo merito, immò contra ſuum meritum immenſa Dei miſeratione aſſumuntur. Moſes ſub typo Cananæorum, oſtendit & Iſrael mera Dei gratia receptum, quanquam Cananæi ſua culpa excinderentur. Atqui Iſraeli, verba Moſis non ſatis perpendenti, oculus nequam ſuccreuit. Legis ſiquidem litera Iudæi ſibi perplacentes, gratiam Dei minus quam pro re, æſtimare cœperunt, ſuis meritis plus nimio tribuentes: gentes, niſi & ad legis literam proſelyti fierent, omnino damnantes. Mare & aridam circumiuêre, vt vnum efficerent proſelytum: nulla alia ratione, niſi vt in carne ethnicorum gloriarentur. Sed nemo voces eorum audiuit, quod non Dei conſilio, ſed ſuo homines vocarent. Maiores itaque noſtri tota die in foro ſteterunt ocioſi, neque ocioſi ſolùm, ſed & curioſi, ſuperſtitioſi, & nugatores vaniſsimi. Tandem ergò in pulchra & beatiſsima vndecima hacce horula, & noſtri Deus miſertus eſt, & nos ſuarum manuum opus clementer agnoſcens, in vineam eam ſuam inducendo. De ſerotina hac vocatione ait apud Ioann. 10. Adhuc alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, vt audiant vocem meam, fiatque ſub vno paſtore vnum ouile. Neque enim Iudæorum ſolum Deus eſt, ſed & gentium, Roma. 3. Deus qui dives eſt in miſericordia, propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos, etiam cum eſſemus mortui per de-

Vocatio gentium.

Gẽtes ſerò vocare.

licta, conuiuificauit nos vnà cum Christo, Eph. 2. Nos qui quondam in carne vocabamur præputium ab ea, quę vocatur circuncisio in carne, quæ etiam circuncisio manibus fit, eramus sinè Deo, spem non habentes. Nunc autem per Iesum Christum, qui quondam eramus longinqui, propinqui facti sumus per sanguinem: atque adeò sic è foro ocij & nugarum, ad vineam Dei veri & sanum cultum sumus vocati, ad fructificandum gloriæ Dei. Vocati, inquam, sumus per verbum fidei & baptismum fieri filij Dei, ad omne opus bonum accommodi. Quòd verò in vespera mundi, in vineam eam sumus adducti, nulla bonis iniuria est facta, immò maxima sumus gratia affecti. Nam quo diutius per idololatriæ superstitionem Deum ad iram prouocauimus, hoc minus ea gratia digni fueramus. Hac consideratione nunc ardentiores operi Dominico instare debemus, vt tardus velocem adsequatur, tardam vocationem in sedulitatis inuitationem arripientes. O nos itaque felices, quod vel tardi vocati sumus. O faustam horam, qua tanta nobis felicitas contigit. Te candido lapillo signantes, omnibus retrò seculis præferimus, teque perpetuò beatã prædicamus. Benedictus quoque Deus, cuius gratia vocati sumus: neque vocantis vocem, neque cultum vineæ abhorremus, sed nostram salutem (vt cum Apostolo Phil. 2. loquar) operari gaudemus. Nunc tandem Dei gratia videmus, nihil tam alienũ esse à salute, atque forum est huius seculi. Quanta verò beatitudo & felicitas in vinea Dei laborantes maneat, in sequentibus clarè nobis declaratur.

Cùm serò autem factum esset, dixit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm autem venissent qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singuli denarium. Merces hic & tempus mercedis, vnà describuntur: vt vineas verum esse quod Apostolus dicit, fidelis Deus, qui non obliuiscitur operis nostri. Vespera adest, nihil mundi præter figuram adhuc restat. Habemus mercedem pactam, superest vt & fortes præstemus operam, cantet & extremos effœtus vinitor antes. ¶ Denarium hic intellige, ipsam beatitudinem, seu vitam æternam. Non est exigua

promissio hæc, nulla humana sapientia, nullus labor, nulla cura eam vnquam potuit indagare. Vbi Plato? vbi Socrates? vbi Porphyrius? vbi Nemroth, Pharao, Nabuchodonosor, Alexander, Iulius, Augustus & omnes ex ordine alij populi & tyranni? Habet eos domus ex illis Plutonia, nec vltrà regna vini sortiuntur talis. Ter maximum itaque prę̃mium nobis est promissum, cuius consideratio imminuit omnem molestiam laboris. Nihil hic nobis arrogamus, videntes verius esse donum, quã prę̃mium siue mercedem. Merces vocatur ex patrifamilias munificentia ineffabili, & non proprietate laboris. Stipẽdium propriè peccati, est mors & inferus: donum Dei, vita æterna. Accedit huc, quod neq; nos sumus qui laboramus, sed spiritus Dei, precioso Christi sanguine nobis partus: vndè suum opus dignũ habet paterfamiliãs, vt id in nobis coronet. Vespera finem mundi significat. Qui sunt Christi, in aduentu eius resurgent: deinde finis, 1. Cor. 15. Nos sumus in quos termini ætatum inciderunt, ibidem cap. 10. Rerum omnium finis imminet, 1. Pet. 4. Messis prę̃foribus est, mors est in ianua, messores angeli falces exacuerunt, Apoc. 14. Iamiam quisque secundum suam sementẽ, vel parcè vel largè metet, Ioan. 5. Mat. 25. ¶ Vocantur operarij, non loquutuleij garruli, non desides & ocioſi, non ostentatores iactabundi. Operarij, inquam, vocantur ad prę̃mium, non autem è foro, non è popinis, neque è speluncis latronum, sed è vinea Domini. Viderit quisque, quîcum degat, videat quid negocij agat. ¶ Redde, ait, denarium: nempe promissum illum de quo Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Salus præmium est promissum. Fidei per charitatem operanti, mortificationi huius seculi, cuius baptismus symbolon est, beatitudo istæc est promissa. Iustitia & sanctitas, Luc. 11. mores Christo digni, Matth. 5. 6. 7. Roman. 6. Galat. 5. labor sunt, huic merces tandem datur, vt pii tandem, id quod crediderunt, videant: quod sperauerunt, accipiant: & eo quod supra omnia amauerunt in terra, fruantur in cœlo. Vespera est requiei præuia, vt requiescant à laboribus suis, Apocaly. 14. cœna magna, Luc. 14. Apocl. 19. cœnatio, Apocal. 3. Vetera transierunt, noua facta sunt

Merces do nũ est Dei duplex.

Operarios requiris vinea Domini.

omnia. Bonus veſper, ſerum beatum, felix quies & grata refectio. Immò & felix labor, cui tanta promiſſa eſt beatitudo, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſſcendit. Annus pro die in pœna. Qui multum habuit in deliciis, plurimum recipiet in tormentis. Idem & vſu venit in præmio iuſtitiæ. Bonam menſuram, confertam, ſuperabundantem dabit nobis in ſinũ. Non ſunt condignæ omnes noſtræ, quas patimur, afflictiones, ad gloriam iſtam. Faxit Deus vt hoc intelligamus. ¶ Incipitur ab vltimis: Omnes ſiquidem patres, qui per fidem bonum teſtimonium promeruerunt, promiſsionem necdum acceperunt: quia Deus melius quiddam de nobis prouidit, nè ſinè nobis conſummarentur. Sunt & in promptu huius loci cauſæ: prima, quia placitum ità eſt patri cœleſti, gloriam filij ſui, nuptias agni magnificare. Secunda, Sic duxit nobis bonitatis ſuæ diuitias commendare, nè quis poſt hæc glorietur niſi in Domino. Tertia, vt hi qui ex circunciſione ſunt, diſcant nè qua ſe gentibus præferant: oculumque nequam, quo Act. 6. Græcos in miniſterio quotidiano deſpexerunt, diſcerent eruere, & abs ſe proiicere: id quod Apoſtolus ferè in omnibus ſuis tractat epiſtolis. Sequitur:

Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent acceptur. Acceperunt autem & ipſi ſinguli denarium. Et accipientes, murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vnam horã fuerunt in opere, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum?

Hic Niſus, ſi tanta, inquit, ſunt præmia victis,
Et te lapſorum miſeret: quæ munera Niſo
Digna dabis, primam meruit qui laude coronam?

Hic plerique impigunt: neque id mirum. Locus enim intellectu eſt perquàm difficilis, cuius genuinum ſenſum ſine catholico doctore aſſequetur nemo. Arbitrari hoc, & maius aliquid ſibi præmij polliceri, hoc ité murmurare, nihil aliud ſibi vult, niſi vt exprimat, Iudæos eos qui Chriſti fidem receperunt, ęgrè ſibi perſuadere, ethnicis, é phanis idolorum tanquam canibus immũdis venientibus, in templo Dei par ius eſſe deferendum: nec vllo modo recipiendos, niſi prius circuncidantur, & legis ob-

Iudæi cõtempſerũt præ ſe ethnicos.

gis obseruationi sese obstringant: atque in eodem iugo, cui ipsi à teneris assueuerunt, vnà cum ipsis sudent. Hunc parabolam clarè vides Act. 10. vbi fratres ex circumcisione murmurauerunt & expostulauerunt cum Petro, quòd ad incircumcisos regnum cælorum detulisset. Tandem verò simulac rei nouitatem audissent, recepta excusatione Petri, Deum de tam stupenda suæ gratiæ gloria magnificauerunt. Sed ne hoc nimiùm de fratribus mireris circumcisis, vide & ipsum quoque apostolorum principem, etiam post visionem eam miraculosam, hac in re nonnihil adhuc cespitasse, Act. 10. Galat. 2. Aestimet aliquis legis onus, perpendat item quanta maceria Moses ethnicos & Iudæos discreuerit: & non demirabitur, eos qui ex circumcisione vocati sunt, hic pertinaces fuisse. Mustum vtribus antiquis non benè conuenit. A seruitute legis ad libertatem regni cælorum peruenire, non est res parui momenti. Prouerbium est: Semel hera, nunquàm domina. In omnibus his attende Dei clementiam, electis omnia in bonum conuertentem. Per murmur hoc, ipsius bonitas cumprimis inclarescit: atq; ad eam dispensationem Iudæis relictum fuit. Iudæi, siquidem supra hoc quòd profunditatem mysteriorum Dei hic addiscunt, & humiliandi se doctrinam accipiunt. Ethnici item contra omnem ἀνανδρίαν hoc est, pusillanimitatem, hic præsentaneum munimen inueniunt. Nisi enim strumam hanc Iudæorum Deus apertè dedolasset, nobisque hulcus ipsum indicasset, poteramus suspicari, nos beatitudinis futuræ plenam fruitionem haudquaquàm Iudæis similem accepturos. Suspicationem eam tædium laboris & bonorum operum non sequi non potuisset: sancti Martyres tanta alacritate suum sanguinem haudquaquàm effudissent. Insuper & Iudæis & ethnicis, ad Christi gratiam vocatis electis, humanarum virium gloriandi ansa penitùs nunc est ablata. ¶ Dicuntur in Ecclesia esse sanctuli, hypocritarum nouorum pessimum genus, qui contra damnationis metum, aliis sua merita ausint communicare: similes illi, qui pellem vrsi, quem nondùm cepit, cuidam coriario vendidit. Tantam insaniam præsens locus potentissimè corrigit. Nam si filiorum patriarcharum, Abrahæ, Isaac &

Electis omnia in bonũ vertuntur.

Hypocrita pessimũ genus hominũ.

Iacob, nihil gloriæ reliqui est in regno Christi, quis barbarus hic glorietur? Declarat hic locus, Deum Adami iuxta esse, atque Abrahami, hoc est, Deum esse vniuersæ carnis: carnem vniuersam, miseram & miserabilem esse massam, indigam Dei gratię. Attende hoc murmur Israelitarum fratrum (quod & nobis & illis tanto bono est) non esse simile oblocutioni illi Israelitarum veterum, eorum de quibus legitur Exo. 15. 16. 17. Numer. 11. 14. 17. Deuter. 1. 1. Corint. 10. Magno malo hæc ipsa murmuratio Israeli fuit in deserto. Hoc verò quod inter fratres noui testamenti exortum est Acto. 11. neque ethnicis, neque Iudæis fraudi fuit. Neque item in oblocutionis liuore perstant, sed patrisfamiliâs sententia audita, silent. Denique nec electis Iudæis dedecori est, quòd plerique eorum & tanta inuidentia & murmure obdurati permanserunt. Permansisse autem plerosque obduratos, ex Pauli epistolis liquidò videmus. Sunt etiamnum plerique de Ecclesia, qui huiusmodi murmur sopitum excitare audeant. sunt autem partim qui in suis ipsorum meritis non solùm fidunt ipsi, sed & alios quoque in eo fidere volunt: partim, qui bonis operibus meritum omne penitus negant. Sed hæc hæreticorum insania, vt piis catholicis nullam infamiæ notam inurit, sic & fidelium eorum, qui ex circuncisione sunt, gloriam non denigrat, si quidam ex illis pertinaces, Deo obloqui pergunt. Ex illorum albo erant pertinaces, sed cum illis non permanserunt. Sic & ex nobis fuerunt hæretici & schismatici: sed superbiæ spiritu tumidi, nobiscum permanere noluerunt. Vtrunque ex scriptura canonica sine negocio euincere possumus. sed non video quare in re omnibus notissima, tempus perdamus. Sanctus Hieronymus ad Damasum Papam multùm sudauit, vt ostenderet etiam affectum & vetustatem eam querulandi, in sanctis viatoribus permanere, maximè cùm hunc in locum incidisset. nos cum simplicibus agentes, hac nostra simplicitate satis sumus contenti. Sequitur:

At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nónne ex denario cõueneristi mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem huic nouissimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi, quod volo, facere in rebus meis? An oculus tuus ne-

quam eſt, quia ego bonus ſum? Acris hæc obiurgatio, argumento eſſe poteſt, quòd paterfamiliâs phariſaiſmum & hypocriſin, omnium malorum caput, oderit. Hæc Petro ſuccenſuere, Paulo multa negocia faceſſere. Verè ne quiſimus oculus, ſibi, quod Dei eſt, adſcribens. Nónne impenſè malus cenſendus ęgrotus, ſibi ſoli medici operam, multis ægrotorum millibus præreptam, vindicans? Deus optimus max. Cananæos ſua ipſorum culpa exterminauit, Iſraeli terram eorum præ cæteris fœcundam donauit, æternam quoque beatitudinem illis per Chriſtum pollicebatur: interim legem dedit, qua eos in ſuo cultu detineret. Eam qui cuſtodiuit, vixit per eam: & in præmium eius curæ, bonis terræ fruebatur. Ad hoc etiã præmium faciunt innumera beneficia, quibus Deus gentem eam affecit, quæ longum eſſet hic enumerare. Inſuper item in nouo teſtamento prærogatiua certa (quod Ro. 3. videre eſt) eos cohoneſtauit: & ne ſic quidem ſatis fecit nequiſsimo oculo illorum. Sed per Deum oro, edãc quid tantorum beneficiorum habent, quod non Dei largiſsima gratia profluxerit? Quid ergò cótra Deum tuũ opt. max. ſuperbis puluis & vmbra? Quòd ſi meritum tibi daretur tuæ iuſtitiæ, eius puta, quam ante Chriſti aduentum, & ſine Chriſto habuiſti, malè tecum ageretur, Ioſ. vlt. Phil. 3. Tit. 3. Sed agè, nunquid circunciſus, abiecta carnis particula, etiam ipſis angelis es purior? Si nõ, quare ergò præputium, id eſt, gentes beatitudinis conſortes habere dedignaris, quas angeli gaudent habere conciues? Solẽ prohibe, ne radios ſuos in exteras nationes emittat: quod ſi nequis, neq; iuſtitiæ ſolẽ remoraberis, quo minùs radios ſuę gratiæ in vniuerſum orbẽ diffundat. Verùm ab Iſraeliticis phariſęis, rurſus ad eos qui fuerunt nobiſcũ, veniamus. Sanctus Ambroſius de vocatione gentiũ lib. 1. cap. 5. hunc locũ cõtra patronos voluntatis (ſic enim Pelagianos appellat) citãs, & grauiter & piè tractat. Ibidẽ etiam denariũ accipit pro ęqualitate beatitudinis, dicẽs: Sub pactione, vitæ æternæ æqualitas ſignificatur. De hac re quoq; Gregorius ſcitè ait lib. dialogorum 4. Multę manſiones ſunt, in quibus & diſtincti bonorum ordines, & propter meritorum conſortia communiter lætantur: & tamen vnum denarium omnes

Hypocriſis Chriſto odioſa.

laborantes accipiunt, qui multis manſionibus diſtinguuntur, quia & vna eſt beatitudo, quam illic percipiunt, & diſpar retributionis qualitas. Locus hic præcipuè etiam damnat Pelagianos nouos, anabaptiſtas noſtrates, Nouati & Luciferi Euangelion è Cimeriis tenebris & è Stygia palude reuocantes. Lapſis veniam negant gratiæ hoſtes, ſanctimoniæ ſuæ plurimùm tribuentes. [redacted]: ſciant nullum opus, quantunuis bonum, etiam martyrium, extra charitatem & extra catholicæ Eccleſiæ pacem factum, ſi non oberit, nihil prodeſſe. Viderint & ſanctuli, qui in manifeſtam hęreſin eam pedibus non conceſſerunt, plùs æquo tamen ſuis fidentes operibus, ne gratię Chriſti exciderint. Audiant quid veritas dicat Matt. 21. Publicani & peccatores præcedunt vos in regnum cælorum. Audiant ibidem cap. 23. phariſaici fermenti aſſertores, idola & paſtores, viuorum & mortuorum iudicem dicentem: Væ vobis ſcribæ, phariſæi & hypocritæ, qui claditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec alios ſinitis intrare. Hic qui ſeſe tangi ſentit, reſipiſcat: qui eius mali vacuus eſt, hunc locum vice antidoti contra malum hypocriſeos virus ſemper ſecùm circunferat. ¶ Sacerdos imperitus hic obſeruet, oculum nequam, ſecundùm Hebraiſmum, inuidiæ habere ſignificationem. Prouerb. 22. Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius. Hebræi legunt *Ra ain*, hoc eſt, cum peruerſi oculi homine inuido. Græci eum βάσκανον vocant. Rurſus ibidem cap. 22. dicitur: Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. Hebræi legunt *Tob ain*, id eſt, bonum oculum habens. Chriſtus quoque ipſe de hoc oculo nequam ſiue peruerſo, ſępe agit Mar. 18. Mar. 9. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c. Matt. 6. Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c. Luc. 6. Hypocrita, trabem de oculo tuo eiice. Luc. 11. Lucerna corporis tui, oculus tuus. Qui legit, intelligat. Si cui mirum videbitur, quòd tam pius paterfamiliàs Iſraeli duriter reſponderit, audiat & eundem non minùs aſperè affatum amicos ſuos Moſen & Iob. Et Chriſtus agnus omnium mitiſsimus. Petrum obiurgans, ait: Sequere me ſatana, [illegible]att. 16. Si contriſtatur quis electorum, bono hoc

Oculus nequam ſignificat inuidẽtiam.

illius fit: cauet enim indè iracundam vocem: Ite vos maledicti &c. Sic & Apostolus contristauit Ecclesiam Corinthiorum, sed ad pœnitentiam & satisfactionem. Si impij contristantur, consolationi ipsi aures suas claudunt.

Sic erunt nouissimi, primi: & primi, nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Primos factos nouissimos, & nouissimos primos, nemo non videt. Gens quæ non fuit Dei populus, Dei filij sunt: & qui filij Dei erant, iam non populus. De reprobis hoc dico, qui neque primi sunt, neque nouissimi. Nã qui sua sorte contenti, in fide Christi permanent, qui ex carnis & legis Mosaicæ prærogatiua sibi nihil pollicentur, qui nihil quod glorientur proferunt, cùm primi tum nouissimi sunt. Hi cum Zacharia Deo super ineffabili gratia ea gentibus exhibita, gratias agunt, dicentes: Visitauit nos oriens ex alto, Vt illucesceret iis qui in tenebris sunt, & in vmbra mortis sedebant. Benedicunt item Deo cum Simeone de lumine, quod in illuminationem gentium & in gloriam plebis Israel emicuit. Hi, inquam, simili nobiscum sorte vnum corpus Iesu Christi regis gloriæ intercedunt. Porrò quod dicit, multos vocatos, paucos verò electos, horribile est. Sic & alibi dicit, Latum iter ad perditionem, multos tendere: angustum ad vitam, perquàm paucissimos. Hæc non de circuncisis tantùm fratribus, sed & de iis qui ex ethnicis sunt Christi, intelligenda esse dubitat nemo. Vides aliud esse, vocari: & aliud, eligi. Hic ne o- *Vocari aliud, & aliud eligi.*
re nostro delinquamus, abstrusa Dei mysteria missum facientes, de iis saltem, de quibus nobis differere licet, dicemus: nempe hoc: Vnusquisque in ea vocatione, qua vocatus est, maneat, 1. Cor. 7. Ambulet tamẽ dignè Deo, qui se ad eam gratiam vocauit, 1. Thess. 2. Hic audis vocationem, audis & dignitatis vocatorum mentionem. Dignitas hæc electio est, de qua dicitur etiam Ioan. 15. Elegi vos, vt eatis & fructum afferatis. Ibidem: Ego elegi vos è mundo. Eccè tibi simplici & certo differendi vtimur genere: nihil hic sophismatis, nuda hic scriptura. Argentea euangelij buccina, simplici sono nos de somno mortis excitauit omnes, vt in die honestè ambulemus. Honestas ea, est electio ipsa. Nostra non est, sed

Dei. Apparuit, ait Apostolus, benignitas & gratia saluatoris nostri erga nos. Si gratia, non iã ex operibus: alioqui gratia non erit gratia. Vocati multi, immò vocati omnes. Qui autem electi? Nunquid qui catechizantur, omnes? Nunquid qui baptizantur, omnes? Veritatem audi: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis. Eccè tibi fructũ afferre, electionis esse argumentum. Sic & Apostolus ait: Apparuit gratia & benignitas seruatoris nostri, erudiens nos, vt abnegata impietate & mũdanis desideriis, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo. Audi & Petrum 2. cap. 1. Satagite, vt per bona opera vocationem vestram certam faciatis. Quid nunc porrò desideras? Gratia elegit te, eadem & bona opera tibi in symbolon dat electionis. Charitas est, qua electi à reprobis discernuntur, Ioann. 15. Qui in charitate manet, in Deo manet, & Deus in eo, 1. Ioan. 4. Et hæc est charitas, vt mandata eius custodiamus, Ibidem cap. 5. Et qui seruat verbũ eius verè, in hoc est charitas, Ibidem. Iam luce clariùs, quæ electio sit, quæque vocatio, audistis. Solidum hoc fundamentum stat, habẽs signaculum hoc: Nouit Deus qui sint sui, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomẽ Christi. Dicis: Christus duodecim elegit, & vnus ex illis fuit diabolus: ergò & electio Dei certa non est? Minimè. Diabolus est Pelagius, Aëtianus, Iouinianus, oculo nequam humilitatem columbinam matris ecclesiæ deridentes. Diabolus est Iudas & Simon magus, gratię Dei venditores & emptores. Stat solidum adhuc fundamentum, Deum nosse suos, omnes qui discedant ab iniquitate. Augustus perpetuò & integer est numerus electorum. Non video, qui doctrina electionis simpliciùs tradi possit. Hanc non potui nõ hoc loco depromere. Nã qui multis ad religionẽ adhortantur, & non tradunt eã: similes sunt iis, qui lucernã pmungunt, nec infundunt oleũ. Nunc itaq; post doctrinã electionis & vocationis, paræneſios locũ esse puto. Sed quia longus fui in doctrina, breuior ero in parenesi. Audistis electionis argumentum & periculum esse, manere in charitate. Agite igitur, cõsiderate tẽpus breue esse, finem seculorum instare: iam tempus esse acceptabile: iam propiorem nobis nostram esse salutem quàm credimus.

Electorũ argumentum.

Dies horas habet 11.12. (quę à Christi natiuitate propriè incepit) pręteriit: 12. instat: vespera, in qua Dominus sicut fur, veniet, imminet. Simus ergo misericordes, vt misericordiam consequamur. Pietas ad omnia vtilis est. Nę errant sacrificuli nostrates, huius laudis sacrificij obliti, hecatomben Missarum Priuatarum constituentes. Misericordiam vult Deus, non sacrificium, Matt. 9. Os. 6. Vide igitur cęce nobilista. cęce domicelle, vt barbaros barbaro, atque adeo illos digno, nomine vocem: vide, inquam, cæce publicane & mercator diues, vide cui duci fidas. Quotidiè domi tuę priuatum tibi sacrum & sacrificum virum conducis. Vide, iterum dico, quo authore id facias. Et quarè te Ecclesiæ, instar leprosi hæretici, subducis? Quid catholico homini cum lararío? Cæterum etiam nequidquam cum Ecclesia, sinè misericordia, communicas. Qui manet in me, ait Christus, ille manducat me. Hæc de catholicis. Hæreticos, qui seipsos excommunicant, & exemplo Iudæ Scariothis, sibiipsis manus inferunt, anathema esse Deo, quantum debemus, dolemus. Faxit Deus, conuertantur & resipiscant. De horis diei 12. nūc quoquè rudes admonitos volumus, in Syria diem quemcunque, cum æstatis tum hyemis, in 12. similes horas olim fuisse diuisum: primam, auroræ: duodecimam, vesperæ fuisse deputatam: relinquas, à prima vsque à duodecimam, pro diei longitudine siue breuitate, longas breues ve extitisse: longiores æstate, breuiores hyemè. Pari ratione & noctem brumali tempore in 12. longas horas fuisse dissectam, æstiuo in breuiores. Huiusmodi sectionem Plinius iunior in Italia quoque fuisse commemorat li. epist. 9. Ventribus nostratibus Deus & homines tempora nequidquam distinxerūt. Diem enim sibi vertunt in noctem. Manè surgunt ad congerendas carnes, & ad sectandam crapulam, bonarum horarum pessimam iacturam facientes.

Misericordia nobis præcipuè cōmendata est.

Horarū diei ratio.

Quadrat in eos hoc Martialis in Acerram:

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Verum vt cum electione hanc orationem claudamus, præmissa, in epilogum paruulū complexa, cuiq; pio cōmēdata volo. Primum cuique videndū dico, vt in vinea,

hoc est, in Ecclesia catholica, se contineat. Secundò vt in ea ipsa tot egregia exempla omnium disciplinarum diligenter attendat, & sequatur ardenter: In gloriam Dei omnipotentis, Amen.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE, Matth. 20.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, &c.

Expositio mystica penitus est.

¶ Mystici sensus lectio.

1 *Vinea, id est, ecclesia militans, à mundi exordio fuit vtique visibilis.*

2 *Factores, & non solius fidei iactatores, requirit: opus enim meriti causa ponitur in ecclesia.*

3 *Meriti ratio non ex operare operarij, sed ex gratia spiritus sancti, operandi tribuentis virtutem, est æstimanda.*

¶ Expositio.

1 *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias. Ecclesia ex Aegypto est translata. Vmbra eius operit montes, & arbusta eius cedros Dei: extendit palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius, Psal. 79. Vinea, inquam, à loco vberi, Esa. 5. Quis hanc ecclesiam, nisi hæreticus, non videat?*

2 *Conuentione autem facta cum operariis, &c. Factores requirit: quia tota virtus ecclesiæ consistit in vita religiosa, Mat. 7. Iac. 2. Saluatoris item verba sunt clara, dicentis: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet, Ioan. 15. Item Ezechiel. 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus? Sequitur: Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus. Adeo omnis vsus vitis consistit in fructu. Facit huc, quòd maledixit Dominus ficulneæ, fructus non habenti, Matth. 21. Praxis, Dionysio est potissima pars Christianismi.*

3 *Voca operarios, & redde illis mercedem. Palmitem ferentem fructum putat Dominus, vt copiosius fructificet, è claritate in claritatem, è fide in fidem, Ios. 1. Fructus vineæ Seir vitis lætificat etiam deos. Absit hic locus nequam.*

¶ Moralis sensus.

Vocamur per horas, etiam moraliter, ad fructus dignos pœnitentiæ, sic vt prima significet pueritiam, tertia adolescentiam, sexta iuuentutem, nona senectutem, vndecima horam mortis, in qua latro primus accepit præmium beatitudinis.

DOMINICA IN SEXAGESIMA,

Epist. 2. Cor. 11. & 12.

Libenter sufferetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes, &c.

PRAEFATIO.

Vulgus temere doctores recipit vanos, de se bene meritis ingratum.

NEmo moueatur, si audiat hic Apostolum paruam gratiam cum Corinthiis suis iniisse. Non est discipulus supra magistrum. Attende quæ Domino Iesu in Iudæa sua euenerunt. In propria venit, vt Ioannes ait, & sui eum non receperunt. Veri apostoli non nisi multo labore euangelizant. pseudo magnum semper populi merentur plausum: quia quæ plebi placita sunt, loquuntur. Corinthij pro ingenio vulgi, tantum apostolum etiam adhuc superstitem, signis & omni virtute potentem, longè vilissimis homuncionibus posthabuerũt. Sic & vulgus maledictum hodiè monachos exititios, homines bis periuros, & hoc genus fæcis mortalium, vniuersę beatorum turmę prętert. Mirum non est, quod catholicos quoscunque sacerdotes extrudunt, & de ecclesia esse negant, ipsi repentè nouam Ecclesiam sę arbitrantes, cùm etiam beatos omnes de possessione Ecclesiæ præsumant expellere. Mentior, nisi expellere sit, professionem catholicam supprimere, & partim alios sacramentorum administrandorum ritus comminisci, partim ipsa sacramenta penitus abrogare. O dolorem cordium piorum. O scandala hominum superborum. O quanta supplicia manent eos, vel quorum negligentia huius mali occasio est nata, vel quorum negligentia huic malo non obstitit. Vtinam tanta scandala Iudæos & ethnicos lateret. Pessimum omnium malum vel inde esse putamus, quod Ecclesia & Christi nomen, etiam ipsis ethnicis & Iudęis fit risus. Sed hęc omnia Domino Deo, suo tempore corrigenda, committamus. Nos hic Apostolum ipsum pro nostro officio interpretemur. Lectio sic diuidi potest: Primo reprehenduntur Corinthij, quod pseudo apostolos recepissent. Interim etiam pseudo importunitatem retexit. Secundo necessario laudis suæ præconio æque pia prædicatione suam declarat studium. Tertio, cohortatur vt carnis afflictiones patienter feramus.

Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapiẽtes. Scripturus aliquid ad Corinthios, quod sibiipsi non admodum probabile videbatur, principio eius caput ipsos Corinthios constituit. Dein etiam non Dei, sed humanum verbum esse dicit, quod aliqua ex parte improbari possit. Vndè & supra dixit: Quod iam dico, non secundum Dominum dixerim, sed iuxta insipientiam, puta humanam. Item, sufferte & me gloriabundum, tanquam insipientem, vt & ego paulò glorier. Item: Quoniam multi iuxta carnem gloriantur, & ego me commendabo. Hæc omnia sic accipienda: Pseudo apostoli illi qui ecclesiam Corinthiorum ita conturbarunt, sui ipsorum insignes erant buccinatores, veri Thrasones, adeo vt sesquipedalibus illis iactabundis verbis Corinthios planè dementatos, à diuo Paulo alienassent. Apostolus videns sibi pseudo præferri, idque nulla alia ratione, nisi ostentatione & iactantia, nec se grauitate & vera sapientia diuina quidquam proficere, persuasit sibi cum stultis stultè loquendum, quod sapiens etiam monet, vt sua illis stultitia fiat manifesta. Vult dicere: ✱Corinthij mei, miseret me vestri, qui eo dementiæ perueniſtis, vt Euangelion Christi secundum iactantiam pseudo accipiatis prophetarum. Suffertis stultorum vim sese cantantium, idque tamen citra meritum: quid igitur mihi supereſt, nisi vt & ipse me commendem, sed citra mendacium? Qui seducti estis mendaci aliorum gloria, ab errore videmini reuocandi vera & nulli non tota laborum meorum gloria. Videmini vobis sapere, & sapientis est, stultos nugigerulos sufferre, quod si verè estis prudentes, cauete dum, insipientem me veridicum temnatis. Sed & ironia acerba quædam ineſt verbo, Cùm ipsi sitis sapientes.

Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit. Hęreticorum hoc proprium est, alios in suas leges conficere, hoc est, in aliorum conscientia regnare velle. Grande quidé hoc crimen, & fere incredibile dictu. Sed nónne sibi in alterius conscientiam est sumere imperium, qui nullius cedit sententię, qui sua somnia omnibus obtrudit tanquam certa oracula? Nónne alios sibi est subigere, nouas ordinationes diuinorũ comminiſci priuatos laicos, consules atque principes, atque eas vniuerso clero obtrudere, at-

Stulto sed studiũ stultitiã suam aliquando respõdendum.

Hæretici omnẽ sese vulgo vendicant.

que clientes quoscunque sibi obstantes extrudere? Denique & hoc omnium vt est certissimum, ita etiam omnium est grauissimum, etiam ipsos diuos sibi substernere. Substernunt autem suis pedibus etiam ipsos diuos, qui vel confessionem catholicam eleuant, aut receptas Ecclesiæ primitiuæ ordinationes antiquant, aut nouas nænias atque nugas succenturiant: quod hodiè nostrates faciunt Luterani. Nónne hoc etiam est aliorum fidem sibi sub iugum mittere? Sic hæretici in carne & in mentibus aliorum sibi gloriam quærunt. Gloria hæreticorum est: Ille princeps, dux, comes, illa natio, illud municipium, nostrum Euangelion recepti. Numerus fratrum nouorum euangelicorum in immensum crescit. Iam nulla nobis poterit potestas obsistere. Dij sumus. Tytannidem hanc Apostolus hic taxat, & quasi submonet Corinthios, vt in libertate ea, in quam eos Christus asseruit, maneant.

Si quis deuorat. Vnum omnium perpetuum est hæreticorum ingenium. Vide, qui oculos videndi habes: qui aures audiendi habes, audi. Nónne catholicę professionis patres, sancti martyres, confessores, virgines & continentes, sua omnia vel ecclesiæ vel pauperibus eroganda, vel alias in Dei gloriam & ecclesiæ vsum expendenda reliquerunt? Nónne omnia huius mundi gaudia, conuiuia, luxum, pompam & cætera hoc genus vaticinatum, tanquam præsentem pestem, fugerunt omnia? Nónne sancti canones clero paupertatem, parsimoniam & omnem honestatem actuum & vestitus præscribunt? Dic quæ mundi pompa nouos non habeat euangelistas. Simias quis non videat mundi, nouos noui euangelij apostolos & apostolas? Quod torneamentum, quis circus, quæ comessatio fit, cuius noui apostoli capita non existant? Ventres ollares, prædicatores pauci, expulsis tot milibus monachorum & sacerdotum, ipsi subindè sibi omnia rapientes, quo plus possident, hoc plus postulant: quo plus illis datur, hoc plus penuriam suam murmure perpetuo lamentantur. Auspicia hæc tanta, heu mihi, quantos minantur exitus?

Hæretici sua non relinquunt pauperib⁹ aut ecclesiæ.

Hæreticis satius est

Si quis accipit. Si quis vobis accipit. Vobis adiectum, emphasin præ se fert. Nemo emphasin illam intelligit,

rapere, quã dare.

nisi is cui incumbit hæresios dogmatistas alere sanguisugam citius repleueris & saccum pertusum, quam tres eos nouos euangelicos fratres. Mirum quam primo de paupertate disputârint, quam auaritiam cleri catholici taxarint. Sed mox vbi auditoribus imperium imposuerunt suum, nihil illis est satis. Et tanta est miseræ plebis cęcitas, vt necdùm sibi fucum factum sentiat. Sentiet propediem maiori malo. Si legas si quis vobis accipit, lectionem efficies vehementiorē. Vobis, enim sic emphaticè efferendum.

Hæretico rum proprium est superbire.

Si quis extollitur. Hæreticorum hoc quoque proprium esse, supra in principio huius lectionis Apostolus adumbrauit, & nostra hęc tempora egregiè declarant. Confer, per Deum oro, ecclesiæ priscæ orthodoxæ patres, nouæ sectæ huius authoribus hæresiarchis illis & prædicantibus, & videberis angelis lucis angelos composuisse Tænarios. Tulit Corinthiorum ecclesia Moabiticum hoc supercilium. & nostrates huius tempestatis pseudoapostoli, semidei apud rudem plebem habentur.

Hæretici conuiciatores.

Si quis in faciem vos cædit. Prouerbialis locutio, In faciē cædere, pugnos ingerere &c. non est semper verberibus, sed & verbis amarulentis & calumniosi aliquem pultare. Qua in re hæretici palmam ferunt. Nostrates hodie eius rei exemplum sunt non obscurum. Quid eorum scripturæ? quid picturæ? quid psalmi? quid poemata? Nónne meræ calumniæ? Pulpita eorum nihil nisi creberrima crepant maledicta. Papistas vbi ad nauseam vellicauerunt absentes, tandem etiam principes catholicos, reges & ipsum quoque imperatorem sugillant. Denique item consectaneos suos, si quis dogmatistas ipsos vel verbulo aliquo offendit, acerbissimè è suggestis carpit. Adeò nouum euangelium nihil aliud est, quam verissima vituperatio: noui item recentis euangelii concionatores & prædicatores, insignes sunt calumniatores & sycophantę. Quod tunc demum verè perspexeris si animaduertas, quibus sese Lutherani & Zuinglianī, quibus vtraque secta anabaptistas suos prosciderunt conuiciis. Fax calumniarum inter Lutheranos & Zuinglianos accensa, catholicorum principum metu non nihil torpes-

cere cœpit. Eodem adhuc tenore vtrique miserabiles obstrigilant anabaptistis. Lutherani potissimum hic sese strenuos exhibent, huius tempestatis errorum authores. Putãt se suam sic abluere posse hæresiôn infamiam. Hęc omnia hodie cæca perpetitur Germania, vera Corinthus. Sed ad apostolũ redeũtes, obseruemus hic tres Apostolum hæreticorum recensere importunitates. Prima, magniloquentia iactabunda: Secunda, tyrannis: Tertia, læmargia siue catillatio. Dein item obseruemus non tam pseudo hic arguere Apostolum, quam Corinthiorum ignauiam, omnia hæc sustinentium. Vulgi hoc est proprium, errores suos in suam ipsius perniciem fouere.

Germania vera corinthus est.

Secundum, ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. Verba hæc pertinent ad sequentia, n ẽpe ad locum eum, vbi sese prædicare incipit. Præcastigationem hic pręmittit, qua potestatem inuitum sese laudare. Vnus sensus est, cum eo quod suprà dixit, se non loqui secundum Dominum, sed secundum insipientiã. Attende quãta cura caueat Apostolus propriè laudis, vt meritò possit insimulari criminis. Conferto nostrates euangelicos fratres nouos Apostolos, & videbere nescio quem cui contulisse. Adeò nostrates sinè ore & fronte sese perpetuò laudant, & neminem arguunt, nisi eorum importunitati non subscribentes. Ignobilitatis vox significat illiberalitatem vernilem, qualem Comici in parasitis, lenonibus & seruis, Gnatone, Sannione, Phormione, Dromone, Dauo, Syro, Geta, & aliis adumbrant. Tanquam nos infirmi fuerimus, hoc est, quasi neq; ego, neque vos simus qui sumus. Infirmum esse vel fieri, variè accipitur ab Apostolo. Hic accipit pro eo, quod friuolum est & nullius momenti. Quasi dicat: Vos Corinthii olim fortes pueri estis facti ridiculi, & ego puerascam propter vos, loquar vobiscum pueriliter & illiberaliter, hæreticorũ ritu me laudando &c. Sensus iste iuxta textus analogiam videtur mihi esse simplicior. Per me quiuis simpliciorem protulerit. Chrysostomus inter veteres literæ propius accessisse nobis est visus. Nunc Apostolum porrò audiamus.

In quo quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego. Hic

Tam propria vernilia.

iam quarto veniam precatur, vt & suæ laudis præconiatur, subindè iactationem eam illiberalitati deputans. Perlege hæreticorum nostræ tempestatis syluam librorum, & vix vnum locum reperies, in quo suam gloriam ità ipsi extenuent. Hæresiarcharum nostratium quidam scripsit, supra fidem superbè, nullum omnium catholicorum pontificum, regum, principum, sacerdotum & laicorum, dignum esse, qui suorum illi calceamentorum corrigiam soluat: quantum ad sanctimoniam atque religionem pertinet, ceruisiæ bibulus, nepos, ganeo, inter pergræcandum Pogium æquans, infacetus, bonas horas cant[illegible]nis & citharæ tactu malè prodigens, periurus: cucullam, professæ religionis symbolon, qui reiecit, qui post continentiæ votum, sanctimonialem prætextu coniugij inceſtauit. Denique qui nulla alia in re aliquid religionis vnquam designauit, nisi quod creberrimis calumniarum & blasphemiarum chartis totam ecclesiam irrequietauit, cœlum terræ miscendo: immò per quem tota religio penè pessundata est, se de religione tã topere audet iactitare, vt etiam neget aliquem omnium catholicorum, dignum posse inueniri, qui ei ligulas calceamentarias laxet. Nescias, vtrum homo ille magis insaniat, an tota Germania tam portentosi hominis adorans blasphemias. Summam hominis impostoris laudum audistis, edere, bibere, ludere, bouinari, &c. Nunc etiã prædicationem audiamus Pauli.

Nobilitas carnis nulla.

Hebræi sunt, & ego. Succurrat hic, quod suprà dixit quater, nempe se secundum ignobilitatem loqui. Q. d. Pseudo iactant se esse sanguinem Abrahæ: mundus, quę eius est ignauia, carnis ortus nobiles magnificat. Ineptiendũ ergò cum ineptis & ego mihi ducens, Hebræum primò me quoque esse glorior. Catholice pie, caue hũc locum aliter accipias, atque ab Apostolo est prolatus. Cæterum neque Hebræum esse, est aliquid, neque Romanum, neque Athenienſem. Periculum perditionis certissimum inest iactantiæ. Ex Deo natum esse, saltem est gloriosum. sed ex Deo natus non est, etiam si quis hic insolescat.

Israelita sunt, & ego. Quod si magnifica est gloriatio, esse I[illegible]aelitam: eccè tibi & ego sum Israelita. Israel, siue

Iacob(quod puto vos non ignorare)filius erat Isaaci. Sed quoniam duodecim filios,ex quibus duodecim tribus sunt natæ,genuit,omnes tribus Iudęorum,Israelitę dicuntur.

Semen Abrahæ sunt, & ego. Articuli hi tres,idem omnes exprimunt, nempe Apostolum fuisse Iudęum æquè atque pseudoapostolos. Abraham Israelis fuit auus,vndè omnes qui fuerunt Israelitæ, fuerunt etiam semen Abrahæ. Abrahæ fidem & religionem sequi, adeò non est vituperabile, vt ne ipsi quidem Iudęi id possint carpere: sed se citra talem imitationem de semine Abrahæ efferre,quanti sit criminis, Dominus docet Ioan.8. Vide quanta sit stultitia, né quid acerbius dicam, nobilistarum, qui cum se de natalium suorum stemmate multum iactitent, atria sua, immò etiam ecclesias & basilicas omnes imaginibus maiorum suorum arctantes, nihil religionis habent, quod exempli causa imitandi rudibus possint ostentare. Quo loco Apostolus splendorem suæ stirpis, quæ sinè omni controuersia, omnium fuit antiquarum antiquissima, habuerit, vides Philipp.3. *Nobilitas carnis nulla.*

Ministri Christi sunt, & ego: vt minus sapiens dico, plus ego. Primo argumento gloriationis,quo mundus adeò afficitur, expedito, transit ad aliud, quod per se ter maximum est,modo sit verum.Seruum esse Christi,solùm est glorioſum: sed nec in verbis diaconatus ille situs est, nec iactantia.Sectarum authoribus Apostolus hic argumentum gloriationis confutaturus, & ipse gloriari incipit,sed cautè & admodũ circunspectè,nè suam gloriã apud Deum amittat. Minus sapiens, ait, plus ego. Vas electionis à Domino Deo vocatus, Gentium doctor ab ipsis Apostolis designatus, suam eam gloriam, quatenus ad suam ipsius prædicationem attinet,insipientiam vocat. Seruos sese Christi obserua solere vocare, qui Antichristi fœdissima sunt mancipia. Apostolus eos hic vocat secundum titulum, quem ipsi sibi vendicauerunt. sic & nos nostrates hodie vocamus Euangelistas & Apostolos &c. non quod eos tales esse fateamur,sed vt iuxta eorum ineptias, ineptè quoque ipsi loquamur. Cæterum Apostolus aliâs expressius dicit: *Seruũ esse Christi,sine est gloriosum.* *Seruos se christi,mã cipia diaboli mentiuntur.*

Pseudo sunt apostoli, operarii maligni, Apostolorum personas sumentes, immò etiam angelorum lucis. Sic & nos nostrates demum propriè hæreticos appellamus, quos schematicè iuxta eorũ stultitiam, Euangeliços aliquando etiam appellare solemus.

Labor catholicorũ durabilis, hæreticorũ caducus.

In Laboribus plurimis. Hæretici labores suos etiam proferre solent, quasi catholici soliti sint acedia perdere tẽpus. Aestimentur S. patrum manipuli etiamnum permanentes, & videbuntur non ociosi desedisse. Sic nũc opus eorum pro ipsis respondeat. Suis quoque temporibus, quod contra hæreticos gloriarentur, habuerunt. Pseudo oleum & operam perdunt, fructus eorũ non potest manere. Nec itaque laborantes, nihil exigunt. Et reuera non laborant, nisi vbi non oportet. Apostolus de labore suo dicit & 1. Cor. 15. Gratia eius in me vacua non fuit. plus enim omnibus laborauit: non tamen ego, sed gratia eius in me. Cæterum & manibus laborauit 1. Thessalon. 2. Acto. 20.

Hæretic⁹ christimartyr esse nõ potest.

In carceribus abundantius. Quis hæreticorum vnquam in carcerem est coniectus, nisi propter insigne aliquod flagitium? Viuunt latrones, & capite plexi, volunt adorari martyres. Si qui cædes & cruentas simultates, & hoc genus facinora, neque excitauerunt neque commiserunt: certè digni supplicia sua passi sunt, quod præfracti admoniti suorum errorum, ecclesiam audire noluerunt. Superborum illorum gigantum superbia, in perunm (vt cum Poëta loquar) erumpere solet. De carceribus illis Apostoli vides Act. 16.

Martyrii hæreticorũ, supplicii est, non martyrium.

In plagis supra modum. Si percutiantur hæretici, supplicium est, non martyrium. Vndè quo plus suas ostentant cicatrices, hoc sua facinora plus manifestant. Gloriola verò omnium sanctorum pontificum, quæ ab hæreticis illis irrogata sunt, stigmata: quia pro orthodoxa veritate ea susceperunt.

In mortibus frequẽter. Sæpius dicit se egisse animam, aut propter labores varios & multos exantlatos, aut propter plagas & incarcerationes. De hac re sic legis 2. Cor. 1. In Asia supra modũ grauati fuimus supra vires, adeò vt desperauerimus etiã de vita. Act. 14 vides vt ad mortẽ lapidibus percussus sit. Agonias item suas recitat 2. Cor. 6.

A Iudæis

A Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepi. In lege Mosaica cautum fuit, ne Iudæi reo supra quadraginta plagas darent. Quadraginta eas permissas Hebræi vocant *Arbaim*, vndè iuxta hebraismum eum Apostolus tessaraconta absolutè protulit. De quadragenis illis vide legem Deut. 25. Obserua superstitionem phariseorum, vide superabundantem iustitiam Iudæorum. Alibi addunt legi, hic demunt. Sic erat eorum ingenium, vt gratiam sibi habendam censerent, quoties etiam insontes percutiendo, vna minùs quadraginta plagas dedissent. Apostolus hic numerum plagarum recensens, fidē meretur. Chrysostomus, Ambrosius, Sedulius, Theophylactus sic de legis præscripto intelligunt.

Ter virgis cæsus sum. Gentes Apostolum semel virgis dissidisse legis Act. 16. In Philippis Macedoniæ hoc gestum. Aliæ duę verberationes memoriæ traditę non sunt. Hęretici huius tempestatis nihil recipiunt, nisi quod biblicis sit commissum literis, ergò & Paulus illis sub Nerone decapitatus non est. Neque enim hoc articulus est fidei. Articulus verò fidei est, Petrū nunquàm fuisse Romæ. Vt mentiatur ecclesia, & vt hallucinentur Tertullianus, Irenæus, Augustinus, Ambrosius: & omnes qui hoc & ingenuè fatentur, & posteritati suis tradiderunt scriptis. Luterani soli veridici vates habeātur, etiam delirantes.

Semel lapidatus sum. In Lycaonia hoc est gestum, quod vides Act. 14. Non quidem (vt Stephanus) vsque ad mortem lapidibus est obrutus, sed parùm à morte abfuisse ibidem vides. Obserua potentiam dexterę Dei nusquàm præsentiorem, quàm in sanctis. Quod si tibi persuaseris, non statim mendacio deputabis, si quæ mirabilia fama de sanctis loquatur. *Mirabilis Deus in sanctis suis.*

Ter naufragium feci. Vnum naufragium Apostoli item literis est commendatum, Act. 27. Vide multa esse facta per Apostolos & alios discipulos, quæ non sunt literis tradita: non ergò statim tanquàm mendacium reiiciendum, si quid patrum relatione posteri fideles dixerint.

Nocte & die in profundo maris fui. Hic ferè sudant interpretes omnes. Nihil adhuc definitū. Sunt qui intelligunt Apostolum cum cæteris sociis naucleris nychthimerō,

hoc est, nocte & die in maris voragine laborasse, crebris fluctibus adeò delassatum, vt etiam de sua omnes salute desperauerint. Alij dicunt Apostolum naufragum nocte & die subter mare stetisse, & vitam virtute conseruasse singulari Dei. Fortè & hoc patrum ecclesiæ traditio est certa. Sunt multa eiusmodi in ecclesia, quæ hodie fidem apud plurimos amittere incipiunt, quia hodie gloria Dei in sanctis non adeò est illustris. Prior ætas ecclesiæ huiusmodi plurima identidem vidit: vndè talia credidit, putà quæ vidit, & ex fide dignis relatoribus audiuit: nos indigni qui talia videamus. talia non videntes, omnia eiusmodi quæ fama celebrat, vanitati damus.

In itineribus sæpe. O perpetuis temporibus cantabiles hodœporias, hoc enim vocabulum hoc loco habetur. Vir quidam Dei, peregrinationes Apostoli, vti primò è Damasco Solymas, indè Cæsaream Philippi, indè Tarsum, indè Antiochiam, & indè rursus Hierosolymas, indè rursus Antiochiam, & posteà in Cyprum &c. diligenter conscripsit. Ex descriptione ea liquescit, Apostolum totam Asiam peragrasse minorē, indè peruenisse in Europam, indè totam penetrasse Græciam, rursus in Syriam rediisse, indè Romam aduectum. In epistola ad Romanos, promittit se etiam visurum Hispaniam, cap. 15. Negant noui euangelistę Romanos syncerum euangelion audiuisse. mirum ergò non est, eius ecclesiæ filias, Hyberniam, Gallias, Germaniam, adhuc ab integro euangelizandas scilicet per tam illuminatos nouæ sectæ Apostolos. Sic etiam adhuc restat per illos adimplendum, quod scriptum est Marc. 16. Acto. 1.

Germania & aliæ nationes euangelion tempore Apostolorū receperit.

Periculis fluminum. Suprà dicit se ter naufragium fecisse in mari: hic pericula adiicit fluminum, quæ tamen nusquàm sunt conscripta. Qui aliquandò etiam in hyeme peregrinatus est, quæ pericula sint fluuiorum exundantium, nouit.

Periculis latronum. Fuerūt & olim nobilistæ Lycaones, Polyphemi, Caci, etiam mulieres truculentæ Medeæ, Circæ, & hoc genus monstra hominum, de quibus etiamnùm mundus gloriatur, tot insigniis gryphum, leonum, luporum, vrsorum, draconum, fora & choros replens. Quis hodiè semimilliare tutum iter se facere spe-

rarit ære grauatus? Nobiliſtarum talium etiam Apoſtolus manus ſenſiſſe ſe hic fatetur. Poſſumus etiam hic intelligere conſpirationem eam, de qua legis Acto. 23. Nã & per eam Apoſtolus penè erat extinctus.

Periculis ex genere. Plebs Hebræa præcipuè inſidiabatur Apoſtolo, tanquàm apoſtatæ, quod ſic vides Act. 9. Item ad Theſſ. ipſe Apoſtolus dicit, fideles qui ex Iudęis fuerunt, plurima à contribulibus ſuis eſſe paſſos. Hæretici quoque putant, ſe obſequium præſtare Deo, quemlibet ab ipſis deficientem, animæ ſuæ ſalutis plùs quàm eorũ gloriæ, ſatagentem, omnigenis iniuriis defatigando.

Periculis ex gentibus. Maiores quoque noſtri idololatriam, quam ratione tueri non poterant, vel armis conabantur defendere. Hinc tot eccleſia habet martyres. Si quis hic de ſenſu verborum Apoſtoli dubitauerit, veritatem fateatur liberè, ſectarum authores & hyperaſpiſtas arguat, ſocordes catholicos tot abuſuum diſſimulatores corripiat: & ſtatim per vexationem excitam, intellectum ſibi parabit.

Periculis in ciuitate. In Epheſo, & proculdubiò etiam in aliis ciuitatibus. Epheſi captus atque ad tribunal Gallionis tractus, peſsimeque acceptus fuit, vt vides Acto. 18. Dij huius ſeculi, quibus poteſtas eſt aëris, ſuos ſatellites, Annam, Herodé, Caipham, Pilatũ, Neronem, Domitianũ & alios ſibi ſemper habuerunt obſequentes. Fortè per ciuitatem intelligit Hieruſalem, quæ eo tępore tantę ęſtimationis erat apud Iudęos, qualis apud Latinos erat Roma, quæ catà antonomaſian vrbs ferè vocabatur.

Periculis in ſolitudine. Act. 25. conſpiratores Apoſtolo inſidias tetendiſſe vides. Cæterũ & varia ſolitudinũ pericula. Aliæ inhoſpitales, qualis erat Caucaſus, q inhoſpitalis dicitur. Aetna igne æſtuat, Alibi ferę abundantiùs prouenium: quod vel ex ferarũ liqueſcit epithetis. Marſus aper dicitur, Getulus leo, Hyrcanæ tigrides, &c.

Periculis in mari. Nõ hic de tribus naufragiis, ſed de aliis loquitur periculis, ſed minoribus. Nullũ tamen horũ adeò fuit paruũ, quin meritò ipſum quoq; adnumerarit Apoſtolus. Et maris propria epitheta nihil niſi pericula præ ſe ferunt. Prouerbium eſt: Aequor qui nauigat, greſſum gallinacei prope mortem nauigat.

Periculis in falsis fratribus. Iudęi sese mutuò fratres subin appellant. Fratrum itaq; desertorem Apostolũ putabant, vndè ipsum maiori prosequebantur odio. Dein & Christiani sese vocare solebant fratres. quanta Apostolo inde pericula instabant, omnes ferè epistolæ eius submonent. Nos quoque hodiè idipsum experientia discimus. Euangelistæ noui nisi & sese fratres appellarent, minùs lucis huic loco accederet.

In labore & ærumna. Vt cętera prętereamus, sine labore Dei verbum non denunciatur. Apostolus huic negocio quantam operam nauauerit, Acta apostolorum non semel testantur. Ocium item literarium quanti sit laboris, soli norunt experti. Sed labor Apostoli etiam fuit ęrumnosus, quod certè sine Apostoli gloria neque scriptum est, neque legi debet.

Literariũ ocium maximum o mnium est negocium.

In vigiliis multis. Studium seu ocium literariũ, pulchrè etiam dicitur lucubratio. Oleum & operam perdere, proverbium est, quo insinuatur, verum studiũ vigilias poscere. Hinc recepto modo loquendi dicimus, inuigilare literis &c. pro discere. Vigilias verò hic potissimùm intellige de religionis Christianæ disciplinis, quorum inane adhuc nomen restat, professorum, quorum aliæ vigiliæ simplices, aliæ duplices, aliæ peruigiliæ dicuntur. Hinc etiam adhuc restat sanctus ille ritus precum canonicarum nocturnarum, quę omniá noui euangelistę papisticas vocant nugas, etiam diuum Apostolum, quo tã. toperè gloriantur, vanitatis traducentes.

In fame & siti. Prouerbiũ est, peregrè euntes, penu nõ semper in promptu habere. Et paupertas famelica esse assolet. Apostolus sua omnia reliquit. certum ergò est, non semel fame & siti laborasse. Euangelici nostrates paupertatem docent, cui neque sitis neque fames est metuenda. Nolunt enim vt sua quis relinquat: quod minori vituperatione facerent, si diuorum merito, qui sua omnia reliquerunt, non detraherent.

Hæretici sua ægrè relinquũt.

In ieiuniis multis. Eccè tibi frater euangelice & noue Euangelista. hic Apostolus sua commemorat ieiunia, non penuriæ, famis & sitis, sed religionis, qualia adhuc suis filiis pręscribit ecclesia. Qui nisi literam in scriptura recipis canonica, vide quid hic ieiunij fingas, quo compli

Ieiunia ecclesiæ apostolica sũt traditio.

cibus tuis ecclesiæ disciplinas persuadeas vanas esse & stultas.

In frigore & nuditate. Hoc pertinet ad famem & sitim, hoc est, ad paupertatem. Contraria harum sunt victus & vestitus. Discamus hic, quæ sit paupertas euangelica. Prælati veteres & Apostoli noui, considerate in hoc Paulino speculo, vt vos Deo dignos exhibeatis ministros. Ecclesia non solùm ad diui Pauli gloriam hanc lectionem hodie legit, sed & ad vestram admonitionem. Faxit Deus, non frustrà.

Præter illa quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Extrinseca intelligit, quæ non ad proprium corpus pertinent. Paupertas voluntaria, vnde sibi imminebat frigus, æstus, nuditas, sitis, fames, item disciplina & exercitatio corporalis, vigiliæ, ieiuniũ &c. interiora intellige, tanquàm propria. Exteriora cætera omnia, quippe quæ non ad se pertineant, sed propter alios alicunde sint suscepta. Tale est, instare vt omnia decenter & honestè peragantur, idque in ecclesiis omnibus, pseudo compescere, synceros solari, cunctabundos cessatores vrgere, denique etiam futuras hæresion irruptiones præuidere. Hæc omnia extrinseca vocat, quasi dicat, se nihil horum opùs habere, se sapere, se satis nosse etiam præterita, nec acedioſum se esse, immò seruere in opere Dominico, partim verò moueri aliorum ignauia, partim aliorum conturbari peruersitate. Omnia externa hæc Apostolus vocat epistasin, hoc est, instantiam, curam &c. Præterea etiam imminet mihi epistasis omnium ecclesiarum: non personalis & singularis (ait) me prosternit atque exedit molestia vnius aut alterius fratris, nec item vnius aut alterius ecclesiæ, sed publica omnium ecclesiarum me angit atque enecat solicitudo. Quisquis mihi nuncius alicundè mittitur, quoties literæ redduntur missæ, statim (vt amor est res plena timoris) trepidus timeo, nuncia me, qualia nolim, auditurum. Extrinseca hæc talia saltem, & nulla alia intelligit. Nostrates hodie qua intrinseca macerentur cura, viderint ipsi. de externa eorum cura dubitare poterit nemo. Non eos abusuum corrigendorum & pacis ecclesiæ reconciliandæ, non hæresis reuincendæ solicitudo angit, sed arciũ,

Paulus Apostol⁹ intrinseca simul & extrinseca cura exedebatur.

Episcopi nostrates curis huius

Seculi depressi, ad cælestia assurgere nõ possunt.

turrium, & hoc genus monumentorum erigendorum, afflictio deprimit: adeò vt mentem ad alia, quę verè episcopalia sunt, munia erigere nequeant. Temporalia & spiritualia simul curare velle, quàm difficile sit, parabola de seruo duobus dominis vnà seruire volente, satis superque declarat. Latrunculatoribus, satrapis, & satellitum turma vsque esse stipatum, & spiritualia meditari si quis potest, dixerim & histrionem in circo animæ suæ posse prospicere. Quod hic dicit ecclesion, nemo accipiat de mollibus honoribus cellarum & basilicarum, sed de fidelium concionibus. In plurali loquitur etiam. Ro. 16. 1. Cor. 14. Gal. 1. 1. Thess. 2. Acto. 14. Sed neque hoc fit ab re. Vna est catholica ecclesia, hæc multis conflatur

Argumẽtum ecclesiæ veræ dignoscendæ manifestum.

ecclesiis, hoc est, congregationibus. Vna in omnibus fides docetur, iisdem omnes sacramentis vtuntur, nulla cęremoniis certis caret. Ex hac concordia atque consensu ex omnibus resultante, nascitur manifestum argumentum veræ ecclesiæ dignoscendæ. Sectæ nulli ecclesiarum consentiunt in professione, sacramentis funestis & adulteratis vtuntur, administrationes eorundem comminiscuntur nouas: adeò denique ab ecclesiarum adhorrent cæremoniis, vt citiùs ad Iudaismum recurrant, quàm vt sese ecclesiis reforment.

Infirmi suscipiendi potentibus.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quemadmodùm Rom. 14. & 15. item 1. Cor. 8. vocabulum accipit infirmitatis, sic & hoc loco accipiendum. Nec abludit quod dicit 1. Corint. 9. Infirmis factus sum infirmus. Non postremum est officiorum Christianæ religionis, infirmos suscipere & portare. Nemo verè fidelis, sibiipsi viuit: oportet vt etiam vrgeatur extrinsecis. Et minimorum maxima habenda est cura. Insipientes & in fide vacillantes, apostolicis viris & verè piis curæ præcipuę esse debent. Submittere se habet sublimitas, vt secum infima quæque extollat.

Vro verbum, bifariam accipitur in scriptura.

Quis scandalizatur, & ego non vror? Vri, hic aliud est ab eo, de quo legis 1. Cor. 7. Hoc de quo hic agitur, est manifestum indicium præsentiæ spiritus sancti: illud est Adæ veteris fomes & vetustas. Prophani scriptores etiam sic accipiunt, vro metaphoricè. Terẽtius: Scis vt te malè vrat: sic etiã hic accipitur. Veteris Adæ reliquias sapit,

quod est apud Ouidium: Vror, habes animi nuncia verba mei. Et Flaccus: Vrit me Glyceræ nitor. Apostolus hoc loco dicit se penitus inflammari, quoties videat aliquem scandalizari, hoc est, offendi. Vel hinc disce, quãti sic criminis offendere proximum, hoc est, errandi occasionem dare infirmo: vt videas qui intelligas verba Christi de scandalo, Mat. 18. Lu. 17. Sed proh deum atque hominum fidem, crimen peccati hodiè extenuatur, omnia dicuntur esse paria crimina, nedum scandali vllius hodiè ratio habetur. Dixi, vri hic esse præclarum argumentum præsentiæ spiritussancti: sequitur ergò, non vri, hoc est, non moueri de huiusmodi offensis infirmorum, manifestum esse signum spiritussancti priuationis. Maximi meriti est, sic cum Apostolo vri. Patres siquidem hoc ipsum martyrij genus esse dixerunt. Audiamus hic Augustinum epist. 145. ad Sebastianum: Pia, inquit, est ista tristitia, & si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere: dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est persecutio, quam patiuntur omnes qui volunt pie in Christo viuere, secundum Apostolum, mordacem veramque scientiam. Quid enim hic magis persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum, non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt? Gregorius Nazianzenus hinc Basilium vocat citra sanguinem martyrem, & absque plagis coronatum. Huc pertinet Psal 118. Vidi præuaricationes eorum, & tabescebam.

Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.

Infirmitas hic non significat tale quid, quale supra. Neque enim legis vocabulum, vbique idem significat. Infirmitas hic significat vitæ incommoda, quod illis humana vita sit obnoxia. Miserias, ærumnas, dolores & abyssum malorum, quæ infortunium vocant, nos vndiq; circunuallantes, infirmitatis nomine hic complectitur Apost. dicens saltem de illis sese prædicare: quod Græca lectio clarius exprimit. Obserua modestiam Apostoli, cum gloriandum sibi videat, non de sapientia, non de scientia, non de sanctimonia, non de animi constantia & de hoc genus Dei donis, sed de ærumnis gloriari se velle ait. Hoc attẽde fideli Dei seruo esse gloriæ, quod

Apostolus Paulus modestè gloriabatur.

huius mundi mancipiis præcipuum est dedecus. Huc pertinet quod alibi dicit: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quia non mentior. Eia quanta vehementia ea, quæ dicturus est nobis certa, commendat. Deum testem inuocare, certè parui momenti res non est: cum lege cautum sit, per nomen Dei nè vane iuremus. Væ illis, qui per nomen sanctum hoc, per quod omnis controuersia debet sopiri, fallunt Romanorum nono, Galatas primo, itidem iurat, videns veritatem esse in discrimine. Vt qui per iusiurandum veritatem in pericula mittit.

Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Rem gestam Lucas Act. 9. sancte prosequitur. Rogas, quarè historiam eam huc adducat Apostolus? Respondeo: Quoniam supra dixit, se saltem in infirmitate velle gloriari, infirmitate pro ærumnis accepta. Infirmitatis eius non mediocris portio, neruus, siue carcer, in Damasco insidias Apostolo tendi, portas custodibus muniri, nusquam effugij copiam Apostolo dari: vndè, quod saltem poterant, vel per funem fideles Apostolum demissum liberarunt. Nulla alia Apostolo erat causa, nisi quod maluit impiæ synagogæ esse apostata, vt mereretur Christi esse Apostolus. Damascus tunc erat metropolis Syriæ, confinis Iudææ: nunc Turcicarum vrbium caput est in Phœnicia. Illis tum Areras Arabs, cuius filia Herodi desponsata fuit, Ethnarcham misit. Eum corruptum Iudæi Paulo fecerunt, infensum, adeo vt illi mortem intentaret, sed frustra. Restitit Paulo adhuc nonnihil laboris. hora eius necdum aderat. funem itaque, quo Apostolus dimitteretur, fideles statim inuenerunt. Diceres huc facere typum Dauidis, quem Michol simili liberauit industria, 1. Reg. 19. Eusebius Cæsariensis refert, regem Aretam patrem fuisse Herodiadis, & tandem contra generum exercitum duxisse, necemque Ioannis Baptistæ esse vltum, lib. 1. cap. 13. De alio rege Areta, ad quem Iason sceleste delatus fuit, legis 2. Mach 5.

Si gloriari oportet, non expedit quidem: veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Q. d. Nihil proficio, si in infirmitatibus glorier. vident pseudo talem gloriam eorum nosam: quid ergo supereſt, nisi vt veniam ad glorioſam? Ridere poterunt famis, sitis, algoris & nuditatis gloriam: pudefient verè apocalypſion enumeratione. Eià ergo Mosaicæ legis æmule, profer & tute aliquid eiusmodi: ego iam laudis meæ summum perstringam, si aliquid simile, quod proferas, habes, per me id tibi integrum erit, in medium proferre.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum: & scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Chariſsimi, si quis de apoſtoli Pauli gloria dubitat, hic, quanta ea sit, discat. Ioannes Chryſoſtomus totus fuit in prædicando Apoſtolo, præſertim ſeptem demegorias in * eum laude compleuit: ſed ne quidem sic id quod conabatur, eſt aſſecutus. Duo ſunt præcipuè, quæ nobis ſcriptura, eius loci, commendat canonica. Primum eſt magnitudo apocalypſios, de qua hic: Alterum eſt poteſtas miraculorum, de qua ſecundæ Corinthiorum capite vndecimo. Quantum ad hunc locum attinet, ſatius eſſe putamus, vt reuelationum amplitudinem cuiuſuis iudicio relinquamus, quam vt tenui orationis filo tantam telam ordiamur. Sed viderit contemplatiuus, nè præſentis textus tranſgrediatur limites.

* eius laudem

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcedat à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.

Sic veteris Adæ philautia eſt ſubigenda. Caro ſpiritui ſe ægrè ſubdit, quanquam ſe ſpiritualem planè ſimulet, atque omnibus venditet. Simulatio iſtæc, apud Deum iniquitas exiſtit duplex, vndè in electis per carnis tentationes eam occat, nec emergere ſinit. Dicit itaque hic

Apoſtolus remoram præſentem obſtare, nè ſe etiam de reuelationum magnitudine extollat. Quaſi dicat Homo ſum, paſsionibus ſeu affectionibus humanis obnoxius omnibus: nullius ærumnæ, nullius tentamenti immunis.

Stimulus Apoſtoli quis.

Stimulum, de quo hic dicit, alij de cephalæa accipiunt, dicentes Apoſtolum perpetuo è capite laborâſſe: alij de morbo iliaco, quem & tormina & colicam paſsionem vocant, intelligunt: alij de epithymia, hoc eſt, de venerea accipiunt titillatione. Sunt denique qui de æmulis intelligunt, præcipuè de inſigni quodam zoilo, Apoſtolum in omnibus infeſtante. Tales etiam magiſtes vocant Græci Ambroſius & Theophylactus quoque de calumniatoribus talibus intelligunt. S. Auguſtinus in Pſal. 130. & Chryſoſtomus ſuper Rom. accipiunt de corporis debilitate. Angelus ſatanæ etiam in ſcriptura cum prophanatum canonica, in hunc ſenſum accipitur. Prouerbium eſt:

Quò nequit ire ſatan, tranſmittit ſæpe miniſtrum.

Satã Hebraicũ eſt vocabulum.

De ſatana ſiue de ſatanæ nuncio, vide 2. Reg. 19. 3. Reg. 5. Satan, Hebraicum eſt, ſignificat aduerſarium ſiue hoſtem. Græci vocant antikimenon, hoc eſt, eum qui ſe aliis opponit, 2. Theſſal. 2. Adde quod ſcriptura carnis pruritum eum venereum, non vocat maſtigem, i. flagellum, neque aculeum, neque vallum, qualem vides Eccl. 38. neque talem, qualem per dictionem Centron, exprimit 1. Cor. 15. & Lucas Act. 9. Neque hic de ſtimulo intelligendus Apoſtolus, qualem legis Eccl. 27. vbi paſſulus habetur. Sed ſceplos hic legitur, quod propriè ſignificat Germanicè, einen ausgeſpitzten phal, Latinè palum ſiue ridicam acuminatam. Summa: magnam hic vult delineare, poſt ecſtaſin eam, de qua iam dictum eſt, ſe paſſum inſtantiam æmuli alicuius. Nec iſtæc metapho ra eſt rara. Quod ſi quis ſatanam eum, de vexatione tentationis alicuius ſatanæ cuiuſdam, in aliqua ſpecie Apoſtolo apparentis atque eum percutientis, intelligere velit, exempla eius vexationis multa habet in eccleſia, ſancti Antonij & aliorum anachoretarum ſanctorum. Huc facit ipſa dictio colaphizo, quod alias de corporali diuerberatione ferè accipitur, primæ Corinthiorum capite quarto, primæ Petri capite ſecundo, Matthæi vigeſi-

mosexto. Sed quid? Nónne satanæ tali resistendum? Maximè. Audiatur Apostolus: Propter quod ter Dominum rogaui. Dicis Apostolum repulsam passum? Minimè. Repulsam non passum esse Apostolum, vides primo ex præsentia promissæ gratiæ. Repulsam siquidem non patitur, cui causa satanicæ percussionis redditur, & cui victoria de tanto hoste promittitur. Dicit, Sufficit tibi gratia mea, hoc est, gratia mea erit tibi omnium stigmatôn præsens medela. Secundò, Satanę potestas, quod vides in exemplo Iob, non est maior, quam illi permittitur. Tertio, Potestas Dei non aliter quam in seruorum suorum infirmitate declaratur. Nisi enim seruis Dei infirmitas adhæreret, potestas eius sese declarandi locum in illis non haberet. Sic comparatũ est, charissimi, [redacted].

Paulus aras, repulsam passus non est.

Munera diuorum miseris portantur ad aras, fertur communi prouerbio. Neque item Dei nobis subit memoria, nisi flagellatis. Vndè Apostolus nobis exemplo hæc est passus. Simile videmus in regio propheta, qui dicit: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Alibi: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Iterum alibi, Bonum mihi quia humiliasti me. Vtinam humiliati, nos humiliemus illi, qui solus est excelsus.

Libenter igitur in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Christi. Hoc est, quum voce Dei certior sim factus, flagellationem eam mihi non obesse, prodesse magis, ea Dei gratia me sustinente ero contentus. Virtuti Christi libenter locum cedam, quoniam hoc in clementia Dei mihi contigit. In Pharaone quoque declarata est potestas Dei, sed in ira Dei. Merito ergò clementiæ Dei manum sustineo. Qui credit, properare non debet, monente Esaia. Audiam igitur, quid loquatur in me Dominus Deus. Electis omnia cooperantur in bonum. Qua & nos fratres cogitatione armemus. Sunt tot hodiè Pharaones. Faxit Deus, etiam appareat fidelium robur ad gloriam Dei, quæ illi soli per nos debetur omnes, per æterna secula, Amen.

Potestas Dei in aliis declaratur per Dei gratiam, in aliis per eius iram.

POSTIL. VVICEL. SVP. EVAN.

DOMINICA SEXAGESIMAE, Luc. 8.

Exiit qui seminat, seminare semen suum: &c.

¶ Sensus planè est mysticus. Eius Sectio est:

1 *Verbum Dei mysterium est æternum, in semine aptam habet similitudinem.*

2 *Reprobi suapte culpa non recipiunt ipsum, vt fructus proferant.*

3 *Electi, gratia gratum faciente, fructus edunt meritorum variorum.*

¶ EXPOSITIO.

1 *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Semen *habens virtutem se reseperandi atque renouandi, significat verbum, per quod omnia seruantur.*

2 *Et dum seminat, aliud cecidit secus viam &c. Improbi arbitrio suo verbum non recipiunt. Obserua: In omnibus ferè parabolis ac sententiis libertas arbitrij docetur. Dominica Septuagesimæ, lectione Euangelica Matth. 20. dicuntur operarij conducti conditione meriti, non compulsi &c. & sic omnes habent. Hic verò obseruandum quod dicitur Esa. 50. qui locus hic citatur: Incrassatum est cor populi huius: sequitur, Oculos suos clauserunt, nè quando oculis videat. Hieronymus: Nè fortè arbitremur crassitudinem cordis & aurium, non esse voluntatis: Non pugnat prædestinatio arbitrio, quia prædestinatio obtinetur bonis operibus, 23. quæst. 4. Obtineri. Sunt verba Gregor. Conditio subest. Venite benedicti, ait. Ratio autem quæ? quia nudus fuit &c. Primum quærendum regnum Dei. Nemo dicit, ad vitam certi temporis sum prædestinatus, ergo non opus est vt comedam & bibam. Quæ, malum, ergo nostra malitia, qui sinè medio bonorum operum saluari volumus? Summa: Præscientia Dei non infert necessitatem. Nemo damnatur, nisi pro illis qui sunt liberi arbitrij.*

3 *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui corde bono &c. Bonum cor, voluntatem profecto bonam exprimit. Terra bona sunt, quibus datum est nosse mysteria regni cœlorum. Argumentum eius notitiæ fructuum bonorum, virtutes sunt variæ charitatis & disciplinarum ecclesiæ, quas manet in cœlo meritum gloriæ multisfarium.*

¶ MORALE.

Summa lectionis, exhortatoria est. Vult vt discipuli Christi, pala charitatis officiorum & ligone ecclesiæ disciplinarũ, subindè

auaritiæ, superbiæ, & voluptatis saxa & spinas eruncent.

EADEM DOMINICA IN SEXAgesima, Euangeliuum, Luc. 8.

EXiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit iuxta viam: & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud, &c.

INDVCTIO.

SVmma huius parabolæ est, non satis esse, verbum Dei audire, & fide charitatis fructuum vacua religionem, simulari, sed & auditui fidei bona opera addi oportere. Scriptura hoc ipsum nusquam non indicat, infinitis hæc loca præcipuè in præsentiarum adducenda puto. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui est in cœlis. Luc. 6. Quid dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis ea quæ vobis præcipio? 8. Mater mea & fratres mei sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt illud. Ioan. 13. Beati estis, si feceritis hæc. Roman. 2. Non auditores legis, sed factores, iusti habebuntur apud Deum. Iac. 1. Estote effectores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos: quoniam si quis audit verbum, & factis non exprimit, hic similis est viro consideranti effigiem suam in speculo. Considerauit seipsum, & abiit: & cõtinuo oblitus est, qualem faciem habeat. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quod societatem cum eo habemus, & in tenebris ambulamus: mentimur, & veritatem non facimus. Quòd si in luce ambulamus, sicut & ipse in luce est: societatem habemus inter nos mutuam, & sanguis Domini nostri Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Sic & catholici docent. S. Ambrosius de vocatione gentium lib. 2. cap. 2. dicit: Non damnati de munere non seruato, sed de non aucto. Chrysostomus in Matth. cap. 25. homil. 79. de eo qui minam suam abscondit, ait: Non solum rapaces, & qui aliena inuadunt, nec soli malefactores: verum etiam qui bona facere negligit, æterno cruciabitur supplicio. Non me latet, charissimi, hęc quę iam dico, pluribus deprauatæ mentis hominibus fore ingrata: Iouinianistas puto: qui, quoniam hominis euangelion euan-

Verbũ dei non auditorem, sed factorem petit.

Euãgelicũ nouũ insolentes.

gelio Dei præferunt, hominem eum quem deum faciũt, adorari volunt. In dei ſui verba ſemel iurarunt: Deo itaque noſtro & eius eccleſiæ peierare non formidant. deũ ſuum flagellari conqueruntur, ſi quis etiam verbo ab illius opinionibus cenodoxis diſſentiat, iuſtificantes interim, quod ille vniuerſæ eccleſiæ orthodoxæ patres flagellet. Heu, quas turbas in Germania excitauerunt: heu quantum ſanguinis carina illa noui euangelij, nouiq́ue dei, ſecum aduehit. Ille princeps, inquiunt, & illa ciuitas, illud municipium, euangelion recepit. At quod eſt illud euangelion? Sua omnia vẽdere, & dare pauperibus? Nõ: ſed quo iure, quaq́ue iniuria aliena inuadere, nec arisnec templis parcere. Iterum: Euangelión ne eſt, vxore ſua relicta, ſecubare, ſeq́ue propter regnum cœlorum caſtrare? Minimè: ſed etiã poſt ſelectũ monaſtices votum, nupturie & ducturire, immò etiam vxorem aliam atque aliam ſubducere, traduceréque. Si expleta eſt menſura malitię eorum, exorare ſancte pater: agè illumina mẽtes illorum, vt verbum tuum, quod in manicis, in gladiis, in baliſtis & bombardis pompoſe oſtentant, catholicè intelligant, & orthodoxe exprimant. Sed his præfatis, nunc & euangelion audiamus:

Exiit, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Et dum ſeminat, aliud cecidit iuxta viam: & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum, aruit, quia non habeat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpinæ, ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum.

Parabolis ſimplicib⁹ & oĩbus notis Chriſtus vtitur

Cõmuniſsimæ adeò rei gnome non obſcura. Nullus ciuis, nullus miles, atq; adeò nemo eſt qui neſciat, quid ſerere ſit, quidquid metere. Trames item, lapis, ſentes, ager, ſemen, notiſsima & tritiſsima ſunt vocabula. Vtitur Chriſtus huiuſmodi parabolis, cùm iucundis tum ſimplicibus, libenter, nè quis dicere poſsit, per apocryphas parabolas rerum cœleſtium, quales ſunt, motus, gradus, ſtationes, domus, qualitates, adſpectus, oppoſitiones planetarum & aſtrorum, ſolis cognita mathematicis, Chriſtum rem fidei obſcuraſſe. Habes itaque hic terreſtris atque eius triſtiſsimæ rei parabolam: & tute vides rem parabolæ ſe ità habere, nempe ſic: Colonus ſemen committit terræ abundè

plenáque manu,sed non thylace:hoc est,non est prodigus seminis, hoc vnà effundens, sed arte & industria rẽ longè gratissimam sibi seminando terræ credit, fœnus indè sperans se recepturum. Vndè & pulchro epitheto auarus dicitur.seminat itaque cùm gnauiter tum liberè: sed neque sic agricolæ votis seminatio respondet. Qui autem hoc?Culpa & voluntate agricolæ?Non,sed vitio soli. Hic siquidem callis atque regia via est, vbi semen non decoccatur, sed semen ibi auibus cœli deuorandũ, & viatoribus cóculcandum relinquitur. Illic solum scrupeum est, quo coniunctum semen tantisper,donec in terra radices agere potest,lætum surgit:atqui ad rupes vbi peruentum fuerit, porrò radicare non potest, atque ità emoritur. Istic in senticosam terram semen cadens,à vepribus vnà succrescentibus suffocatur. Veruntamẽ quoniam ager latus est,nõ totus perpetuus est callis, nec ité vndique dumosus & lapidosus, sed supereſt alicubi humus commoda sationi siue sementi. Via rupes, & dumi fallunt,spéque sua frustrant agricolã:cui metuenda foret inedia, nisi spem promitteret bona terra. Atque hęc est trita & iucunda parabola ad literam. eius sensum ipse Christus statim infrà profert.

Hæc dicens,clamabat: Qui habet aures audiendi,audiat. Synosin attende. Adeò serio & ex animo christus sua munia omnia, quæ nos tanquã ludum accipimus, peregit. Vide,tenorem dicendi valido clamore extendit,quod & nos quoque attentos velit. Clamitat autem: Qui habet aures audiendi,audiat. Q.d. O homo, auribus percipe quę dico.tua res agitur,tua causa ipse ego ferueo. caue tu tepeas tibi. Parabole est humilis,at sensus est ter maximus. Agè igitur,authorẽ audi,gnomẽ suam ipsum interpretantem. Causam tibi adumbrat, quarè multi sint vocati,& pauci electi,hoc est, quare multi damnentur, & pauci seruentur,idq; in vno agro. Hic sermo,audiẽdi aures requirit. Aures & auriculas carnis omnes habetis: at animi attenti aures Dominus à vobis exigit. De auribus patulis & arrectis,habes 1.Reg.10.Marc.7. De circunciſis auribus quæ & ipse audiẽdi aures sunt, habes Hie. 6. Cui loquar & quem cõtestabor,vt audiãt?Eccè incircunciſæ aures eorum,& audire non possunt. Ioan-

Electipau ci quare?

nes quoque in Apocalypsi audiẽdi aures postulat. Faxit Deus, eas illi accommodare possimus.

Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes, non videant: & audiẽtes, non intelligant. Discipuli Dominũ interrogant priuatim, arbitris omnibus remotis, hoc est, absente populo, Mar. 4. Hic laici acciperent exemplum interrogandi, idque suo tempore & loco. Sic & Apostolus monet mulieres, vt domi suos viros interrogent, quod indecorum sit, mulierem in cœtu loqui. Sed quæ, malum, humana peruersitas? laici partim suggesti ius sibi arrogant, non solum viri, sed & mulieres nouæ apostolæ: partim laici adeò sunt ignaui, vt videantur nihil scire velle. Sunt ex nostratibus † silicernia, qui octoginta & pluribus annis sacras conciones audierunt, nec puerorum quidem catechismum didicerunt: risus & scandalum hæreticorum & Iudæorum pueris. Pueros suos hæretici statim à cunabulis instituunt, quibus scripturæ locis, catholicis illudant. Pueri Iudęorum itidem cum pappa propemodum legis præcepta addiscunt. Grandęui laici nostratium sunt in quos rectè dicitur: Senes bis pueri, quippe qui etiam de primis elementis nostræ fidei, planè nihil sciunt. Debet quisque paterfamiliâs domi suę episcopen agere, liberos suos & familiam diuinum cultum docendo, & religiosè regendo. Sed proh deum atque hominum fidem, capulares senes nostri, bonorum morum insignes sunt corruptores. In nequitia, malitia & fraude, vetuli nostrates sunt exercitatissimi: his rebus occalluerunt adeò, vt dicatur:

Laici hæretici præsumptuosi catholici ignaui.

Si non vis calui, caueas consortia calui.

In prudentia verò Dei, in religionis scientia, inque fidei intelligentia, bruta dixeris animantia, & ab asinis delapsos. De fide simplicium, ecclesiam piè sentire non diffiteor. Quid de fide simplicium Iudæorum, eorum quos synagoga olim habuit, ecclesia sentiat, non ignoro quid denique de fide implicita & explicita disputẽt scholastici, non me præterit. Verum & noui quid de ignorantia crassa negligentium discere, inter omnes conueniat. Stat sententia: ignorãs ignorabitur. Et si ignorantia excusabilis

Ignorãtia nõ oĩs excusabilis.

cusabilis omnis, quare vrget Apostolus tantoperè episcopos, vt subindè prædicent verbum, tempestiuè, intempestiuè? Quid Moses & prophetæ in vniuersum aliter agunt? Salomon, Philo, Iesus Sirac, nónne identidem ad sacram philosophiam exhortantur? Ita sanè, sed surdo fabulam canunt. Vndè & ethnici posthàc erunt nostri iudices. Moralis poëtæ hoc præceptum, nostratium damnabit socordiam:

Non pudeat, quæ nescieras, te velle doceri:
Scire aliquid, laus est: pudorem, nil discere velle.

Discipuli Christi, viri desideriorum, homines & sancti philosophi, sermonem Christi auditum, quantùm ad literam, non obscurum: sed quantùm ad mysterium, sacramenta salutis in medulla habentem abdita: ruminantes, Dominum de eo, quatenùs non intelligebant, rogitabant. Nihil futile ex ore sacratissimo prodiit, nullum iota, nullus apiculus est Christi sermonum, quin verè sit salutaris, modò intelligatur. Vndè & Dominus non tulit molestè, quòd de parabola sua rogaretur. Tantumque abest, vt discipulis suis sensum parabolæ inuiderit, vt etiam id, quod illi non rogauerunt, vltrò addiderit. Sensum gnomes discipuli petierunt: Christus verò vnà cum sensus eius declaratione, etiam rationem, quare sua mysteria nolit cuiuis manifestare, & quare libenter in parabolis loquatur, addidit. Significantiùs hoc vides apud Matthæum cap. 13. vbi ait: Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neq; intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Esaiæ, dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quandò videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vident: & aures vestræ, quia audiunt. Apud Marcum idem legis cap. 4. Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes non videant, & audientes non audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur illis peccata. Et dicit eis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabo-

Christus plus largitur quàm rogatur.

las cognoſcetis? Hęc ibi. Senſus eſt: Meſsiam in parabolis loqui oportet, iuxta Pſal. 77. Nam & id peculiare fuit omnibus prophetis. Ezechiel præcipuè grandia & profundiſsima regni cælorum myſteria, vtvt aperto pectore ageret, tectis verbis proſequitur. Cauſa eſt: Non ſus amaracinum curat, nec vina Melampus. Margaritæ itaque (quod Chriſtus dicit) ante porcos non ſunt ſpargendæ, nec ſanctum canibus dandum. Tam precioſam rem, nudis verbis noluit in vulgus promiſcuum ſpargere, ſed parabolarum inuolucro tegere, vt auditorum bonorum mentes excitaret, & faceret attentos. Conſilium Dei ſuum effectum ſortiebatur in diſcipulis, qui ἀμελὲς γωνία, id eſt, neglectus angulus, id eſt, oſcitabundi & bonarum rerum faſtidioſi non fuerunt. Dicit ergò illis: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni. Quare autem illis datum? Certè quia rem ſacroſanctam & ſaluificam crediderunt verbum, cuius ſenſum ſcire deſiderabant. Sic ſemen bonum in ſpicis & folliculis obtexit, vt triturando & ventilando diſquireretur diuina ſapientia. Quis neſciat ſemen in ſemita iacens, volucribus eſſe obnoxium? Et quis dubitet, ſemen inter lapides & ſentes perire? Sed ſub cortice parabolę latet ſuccus & medulla ſalutaris intelligentiæ. Iudæi qui nihil præter literam legis operum requirebant, necdùm tantorum myſteriorum capaces erant. Vinum in vtres antiquos fuſum, & pannus nouus putidæ veſti conſutus, gratiam amittunt. Adde quòd & in ſynagoga via perditionis erat lata, & pauci virtutis & religionis amantes, anguſtam ſalutis viam tendebant. Parùm ergò affecit eos gnome: & ſic in illis adimplebatur comminatio Eſaiæ iam audita. Vide Ioan. 12. Acto. 28. Atqui vehementer timeo, ne & noſtratium plerique hoc Eſaiæ tangantur oraculo. Tangi verò iam paulò antè de culpabili ignorantia ſenum oſtendimus. Villam & noſtrates emere: iuga boum exercent: vxores ducunt: & quia de panibus auctis comederunt, quaſi aliquid noui auditurі, in eccleſiam confluunt, non propter Chriſtum, ſed vt videant Lazarum rediuiuum. De hæreticis dubium non eſt, quin cum Iudæis eodem veſte & iugo cæcitatis detineantur, grata illis compede. Sed audiamus nunc parabolę diſſertionem, idque ex ipſius authoris o-

Parabolicæ locutionis ratio.

re, vt approbetur vetus dictum, Einsdem est interpretari, cuius est condere.

Est autem haec parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem iuxta viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Sensus est: vt singula (discipuli charissimi) intelligatis, pensiculatiùs singula expediam. Seminans semen suum agricola, Dei patris (qui & ipse agricola est) filius existit, qui de corde paterno, & de regalibus sedibus cælestis gloriæ exiit, perque incarnationem in hunc mundum venit, non rapere, sed dare. Dare autem semen vitæ, quod non modò nullus regum mundi, sed & quod ne angeli quidem cœli præstare possunt. Liberè itaque sementem facit, potissimum hic in Galilæa, inque tota Iudæa: sed seges adhuc non apparet læta, sed perquàm rara. Seminis quippe aliqua pars in semitas cadens, perit. Auditorum quidam callem siue tramitem planè referunt: doctrinam euangelicam auribus audientes, etiam cordi immittentes veritatem manifestam approbando: sed quia malè facere assuenerunt, verbum auditum non studeant factis exprimere, nec vt summo thesauro eo afficiuntur, neque custodiùt, bonis operibus accumulando. Veniunt itaq; volucres cæli, & semen virtutum meritis non sarculatum, rapiunt de corde, veram (hoc est, operosam) fidem intercipientes. Nequissimi spiritus ingenium hic obserua. Seminantem iuxtà atque agrum obseruat, hoc est, tam doctorem quàm ipsos discipulos insidiosè subnotat. Si non poterit remorari, quo minùs verbum salutis denuncietur: saltem hoc agit, vt semen fructu bonorum operum vacuet cassetque. Prædicationem seu auditum non adeò odit, atque vitam religiosam, qua potissimum eius regnum euacuatur. Principium quidem & odit, & illi obstare adlaborat: verùm simulac hic operam se ludere animaduertit, fini maiori cura insidias molitur. Verbum veritatis auditum approbantibus adest: disciplinam euangelicam, obedientiam fidei rem non adeò necessariam, quæ nimirùm ad iustificationem & salutem parùm faciat, illis suggerit: sufficere, esse baptizatum, Deum bonorum nostrorum operum non indige-

Verbum auditum & bona operibus non sarculatum, perit.

Doctrina non tam diabolo aduersa, quàm bonae vitae.

re,ſed nudam ſolamque fidem ſaltem reſpicere,auditoribus ſuadet. Hoc ſi perſuaſerit, actum eſt de vera fide per charitatem operante: hoc eſt, de fide & de ſumma negocij euangelica. Tria ſunt,fides,ſpes,& charitas:maior horum,charitas:finis legis,charitas:ſumma Moſaicæ & omnium prophetarum doctrinæ,charitas.Sic vectis,prætextu fidei,fidem potiſsimè veram extinguit.Aduerſus hanc vectis mentem primitiua eccleſia de catechumenis & competentibus, ante ſacrum baptiſmum, in omni diſciplina exercitatis,periculum fecit. De verè fidelibus in fide catholica iam exercitatis, minùs(non dico nihil)periculi eſt. Si verò quis eorum ſemel in hæreſios caſſ's inciderit,non ſtatim indè expedietur.Hæreſis,naſſæ ſimilis:cuius illapſus eſt facilis,exitus omnium eſt difficilimus. Exempla eius rei multa ſeſe quotidiè produnt. Quid aliud faciunt hodiè ſchiſmatici, etiam veritatis maieſtate capti, quàm quod de hæreſiarcha quodam legimus:nempe hoc, quod catholicis qui eum ratione & ſcriptura viceratt,dixit: Viciſtis me,ſed non retinebitis: victima diaboli grata. S. Matthæus locum hunc deſcribit,dicens: Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit: venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius. Non intelligit: qui non apoſtolorum exemplo catholici præceptoris interpretationem petit. Hoc eſt quod de ignauis ſuprà ſumus conqueſti.Ignoti nulla cupido.Legere,audire,& non intelligere negligere eſt.Dicit ergò Matt.15. Audite & intelligite.2. Ti. 2.Obſerua quę loquor.Moſes ſubindè dicit:Audi Iſrael.Summa:Nihil tam citò abit in obliuionem, atq; hoc quod non intelligitur:hoc eſt,quod nō ſatis didicimus.

Nam qui ſupra petram,hi ſunt,qui cùm audierint,cum gaudio ſuſcipiunt verbum:& hi radices non habent, quia ad tempus credunt,& in tempore tentationis recedunt. Bonus ordo. Illi,de quibus iam dictum eſt,aſtutia diaboli, operoſa atque adeò vera fide defraudantur hi,de quibus hic dicitur,vi lenter abſterriti ſpoliantur.In hos quadrat hoc Apoſtoli:Benè currere cœpiſtis,quis interiunxit? quis impediuit?In primitiua Eccleſia hic locus aliquãto fuit clarior, quando tyrannis adhuc violentiſsima ſęuiit,tunc nimirùm,quandò ſaltem dicebatur: Aut nega,aut vapula.E-

Tyrannis probat fidem.

rat etiam tunc ad dexteram tentatio, gratia nimirùm Cęsarum & dominorum deorum mundi. Vtrinque Satan Christon confitentes tentauit, hinc violentia & minis, illinc blandiloquentia & amplis promissis. Hic locus apud Matthæum sic habet: Alia ceciderunt in terram petrosam, vbi non habebant multùm terrę: cùm autem sol exortus esset, exusta sunt: & quia non habebant radicem, exaruerunt. Varia lectio, sed vnus sensus. Matthæus hũc locum exponit. Per solem siquidem tẽtationes intelligit, eò quòd tẽtatio tanquàm sol (vt dicit Theophylactus) declarat quales simus. Alibi dicitur, ignis, æstus, caminus &c. Marcus vocat eos qui in tentationibus deficiũt, temporarios πρόσκαιρους, quòd confestim offendantur. Et hic dicitur, Ad tempus credunt. Constantiam & fortitudinem scriptura subindè nobis commendat. Fortitudinẽ oportet nos induere ex alto. A petra Christo, petras, atque adeò veros Christos, nos dici oportet. Petræ huius seculi, collatæ ad illam cælestem, argilla sunt & puluis. Spiritus qui in nobis è supernis est, fortior est spiritu huius mundi. Verbum Dei malleus est, tophos huius seculi conterens. Ne igitur charissimi obduremus nos contra spiritum Dei, sed duremus nos per spiritum Dei contra mundi pumices in omnibus bonis operibus & patientia. Commendatissimam nobis paupertatem assumamus. Verum siquidem est, quod Caponion felicis memoriæ dicit: Qui pauper est, nihil timet. Et philosopho cuidam cùm quispiã tyrannus minitaretur, respondit: His verbis tuos cõmoueres purpuratos. Et diuus Boëthius rectè dicit.

Fides constans sit oportet.

Quid tantùm miseri feros tyrannos
Mirantur sine viribus furentes?
Ne speres aliquid, nec extimescas:
Exarmaueris impotentis iram.

Philosophi veteres, animi robore tyrannide fuerunt potentiores. Et Cæsar * Augustus teste Flacco, cùm cuncta terrarum regna subegisset sibi, atrocem animum Catonis superare non potuit. Num ergò spiritum Dei, spiritu huius seculi debiliorem nos faciemus? Quin arripimus armaturam Dei, vt stemus aduersus insultus diaboli? Christo passo pro nobis in carne, & nos eadem cogitatione armemur, acquiescentes Petro 1. cap. 4. V-

bi post hæc verba statim infert: Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi aliquid noui vobis contingat, sed communicantes Christi passionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati estis. Hæc apostolica verba, charissimi, animis committamus nostris: & proculdubiò mollibus tophis, principibus filiis hominum, in quibus non est salus, erimus potentiores. Sit cuique dictum:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito. Imbecilles & miselli, ne capillos quidem nostri capitis tangere possunt sine Dei voluntate. Cui si placuerit fidem nostrá per muscas & cynomyias Aegyptiacas attentare, nihil possunt, nisi vt corpus nobis auferant: cæterùm indigni qui nos intueantur. Verum est, & famam nostram tyranos dedecorare, nobisque stigmata imprimere conari: sed & sic frustrabuntur. Solus enim ille inglorius, qui gloriam à crassis illis nebulis aucupatur. Quòd si quis Liberius noui euangelij papa, aut Auxentius Superintendens, nos propter confessionem catholicam atro carbone notare voluerit: quis nisi cæcus non videat, hæresiarchas eos supra carbonem nigros? Denique si quis Annas siue Caiphas supercilioſus, nos pharisaicum fermentum auersantes, à Synagoga facere voluerit, & contra hoc ipsum crucis scandalon nos Christus præmuniuit Ioan. 16. vbi dicit: Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Hac saltem cogitatione armemur: Præter crucis, nulla nobis patet via ad gloriam. Cæterùm si quis voluerit violentiis resistere, & vim vi repellere: etiam si adamanta duritie æquet, disiliet. Ferunt lapillum eum, alioqui durissimum & indomabilem, si malleis frangi contingat, in minutissimas crustas, vix oculis cernendas, disilire. Idem & eueniet Christianis (quod hereticis nouis euangelistis minùs arridet) violentię obsistentibus.

Tentatio à dextris. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Tentationem eam, qua à dextris nos hostis adoritur, hic latiùs tractat. Omninò carni hic

locus desipit. Caro à gaudiis huius vitæ in futura beatitudinis gaudia sese intrare posse arbitratur: quasi deliret Abrahã, dicens: Recepisti bona in vita tua. Heus tu purpurate epulo, irasci mihi noli. Memineris neque me, neque vllum doctorem ecclesię, hanc similitudinem in diuitias & voluptates torquere. Sed vide iudicem viuorum & mortuorum Iesum Christum, sese exponere. Dein crede & hoc tuę fieri saluti. [illegible], hoc est, armara sacra, sanè hæc est medicina. Si vis scire, quid doctori veritatis & medico salutis Christo Iesu debeas, docenti te quomodo effugias ęternam damnationem, audi consortem tuum, purpuratum heroa illum, Lu. 16. Rogo te pater, vt mittas Lazarõ in domum patris mei: Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, nè & ipsi veniant in hunc locum cruciatus. Nónne plus, quam Lazarus, Iesus Nazarenus? Hunc pater cælestis tuus misit tibi. misit tibi verbum, veritatem, viam & lucem. Apprehende ergo filium tibi missum, nè tibi irascatur pater, & cum diuite pereas lurcone. Hæc omnia si æquo animo æstimaueris, haud iniquè feres Euangelion hoc è rostris tibi denunciari. Quin & vtere legis? Loca, per quæ præsens lectio fit illustris, habes Matt. 19. Marc. 10. Luc. 6. 16. 18. Clamitas subindè, verbum Domini, verbum Domini. Audias ergo & custodias verbum Domini. Viue secũdum præscriptum verbi Domini. De Euangelio tibi plurimum supplaudis: euangelicum te verbis ampullosis iactas: phylacteriis euangelicum hominem, immo ipsum Euangelion, ostentas: sed si Euangelion picra hiera ad tuum stomachum non ita faciat, atque mellitum hoc virus noui euangelij, quo exemplo Athenienſium, nouis subinde oblectaris, miraculi loco duxero: nam qui ex Deo est, verbum Dei audit, Ioannis octauo. Item ibidem capite decimo. Oues meæ, ait, audiunt vocem meam. Tu cum tuo nouo Christo, & cum nouis tuis Apostolis, ex Deo non es: ergo Christi nostri euangelion crucis non audis. Oues Christi audiunt vocem boni pastoris, & sequuntur eum. tu Christi non es, ergo & vocẽ eius non audis, nec eius exempla sequi maturas. Sed videamus, qui bonũ semen per vepres præsocetur. Opulentus homo Deo quidẽ seruire cupit, sed Plutonem siue Mammonem non potest excu-

Semẽ bonũ, vt per spinas suffocetur.

tere. De eadem fidelia duos parietes vult dealbare, sorbere & flare, duos lepores vno catulo simul capere. Porrò cum Deo seruiendum censet, fatetur se Dei agnitionem habere, appáreique semen Dei, hominis mentem percelluisse: sed quoniam vetus fermentum nondum expurgauit, corrũpitur adspersio noua. Zelotypus est Deus Israel. in eius templum si aliud quodcunque numen statuas, vltro ipse exit. Et Mammoni simulac consentit caro, statim in carne regnare incipit, virtutemq; duplicem contra spiritum accipit atque ita fit, vt spiritus captiuus ducatur, & fiat seruus carni & Mámoni regnanti in carne. Neque enim mentitur veritas, dicens: Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum est. Attende gnauiter tria hęc: solicitudinem, opulentiam & voluptatẽ. Studio & cura conquiruntur copiæ. Rerum affluentiam sequitur voluptas. Quid vero è voluptate nascatur, vide Lucæ decimosexto. Sed vt crassà Minerua veritatem dicam, Voluptas omnium vitiorum est mater & altrix. De spinis hisce alias latiori campo agemus. Hanc boni seminis calamitatem atque interitum Matthæus ità describit: Qui seminatus est in spinis, hoc est qui verbum Dei audit, & solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum & sinè fructu efficitur. Contra curam & solicitudinem vitæ huius habes Matthæi sexto, Lucæ vigesimoprimo, 1. Corinth. 7 Philipp. 4. 1. Pet. 5. Contra Mammonem habes Psal. 36. 48. Prouerb. 11. 22. 30. Eccl. 4. 5. 1. Timoth. 6. Iac. 5 Beatus qui sic transit per bona temporalia, vt non amittat æterna.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde honesto & bono audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Nunc tandem ad beatitudinis, quam omnes homines natura appetunt, doctrinam peruenimus. Horrendum dictu, vix quartam partem seminis boni seruari. Si auditorum verbi numerus tam exiguus seruatur, quanta, bone Deus, turma verbum non audientium damnabitur? Sed aduersus iudicium suum, vt apud Ezechielem est, conqueri potest nemo. Non est quod hic altiora mysteria, quarè maiorem numerum damnet, exquiramus. Omnes viæ Dei veritas, Esa. 18. 33. Rectæ viæ eius, Ose. 14. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, Psal. 24. 118.

Iustus Dominus in omnibus viis suis, Psa. 144. Dei iudicia inscrutabilia, quę etiam Apostolus mirabilia esse exclamando testatur, dicens Romanor. 11. O profunditatem mysteriorum Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Nihil ergò de pereuntibus soliciti simus, sed attendamus verbum, quo nos saluemur, quod & nobis saluti missum est. Emisit verbum suum, ait Psalmista, & sanauit eos. Quos? Eos in quibus verbum Dei habitat opulenter, Colo. 3. Videamus ergo, an & in nobis habitet verbum. Habitat, si non regnat Mammon: habitat in nobis, si hoc ipsum tanquam summum thesaurum sapienter custodimus: non vt ille qui minam suam stultè abscondit, sed vt ille, qui indè Domino suo lucrum fecit. Si custodiamus, sic enitamur fructus edere bonos, & perseuerare vsque in finem. Creditum depositumque nobis est ea lege, qua semen terræ mandatur. Probemus fidem nostram, videamus quam fideles Dño nostro simus. Cómendatur seruus à fide: sed ea fide, qua fideliter talentum Ṗñi dedit ad vsuram. Agamus & nos, vt tandem nobis dicatur: Eugè serue fidelis. Sana fides, saluans fides, beans fides, iustificans fides, quæ negociatur, quæque in minimo est fidelis. Quis putas est seruus fidelis? Qui vorat, percutit, & in familia turbam excitat? Qui se multis verbum Christi esse iactat? qui opiniones nouas in schismaton ansam comminiscitur? Haud quaquam, etiamsi miracula edat. Sed is solum fidei testimonium accipit, qui pecuniam Dominicam expendit ad bonorum operum vsuram. Venientes, inquit, venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Quod alibi mina, talentum & Dominica bona significant, idem hic semen repræsentare scias. Creditur nobis semen, quod salutis est exordium, iustificationis principium. Cor fide susceptа purificatur. Semen vero simulàc radices egerit, & fructum protulerit per bonum opus, absoluta est iustitia per opus, & res omnis salua. Sic opus bonum, fructus spiritussancti, rei euangelicæ est meta atque finis. Spe fructuum sementem facit agricola, bonorum operum gratia prædicat verbum Euangelista. Oleum & operam perdit rusticus, nisi decupulo fructo semen suum receperit. Actum agit ecclesia-

Verbi Dei in nobis habitatio argumẽtis

ſtes, niſi Domino plebem perfectam, ſectatricem bonorum operum effecerit. Quartam hanc partem ſeliciter ſeminati ſeminis, Matthæus ita deſcribit: Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert & facit, aliud quidem centeſimum, aliud vero ſexageſimum, aliud vero triceſimum. Quod Lucas vocat, ſeruare, id Matthæus vocat, intelligere. Alterum alterum declarat. Quod probè intelligimus, hoc ritè perficimus. Seruare, non intellige apud Lucam ſimpliciter cuſtodire, ſed retinere atq; poſsidere, κατέχειν. Obſerua apud Matthæum verbum καρποφορεῖν, quod ſignificat fructum proferre. Hæc per ποιεῖν, id eſt, facere illuſtrat, & quodammodo ipſe exponit, nè quis ſchiſmaticus otioſę & ſchiſmaticę fidei anſam ex Chriſti verbis arripere poſsit. Quod vero Matthæus triplex fructus genus recenſet, non modo varia Romanor. 12. nec vocationes ſaltem varias 1. Cor. 7. vult intelligi, ſed maius atque minus virtutum exercitium, ſiue feruens magis atque minus bonum opus. Theophylactus per centenarium numerum, perfectionem paupertatis, & ſummam operis boni exercitationem intelligit: per ſexageſimum, vitam cœnobitarum communem: per triceſimum, honeſtatem nuptiarum. Sunt qui Sexageſimum, virginitatem & cælibatum: centeſimum, martyrium ſignificare volunt. Sanctus Hieronymus ad Pammachium per centeſimum fructum, meritum intelligit virginitatis: per ſexageſimum, viduarum intelligit præmia: per triceſimum, mercedem accipit coniugatorum. Patribus in hoc conuenit omnibus, quod per trinam fructus varietatem, rara dona & rariorum donorum multifarias exercitationes operum bonorum intelligant. Nouis euangeliſtis aut corrigendus eſt Matthæus, aut tropus aliquis, quo dogma ſuum, omnia opera, ſiue bona, ſiue mala, ſunt paria: nihil intereſt inter continentiam & incontinentiam, inter ieiunia & ſaturitatem, &c. aſſerant, quærendus. Si varietatem temporum conſideramus, poſſumus martyrum eccleſiam centeſimo fructui comparare. Confeſſorum ætatem, qua acrius contra hæreticos laborabatur, ſexageſimo conferendam cenſeo. poſterius ſeculũ tranquillius illud, quo ſanctus Franciſcus, Dominicus, Bene-

Fructus verbo declaratur, quid ſit fructus proferre.

dictus, Bernardus, sancta Elizabeth vidua, & alij hoc genus sanctorum, floruit, mea sententia, non ineptè de tricesimo poterit accipi. Dura ætas, quo nos viuimus, ferrum est, collata ad aurum & ad argentum sanctimoniæ priscæ. Vsque ad miraculum sanctus habendus, qui duplex hodiè boni operis fœnus protulerit. Noui prædicatores, qui dicunt bona opera ad iustificationem nihil facere, huic tempori conueniunt. Tædium boni operis, ferè omnibus irrepsit: feruor operandi opera fidei, tepuit. Quod ergo, per Deum oro, gratius Euangelion prurientibus auribus nostris contingere potuit, atque hoc Euangelion, bona opera, quantumuis bona, iram Dei mereri, nedum non iustificare? Vetus nos Euangelion, quo hactenus Ecclesia catholica est vsa, & quod solum nouit, audiamus: Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, Ezec. 13. Eius Dominus Euangelij expurget ecclesiam suam ab impuris & leuissimis euangelistis illis, vt tandem rursus videat omnis homo, quod ipse sit Deus, cui omne bonum placet, & cuius Euangelion nobis præscribit, vt benè operemur non deficientes: quodque nobis promittit, vnumquemque quod fecerit boni, hoc reportaturū à Deo, cui laus sit & gloria, per æterna secula seculorum, Amen.

Euãgelici fratres posteriorũ ætatis nostrorum opus

DOMINICA QVINQVAGESIMAE, Lucæ 18

Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis, &c.

Sensus literalis ostendit prælatis Ecclesiæ viam, quæ Christum sequi debeant, atque exemplum præbeant plebi Christum sequendi. Est autem via crucis, quæ illuminat viatores & per se ingredientes, & facit etiam ad illuminandum cæcos quoscunque potentes.

¶ Sectio sensus eius esto.

1 *Prædicit passionem suam,*
2 *Vt discipulorum internam cæcitatem eximat.*
3 *Illuminat cæcum, vt virtutem suæ passionis declaret.*

¶ Exegesis.

Discipuli communi cæcitate Iudæorum laborantes, puta-

bant, regnum cælorũ esse gloriam huius mundi atque aulæ splendorem. Christus non in diuitiis, non in pompa atque potentia huius vitæ, sed in passione & cruce situm esse docet, quæ doctrina nihil obscurius discipulis esse potuit. Vnde Christus in cruce persona, & de cruce iam differẽs, cæcum illuminat, ostendens omnem virtutem lucis atque gloriæ latitare in cruce.

1 *Ecce ascendimus Hierosolymã, & complebuntur omnia quæ scripta sunt &c. Scriptura canonica crucis Christi complectum mysteria. Nouus Adam in ligno regnabit, Vetus per lignum peccati seruus factus. Disciplina noui Adæ sanandi eramus.*

2 *Et ipsi nihil horum intellexerunt. Consummatis omnibus, sed sum est velum à summo vsque deorsum. Iam liquescit, quid Isaac oblatus significet, quid aries cornibus in vepribus hærens, quid agnus Paschalis, quid legis sacrificia omnia. Ante Christi passionem ænigma & vmbra erant omnia.*

3 *Quid vis vt faciam tibi? Eccè qui passus est in carnis infirmitate, resurrexit in Diuinitatis maiestate. Vtrinque veritas. Illic clamat, Heli Heli, lamazabathani: hic exterret custodes. Sic etiã in horto manibus se cohortis tradens, ipsam solo prostrauit.*

¶ Sensus Mysticus & Moralis.

1 *Sermo crucis, abstrerret à mundi vanitatibus.*

2 *Vanitas huius mundi, ipsissima est cæcitas mentis.*

3 *Virtus verbi Dei, declaratur in illuminatione cæci.*

¶ Declaratio.

1 *Passio Christi ostendit atque ob oculos nobis ponit seueritatẽ districti iudicis, in peccata animaduertentis. Simile vide 2. Pet. 2. vbi vides iudicium Dei angelos, in totum mundum, & pentapolim, hoc est, Sodomam, Gomorrham, Admam, Seboim, & Segor.*

2 *Hiericho interpretatur luna, significat gloriam atque splendorem huius mundi. Mundus est ipsa tenebrositas, Ioan. 1. Significatur per Aegyptum, quæ tenebras significat.* * *Cedar, torrentem, qui & ipse tenebrarum habet significatum. Exemplum: Aurum & munera excæcant iudices, Venus excæcat libidinosos, fastus dementat elatos. Via Hiericho, significat malam consuetudinem.*

3 *Verbum gratiæ, sermo crucis, quidquid id est, excutit tenebrositatis. Mysterium: Apud torrentem* * *Cedar, mons olineti: Baptismus dicitur sacramentum illuminationis.* * *Verbum est necessarium, vt illuminati sequamur Christum omnibus viribus glo-*

sur *vñ.

riſcentis Deum. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

DOMINICA IN QVINQVAGeſima, Epiſtola 1. Corinth. 13.

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, &c.

PRAEFATIO.

Charitatis maxima prædicatio.

Dicite fratres, quis vnquam maius encomion audiuit? Agape, proximè & ſecundum Deum extollitur quæ maior eius laus prædicari poteſt? Nihil Deo maius, charitas non modò diuina, ſed Deus ipſe dicitur: nonne hoc omnem excellit commendationem? Audite Apoſtolum euangelici fratres: audite, & confundimini. Sola vobis veſtra fides ſufficit. Veſtra vobis perſuaſione ſatis eſtis iuſti. Expediret vobis, eam quam habetis fidem, non habere: grauius ſiquidem condemnabimini, niſi adſit vobis etiam charitas. Adeſte pij catholici, adeſte, & videte confuſos hæreticos. Charitatem, quæ deus ipſe eſt, eximunt à iuſtificationis ratione. Quod minus eſt, maiori præferunt: qui hic homines illos vertiginoſos non videt pudefactos, nihil videt. Sed vt ad tam ſacroſanctam lectionem interpretandam ſatis temporis habeamus, præfari iam ceſſabimus ſectionemque lectionis paucis indicabimus. Charitatem contra hæreſin, qua etiam tunc dicebatur ſolam fidem iuſtificare, Apoſtolus maximi facturus, eam Dei donis omnibus præfert. Denique encomion charitatis claudens, dicit in præſenti vita manere quidem fidem, ſpem & charitatem, ſed charitatem præſtare, hoc eſt, per illam eſſe ingreſſum, per hãc progreſſum & egreſſum. Fidem eſſe ianuam & fundamentum omnis boni, charitatem verò progreſſum eſſe & complementum.

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

Occaſio huius lectionis, eſt donum linguarum: qua quantum excelluerunt Corinthij, tamen etiam de ea ſeſe extulerunt: contra malum hoc extenuat hic Apoſtolus non modò ſcientiam & linguarum dona, ſed & omnia alia cùm corporalia tum ſpiritualia. In capit. 12. incipit

diſputatio,& in deci.quar.clauditur.Senſus eſt,fac experientiam habeas tot linguarum,quot Mithridates:& loquaris omnibus linguis iis ſolus, quibus loquebantur apoſtoli omnes: fac rhetorica excellas Demoſthenem & Ciceronem,dialectica quoque exuperes Ariſtotelem, immò fac angelorum linguis & ſapientia loquaris: nil tibi proderit ſinè charitate. Hoc eſt quod etiam alibi dicit, ſcientiam inflare, charitatem ſolam eſſe quæ ædificat. Trilingues illi glorioſi,hodie omnes leges conturbantes,Apoſtolum, quem alioqui ſe ſolos deuorâſſe,atque intelligere ſe ſolos arbitrantur,vel hic audiant. Lingua ſinè igne,cadauerina,eſt omnia fœdans. Igne caret lingua quæ ſibi hoc tribuit, quod euangelicorum fratrum nemo ſibi non promittit, nempe ſenſum purum, lauter vnd rein,qualem ne vniuerſi quidem hactenus nouerunt ſancti. O ſuperbiam, etiam ipſa ſuperbia ſuperbiorem.

Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem,ità vt montes tranſferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Linguarum dono hic prophetiam, myſteriorum intelligentiam atque ſcientiam,denique & fidem ipſam omnem,id eſt,totam atque perfectam,ſubiicit, oſtẽdens neque ea omnia ſinè charitate aliquid eſſe,hoc eſt,non iuſtificare neque ſaluare. Prophetia eſt donũ, quo futura prænunciantur, & quo ſcripturæ ſenſus declaratur. Idem ferè eſt,nõſſe ſacramenta Dei omnia, ſiue ea in ſcriptura contineantur canonica,ſiue non. Obſerua, Apoſtolũ rotundo ore hic loqui,itidem & pleno ore eloqui ſcientiam & fidem omnem. Scientiam omnem non modò humanam,ſed & angelicam. Angelorum,putà tam bonorũ quam malorum Audi Apoſtolũ pie catholice:prophetię adiicit omnium myſteriorum cognitionem & ſcientiã omnem,non ſolum Salomonis,Danielis, Ariſtotelis,Socratis, & aliorũ cum ethnicorum tum fidelium ſed & angelorum,immò etiam Dei: negat ea tamen omnia alicuius eſſe momẽti, hoc eſt,iuſtificandi virtutẽ non habere, nec ſeruare poſſe ſinè fide. Audi & frater euangelice quod nunc ſubdit: audi,inquam,vt vel corrigaris,vel cõfundaris:ad vtrumque efficax eſt verbum Apoſtoli,qui etiã omnem fidem

Fides ſine charitate non iuſtificat.

dicit nihil esse citra charitatem. Omnem fidem, ait, Mosis, Heliæ, Helisæi, Petri, Pauli, centurionis, mulieris Syrophœnissæ, Magdalenæ, & vniuersę ecclesiæ nihil tamę eam tibi cómodare, si charitate vaces. Fidem, inquá, si talem habeas, vt etiam montes transferas, si charitate sit orba, nihil prodesse. Fidę miracula edere, vides Matt. 17. Ioan. 14. Act. 3. Nihil sum, hoc est, nullus sum, quippe cui rectè dicatur: Nescio te, Non noui te, I maledicte in ignem æternum. Viderint noui euangelistæ, quo sophisinate ex nihilo aliquid efficiát, & qua argutia dialecticorum, ex omni fide, vel partem fidei, vel fidei aliquod genus vel speciem conficiant. Quod si ea, quę iam sunt dicta, ritè perspicias: videbis etiam errare nouos eos apostolos, qui elabendi rimulam quæritát, dicentes fidem & charitaté penitus vnam esse rem, prorsum indiuiduam cum verbaliter tum realiter. Fides, aiunt, tam non potest esse sinè charitate, quam ignis sinè calore. Quòd si hoc donemus, nõ tamen efficient, solam fidem absque charitate hominé iustificare. Primas meritò tribuerét charitati, Apostolo deferendo, qui eam maximá esse dicit. Sed hic videmus fidę per se esse posse in homine citra charitatem. Hęretici fidem sibi pollicentur, mali catholici & sibi de fide plurimum placent: qui si omnes tantum haberent charitatis, quantum habent fidei, statum ecclesiæ videremus magis tranquillũ. Nunc quoniam fides etiam sinè charitate habetur, Apostolus sedulò monet fideles, nè fidei fidant dono, sed & charitatem adipisci studeant. Idem facit Ioannes per totam epistolã canonicam. Et si charitas fidę præuenit in homine, quid est quod Apostolus noster dicit, Sectemini charitatem, 1. Corinth. 14?

Fides & charitas, vna res penitus non sunt.

Charitas fidem non præuenit.

Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ità vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Rhetoricum incrementum perquá iucundum. Incepit à spiritualibus donis, vndè ad corporalia venit. Non autẽ corporalia tantum rerum externarum, quæ etiá chara haberi solent, verũ etiam corporis proprij & animæ. Fac esse, homo calleat omnia linguarũ omniũ idiomata, nouerit mysteria omnia habeatq; fidẽ omnem: denique fac sua omnia reliquerit & erogauerit

pauperibus: postremò omnium, etiam seipsum omnibus martyrij generibus tradiderit: nunquid absolutæ illum iustitiæ prædicemus? Minimè gentium. At quid tali de esse dicemus? Charitatem, sinè qua omnia sunt imperfecta, nihil rectum, nihil syncerum. Charitas rectificat & absoluit omnia. Charitatis ergo doctrina & præcepta, lex dicuntur libertatis perfectæ. Dicis: Nunquid homo sinè charitate sua bona distribuere possit, & se quoque propter fidem tradere in mortem? Audi Christum respondentem Matth. 6. Nesciat sinistra tua quid faciat dextra. Audi item Christum reprobantem iustitiarium, dicentem: Decimas do omnium quæ possideo, &c. Itidem de martyrio seu corporali exercitio, audi Christum dicentem: Nolite ieiunare sicut hypocritæ. Iterum corripientem sanctulum, dicentem: Ieiuno bis in sabbatho. Ex hisce Christi verbis discе, charitatem requiri ad bonorum temporalium distributionem, & ad corporum vel castigationem vel martyrium. Ex motu misericordiæ æstimandum donum. Misericordia si adsit, dicitur eleemosyna: si absit, donum est quale hypocritæ dant, buccina prius personante omnia. Martyrium aliud non est, quam Reguli & aliorum qui non dubitarũt mori pro patria, vt indè gloriam in hoc mundo sibi perpetuam pararent: nisi minus peccatum sit, suam quærere gloriam in ecclesia Christi, quàm extra.

Martyriũ & eleemosyna, quæ fiunt citra charitatẽ, proprie neque eleemosyna, neq; martyriũ dicuntur.

Charitas patiens est. Hactenus quasi in genere charitatem extulit, nunc speciatim charitatis prœconium peragere incipit. Quindècim ordine articulis charitatem nobis prædicat atque commendat, dignis quos etiam pueris memoriæ traderemus commendandos. Hic siquidem argumentũ quisque petere potest atque periclitari, charitatem habeat néc ne. Charitas fructus spiritussancti, Gal. 5. Deus ipse, 1. Ioan. 4. Si vera est, facit bonum & vitat malum. Hoc Apostolus rudius & planius declaraturus, quindecim (quod, dixi) eius ponit fructus, vndè eam disnoscamus.

Primus est, longanimitas seu patientia. Iracundus charitatis est expers. Qui sese statim vlciscitur, charitate vacuus est. Verum itaque argumentum charitatis, longanimitas, qua homo æquo animo fratris suffert errores &

intem-

intemperiem, dicens sibi, hominem lædentem dignum esse misericordia magis, quàm pœna. Virtutem patientiæ vides relatam inter fructus spiritussancti, vtique filiam esse charitatis, Gal. 5.

Benigna est. 2 Chrestseuete, habet Græca veritas. Germanicè potest verti, Bequem hoc est, comis, facilis, bona, tractabilis. Contrà, charitatis expers, durus est, intractabilis, incommodus, putà quo nemo frui ausit. Virtuti huic iugum Christi confertur, Matt. 11. Virtus hæc etiam Christi maiestati adscribitur, Rom. 2. Tit. 2. huius etiam catholici admonentur.

Charitas non æmulatur. 3 Sine omni dubio qui charitate flagrat, æmulatione caret. Tantum enim abest, vt fraternæ gratiæ inuideat, vt magis plurima fratri optet. Gaudet ergò se totum perdere, modum fratri rudi inseruire, ipsum docendo & instituendo. Neque item diuiti inuidet, aut alij cuipiam fratri, quem animaduertit dona habere sibi negata. Contrà, contrarium huic virtuti vitium vide Rom. 13.

Non agit perperam. 4 Germanicè, Sie richt nichts leichtfertigs an quod est, nihil futile, nugale, & vanum molitur. Perpereuete Græcum, interpretibus ad vertendum difficile est visum. Sed si perperus, a, um, significat homineum leuem, futilem, nebulonem, nugacem, vanum &c. videmus perpereuete hoc, posse reddi Germanicè, liebkoset lobet einen heud schilt in morgen vvidder. Latine parasitastrum agere, placentia loqui, aliquem hodie in astra laudibus extollere, cras eundem diris deuouere: Item perperus qui non est, non est circumforaneus, non inconstans, neque (vt cum poeta loquar) bonorum extortor, & legum contortor. Germanicè, kein vvindfanck nicht vnbestendig bekommert noch betrubt niemand vvider recht vnd billich non simultates, non seditiones, neque cædes excitat atque mouet. Breuiter, grauis est, constans & iustus, quem alias bonum vocamus virum. Atque hoc est quartum argumentum charitatis diffuoscendæ. Sequitur quintum:

Non inflatur. 5 Qui charitatem in se habitantem atque dominam, non ingreditur iunonium, non intumescit philautia, instar apologicæ ranæ, bouem æquare

meditantis. Superciliosum pharisaismum sese adeò efferentem Apostolus taxat 1. Cor. 4. Col. 2. Physiosin crimen hoc vocat, Latinè tumorem, 2. Cor. 12. Suprà cap. 8. ait scientiam inflare. Loquitur ibi Apostolus de illis qui sciunt omnia, quæ per os sumuntur, edulia animam non coinquinare. Hac scientia dicit sciolos charitate carentes insolescere, nec vlla fratrum habita ratione, sua scientia quoscunque offendere infirmos, sumendo cibos eos qui aliis religio sunt, si eos sumpserint. Quid huiusce fastuosæ insolentiæ non videmus in nouis euangelistis, qui præterea nullum, qua sese pios & religiosos ostentent, sanctimonię habent specimen, nisi scientiam eam, atque adeò licentiam vescendi quibuslibet? Sic etiam omnia perperàm agunt veri ardeliones, qui audent vel ipsis diuis nunc obloqui, nunc eosdem laudare. Exemplum est epistola Iacobi, quæ nunc illis stramentitia reiicitur, nunc aurea suscipitur. Similivesania etiam in sanctorum professionem catholicam & sacrosancta eorum monumenta, sibi censoriam virgam sumunt, hæc probando, illa carpendo.

Non est ambitiosa. 6 Sie (die liebe) helt sich nicht vngeburlich. Nihil indecenter agit, aut etiam loquitur. Ità se in omnibus cùm verbis tum factis gerit, nè quem offendat. Oportet vt Christianorum conuersatio professioni respondeat. non solùm omnia honestè & decenter fieri debent in choro, sed & in foro. Alterum habes 1. Cor. 14. alterum vides Rom. 13. Quod hic prohibetur negatiuè, hoc Rom. 13. præcipitur pręceptiuè. Hic vult, ne indecens quid committamus: illic, vt scitè, belle, atque honestè omnia peragamus. Quod dictio, nihil, hic demit, idipsum illic addit Græcum eu. Vtrunque sensum vnum importat. Non agere indecenter siue incompositè, & agere decenter siue composite, æquipollet. Expediendum hoc dilucidè sum ratus, submonens interpretes scripturarum, vt omnia propriè reddere studeant: cauentes nouos Luteranos interpretes, qui sæpenumerò contortè in suorum errorum prærogatiuam, scripturam transferunt.

Interpretes insyncera nouæ euangelistæ.

Non quærit quæ sua sunt. 7 Magis verò quęrit q̃ sunt aliorum. Meum & Tuum, sunt quæ conturbant totum

mundum. Roma vrbs talibus non floruit auſpiciis: nemo enim ſua in eius flore quæſiuit. Sic neque eccleſiæ exordia propriæ commoditatis conſtiterunt reſpectu. Charitas proximi non quærit ſua: philautia verò ſua nō quærere non poteſt. De talibus ait Philip. 2. Omnes ſua quærunt, & non quę ſunt Chriſti. Contrà Apoſtolus ait: Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos, 2. Cor. 12. Ad quid autem? Nunquid quęſiuit Corinthios, vt in carne eorum gloriaretur? Minimè, ſed vt illi per eius doctrinam ſeruarentur. Non crumena ſeu vulga, neque penu veſtrum me afficit. vos mihi cordi eſtis. Similia etiam ferè dicit 1. Cor. 10. Attende inſtar epiſcopalis functionis, quod primitiuæ eccleſiæ adeò expreſſere. In nouis euangeliſtis fratribus nihil vides vſquàm, niſi commoditatis proprię curam. Apud ipſōs verè locum habet, Quiſque pro ſe. Talis ſectę auſpicia talia, palàm intelligenti cuipiis adumbrant, ſectam eam diu ſtare non poſſe.

Non iritatur. 8 Qui charitatis eſt expers homo, quibuſlibet contumeliis vtut leuibus, iritatur atque exacerbatur, puta per Rhaca, Germanicè, hodel lomp rāg droph laux et c. Contrà, charitas Dei & proximi ſcintilla vel minima caleſcens, omnia æquiori animo ſuffert. Tale eſt illud Terentianum

Demiphonis verbum:
Etſi mihi facta iniuria eſt, veruntamen
Potiùs quàm lites ſecter, aut quàm te audiam,
Itidem vt cognata ſi ſit, id quod lex iubet.
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.

Naturæ hoc exemplum eſt: gratiæ exemplorum eccleſia abundat. Et ſine gratia nihil ſunt exempla naturæ, niſi phariſaiſinus, aut hypocriſios argumenta omnia. In fidelibus quoque affectus vetuſtatis permanent, ſubindè gratiæ Dei expiandi ſacrificio. Paroxyſmus ſiquidem ille fortior eſt, quàm vt vllis vel Galeni vel Celſi cura tolli poſsit. Exemplum eſto de D. Paulo & Ioanne Marco, id quod legis Act. 15.

Non cogitat malum. 9 Quomodò poſsit amans fratris, aliquid aduerſi machinari in caput fratris, pro quo ſit paratus etiam ſubire mortem? Vide quæ & quanta fuerit amicitia ethnicorum. Turpe fuerit audi-

tu, si non illi præualeat germana fraternitas Dei filiorum. Rom. quoque 13. aït, charitatem fratri nihil mali intentare. Hic ad interiora respicit, dicens ne fratri quidem malè velle, Zach. 7. cogitationes malæ prohibentur, Matt. 15. damnantur.

Non gaudet super iniquitate. 10. Et quomodo de iniquitate gaudeat, cui nihil prius sit ipsa iustitia, quem nihil adeò concoquat atque violentia? Exemplum eius habes Loth Gen. 19. 2. Pet. 2. Item ipsum Dauida Psalm. 118. & 138. Iniquitatem peiùs angue odio habet, quisquis proximum diligit, teste Christo Matth. 7. De crudelibus quiduis audentibus, vide quid Apostolus scribat 2. Thess. 2.

Congaudet autem veritati. 11 Cùm charitas Deus ipse sit iuxta atque veritas, 1. Ioan. 14. non est quod hominem amantem Dei & proximi magis oblectet, quàm veritas. Simile siquidem simili congaudet. Veritatem loqui iubemur cum proximo, Zach. 7. Eph. 4. Veritas item prestanda, Ephes. 4. 1. Ioan. 1. Veritas & iustitia germanissimæ sunt virtutes. Vndè non citra venustatem hic eas connexuit Apostolus.

Omnia suffert. 12 Fortis vt mors dilectio. In eam quadrat, quod vulgò dicitur:

Ferre potest dorsum scommata cuncta meum. Latum mihi est dorsum, quippe quod morsus quoslibet gestare potest. Nihil amanti durum. Gaudet amans, etiam seipsum expendere in reip. Christianæ commoditatem.

Simplicitas catholicorum quæ.

Omnia credit. 13 Simplex & rectus exemplo Iob, est igne amoris æstuans. Omnes ex se æstimat vt facilè & credit & decipitur. Astutus contrà nulli fidem adhibet. Vulpem facilè rete tensum non capit. Post fornacem nemo alium quærit, nisi ibidem qui aliquando delituit. Nimia simplicitas vergit in vitium, nisi etiam illi adsit serpentina prudẽtia. Illic creditur catholicæ veritati, hic euitatur hæreticorum impostura & mendacium. Sed credulitas ea, de qua hic agitur, de rebus intelligenda temporalibus, quæ alioqui non curant fideles.

Omnia sperat. 14 Sperare hoc, tam non potest de spe ea, quæ vna est virtutum theologicarũ, intelligi, quàm credulitas ea, de qua iam dictum est, de earundem virtutum

vna poteſt intelligi. Vtrunque horum Apoſtolus loquitur de ethicis virtutibus. Cæterùm fides & ſpes, charitatis ſunt exordia. Per me quidem de theologicis virtutibus quiſpiam vtranque virtutem intellexerit, niſi inde animaduerterem imprudentibus dari anſam errandi, nempe charitatem eſſe originem fidei & ſpei: Quod nouæ hæreſios materia & fomes eſſet. Tutum ergò eſt, nihil noui effingere. Ioannes Chryſoſtomus & Theophylactus de moralibus virtutibus vtrunque locum intelligunt. Senſus itaque eſt: Homo proximi amore ardens, ſi aliquid audierit quod proximi famam lædere poſsit, ſtatim ſpem concipit, rumorem eſſe vanum, aut maiorem vero. Deum etiam ſi ſciat crimen eſſe manifeſtum, ſtatim [redacted] cùm ſciat [redacted] ſperat etiam inſignes [redacted] fuerunt in bonum præcipuum [redacted]. *Charitas fidem non præcedit.*

Omnia ſuſtinet. 15. Suſtinere hoc, ferè idem eſt, cum ipſa ſpe, de qua iam ſuprà eſt dictum. Sed membrum præſens hoc magis intelligendum de ea, qua homo patienter ſua tert incommoda & aduerſa. Hypomone ſiquidem paſsim in nouo teſtamento accipitur pro patientia in tribulationibus.

Charitas nunquàm excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ampla & ter maxima prædicatio charitatis, prophetia certè nihili res non eſt, linguarum donum præcipuum eſt, nec mediocre eſt Dei munus ſapientia, ſed perfunctoria, tranſitoria, & euanida. Charitas verò permanet in æternum, etiam ceſſante fide & ſpe. Hic incipit charitas, & ne in ſeculo quidem futuro ceſſabit. Ambroſius dicit: Charitas eſt, quæ in præſenti vita commoda eſt, & in æternum cum Deo permanſura. Ad charitatis veræ encomium accedit, quòd etiam inuariabilis eſt: quod Græcum importat Ecpipto, hoc eſt, vario, muto, quo etiam vtitur Apoſtolus Rom. 9. Auguſtinus ſuper geſtis cum Emerito Donatiſta: Si, ait, charitatem non habeo, illa ineſſe poſſunt, prodeſſe non poſſunt. Loquitur de fide, de prophetia & de ſacramentis.

Omnia prætereunt, præter amare Deum.

Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.

Epexegesis est superioris membri. Sensus est: quod imperfectum est, durabile non est. Prophetare, linguas callere, sapere plerique videntur plenè: sed vbi futura vita apparuerit, tunc quoque fiet manifestum, non modò parùm nos hic intellexisse & scisse, sed propemodùm nihil. Vmbra est & ænigma futurorum, quidquid hic vel intelligimus, vel sapimus: nõ possunt ergò perpetuè permanere. Græcum telion, quod etiam finem præ se fert, vult omnia ea desitura. Ambrosius dicit, Plenitudinem veritatis nos neque mente concipere posse, neque verbis exprimere: imperfectionem ergò eam nostram cessaturam. [redacted]. Spes ea futurorum tantorum gaudiorum, miseros nos alere atque fouere debet exules. Apostolus Phil. 3. de imperfectione huius vitæ ait: Non quòd assecutus sum, sed sector, ait, vt apprehendam. Est tamen & sua viatoribus perfectio, de qua dicitur Matt. 5. Luc. 6. 1. Cor. 14. 2. Cor. 13. Col. 1.

Cùm essem parvulus, loquebar vt parvulus, sapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant parvuli. Pergit se declarare, idque aliis sub indè & aliis argumentis. Vult dicere: Charismata omnia quæ ad præsentis ecclesiæ œconomiam atque religionem pertinent, vos malè charitati, quæ futuræ vitæ est vnica virtus & neruus, præfertis. Ego quoque nihil horum, præsentis puta ecclesiæ charismatõn, non habeo: sed neque me indè effero, videns ea omnia esse nihili, collata ad charitatem, quæ futuræ vitæ est præcipua energia. Exempli gratia: pueri quoque sapiunt, consultát, & consilia dant: verùm vbi adoleuerint, incipiunt statim ea, quæ pueri maximi fecerunt, vngue notare omnia. Sic & firmitatis vitæ præsentis summa, collata ad virtutem eam quæ nos manet in alia vita, infirmitas apparebit. Huc facit locus consolationis plenus, quem ex Esaia sumptum, Apostolus ponit 1. Corinth. 2.

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Simili ſuperiori de puerorum debilitate, hic ſubdit aliud non minus aptum, atque ſuperius illud. Duo vero hic vna connexa nobis proponit alterum ſpeculi, alterum ænigmatis. Qui ſe in ſpeculo contemplatur, videt quidem, ſed nihil eſſentiale: ſpeciem ſaltem videt inanimem atque incorpoream, ex corporali & animali re prouenientem. Sic qui ænigma diſcutit, ſpeciem quidem rei mente concipit, alia atque alia colligens. Fides eſt ſpeculum, ſcriptura † hida ſiue ænigma. Futura perfectiora ea non poſſumus, niſi per ſpeculum, æſtimare in hac vita: poſthàc verò, vbi rei fruitio nobis conceſſa fuerit, fides noſtra ceſſabit: neque tunc opus habemus diſcuſſione ſcripturarum, quæ ad futuram agnitionem ſi collata fuerit, ænigma videbitur. Sic huius vitæ ſcire atque credere, ſpeculum ſaltem eſt & ænigma: hoc eſt, imperfectum eſt quidquid huius vitæ eſt. Similia ferè vides 2. Corinthior. 5. Per fidem ambulamus, non per ſpeciem: hoc eſt, tantiſper dum hic viuimus, oportet fide nos eſſe contentos. ad expreſſam enim ſpeciem eius quod creditur, nullus in hac vita pertinget. Iterum diuus Ioannes primæ capite tertio, ferè ſimilia dicit: Chariſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit id, quod futuri ſumus. Scimus autem, quod ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Fidem vides collatam ſpeculo, & ſcripturam ænigmati, quod in hac ſemper vita permanebit: poſthàc verò, vbi facie ad faciem videbimus, hoc eſt, vbi Deum & omnia myſteria, quæ hic plenè capere non poſſumus, expreſſe cognouerimus, meritum fidei & ſtudium accipiemus: nec porrò locum habebit ad vlterius meritum neque fidei ſpeculum, neque ſtudij ænigma.

Fides ſimilis eſt contemplationi quæ fit in ſpeculo, hoc eſt, imperfecta eſt.

Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Ac ſi dicat: Video & intelligo nonnihil per fidem & ſcripturam, nempe quid Deus ſit, & quod eius regnum. Sed quidquid id intelligentiæ atque fidei eſt, ex parte eſt, & ex parte manebit vſque in futuram Epiphaniam: tunc enim primum Deum planè cognoſcam: tunc item cognoſcam, quo conſilio Deus omnia huius mundi condiderit & moderatus ſit: quo me arcano

Tria ſolida, hoc eſt, inſtificantia.

amarit, atque ab æterno elegerit, qua virtute diabolum & omnes reprobos damnauerit. Tunc primum quid æternitas, longitudo, latitudo, altitudo & profunditas sit, intelligam. Iam qui se de sua sapientia iactat, stultitiam suam omnibus manifestat.

Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. Illatio finalis. Tria hæc dicit solida permanentia: quæ vero tria? fidem, spem, & charitatem. Quibus hæc præfert? Charismatibus præmissis omnibus, putà prophetiæ, dono linguarum, scientiæ, sapientiæ, &c. Hæc omnia dicit ad iustificationem nihil facere, posse hominem sinè illis saluari: sinè tribus verò his, fide, spe & charitate, neque iustitiæ laudem, neque præmium, ehe sperandam. Tria ponit Apostolus. faceſſat qui saltem vnum mentitur, duobus resectis, Luteranus hæreticus. Sanctus Hieronymus vocat hæc tria sparum triplex, qui (teste Salomone) difficulter rumpitur: ad Theonem. Idem libro primo contra Iouinianum dicit: Scimus ecclesiam spe, fide & charitate inaccessibilem, inexpugnabilem. Hic oritur quæstio: Num horum trium aliquid maius efficaciusque existat? Vtiquè. Quis enim non ausit cum Apostolo charitatem duobus proferre? Primo excellit charitas, quia cæteris cessantibus, ipsa manet, etiam in alia vita. Secundo, quia ipsa Deus ipse est, iuxta atque veritas, liberans nos & seruans, iustificans & beans. Tertio, quod cum Deo potissimum agit & cum homine, Deuteron. 6. Matthæi vigesimo secundo. Fide saltem agimus cum Deo, & spes spiritualis est. Charitas tametsi ignis sit, exerit tamen suum ardorem ad proximum. Quarto, Præter charitatem nemo neque iustificari, neque saluari potest, quod etiam ex secundo satis liquescit. Non refert quòd post fidem & spem ponatur. Rhetoricus color est, maxima in posteriorem ponere locum. Et rei ordo exigit, vt res secundum quod sibi succedunt, ponantur. Sic Abraham præponitur Dauid, Dauid Christo. Dicimus siquidem aptè: Abraham, Dauid, Christus: non quod illi hoc fuerint potiores, sed secundum humanitatem priores siue antecessores. Summa: Bona fides, & spes melior, & optima charitas, siue de hac vita, siue de futura intelligas, vtcunque hæreticus

Trium horum solidorum iustificãtium, charitas est præcipuum.

Charitas minor nõ est quod post fidem ponitur.

hic ringatur. Legat ſacerdos, quid de benenolétia (ſic enim vocat charitatem) ſcribat Ambroſius Offic. 1. capit. 32. 33. 34. Inter cætera dicit: Auſer beneuolentiam, & ſolem è mundo abſtuleris. Videat etiam ſacerdos quid de fide, ſpe & charitate Marcus Marulus in euangeliſtario ſuo diſſerat. Dominus Deus, qui ipſe charitas eſt, omnia iuſtificans & ſaluans, eam virtutem theologicam, quæ ſua efficacia & fidem & ſpem excellit, quę manet & ſolida eſt, hoc eſt, ad iuſtificationem & beatificationem præſens adeo & efficax, nobis ab hæreticorum adſperginibus puram cuſtodiat, nobis eam largiatur & ſubindè augeat, ad ſuam ſolius gloriam, qui vnus in ſancta Trinitate viuit & regnat, Amen.

EADEM DOMINICA QVINQVAGESIMÆ, Euangelium, Luc. 18.

ASſumpſit Ieſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis, &c.

PRAEFATIVNCVLA.

ILluſtrius haud aliquid eſſe poteſt, atquè hic locus eſt. Chriſtus Ieſus in quem credimus, & quem vnicè collimus amantes, hic ab euangeliſta deſcribitur: nempe ſic, quod ſub paſſionem ſacram multas ciuitates & oppida peragrauerit, & tandem multo itinere confecto, Solymas venerit, ad prophetarum oracula complenda ſeſe vltro offerens. Et vt profectionem eam nobis faceret commendatiorem, non ſolum deſcribit Euangeliſta ea quæ Chriſtus in ipſa docuit, ſed & miracula quæ in ipſa edidit. Profectio ea non debet ſinè ſingulari ſolennitate tractari: neque enim eam ſibi, ſed nobis, pro quibus mori voluit, ſaluator tot exantlatis laboribus peregit. Inter eundum diſcipulis ſuis mortem ſuam, cuius deſtinatum tempus adeſſe præſciuit, ſignificauit: & continuò miraculum hoc, quod iam audiſtis edidit, nè mortis ſuæ lamentabilis ea denunciatio, animos diſcipulorum planè ſolo proſterneret, diuinæ ſapientiæ præclarum de ſe inſtar præbens. Lectionem eam hanc bipartior, & ſectionis huius hæc pars prima exiſtit.

Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Duodeni hi, erant electi Matth.10. Hos Dominus libenter & frequenter secum habuit, in toto mundo testes suos futuros, Ioan.15. Actorum decimo. Testes verò iuratos oportet rei eius, de qua testificari debent, plenam habere cognitionem: quod & gentium & ciuile ius, ipsaque æquitas sic postulat. Dicit ergo & ipsa veritas Ioannis tertio. Hoc quod vidimus, testamur. Discipulis itaque suis & testibus futuris, grandia suæ passionis mysteria reserauit. Quasi dicat. Vobis charissimi, datum est, nôsse mysteria regni cælorum: nolo itaque vos latére, statim post hanc præsentem, cui iam insistimus, profectionem, arcana omnium maxima, quæ adhuc in me restant adimplenda, in suum finem deductum iri omnia. Multa, dilectissimi, horrenda Iudæorum vidistis odia, sed supereſt adhuc eius odij summum. Eccè ergo ascendimus Hierosolymam, vt omnia ea quæ de me scripta sunt, perficiantur. De conceptione & natiuitate mea prædictum est Esa.7. Hierem.31. Mich. 5. De pueritia, Esa.8. De vita & conuersatione, Esai.42. De miraculis, Esa.35. Hęc, inquam, omnia sunt adimpleta. Supereſt adhuc mors & mortis genus, psalmo vigesimoprimo. Esa.53. Hierem.11. Daniel.9. Zachar. 13. Item figuræ Isaac oblati, Ioseph venditi, phase, victimarum, & hoc genus cætera vsque ad hyssopum, quo sanguis victimarum super populum adspergebatur. Supersunt item sepulturæ oracula & figuræ, Esa. 53.57. Genes.37. Resurrectionis & ascensionis, psalmo decimoquinto, Esa.63. Gen. 37. Iudic. decimosexto. Pentecostes Iohe. 2. Num.18.28. Deuteronom.16. Hæc omnia suum quoque effectum desiderant: sed nihil eorum perfici poterit, nisi prius mors acerbissima, & ea turpissima, præcesserit, Homo verus sum natus, homo verus moriar: sed non clinicus, lecto decumbens, morti obnoxius. Mors nihil iuris in me habet, nec item princeps huius mundi iam veniens. Animam meam à me tollere potest nemo, sed ego mea sponte ponam eam, & secundum scripturam, iterum assumam. Hæc omnia vt declarentur, acerbissimus calix mihi etiam sitibundo supereſt ebibendus.

Huic Dei iudicij poculo ſatan luctatur Matthæi decimoſexto. Neque enim alia via humanum genus poterit ſaluari. Sic Dei iuſtitiæ ſatisfaciendum, ſic paradiſi aditus rurſus patefaciendus. Genus mortis cum circunſtantiis omnibus breui compendio vobis delineauero.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum: & tertia die reſurget. Breuiſsima epitome paſsionem complexus eſt ſaluator omnem. Tradetur, illudetur, conuiciis proſcindetur, conſpuetur, flagellabitur, & occidetur. Septimum, reſurget à mortuis, in Dominicæ paſsionis prædicatione nunquam ſilentio premi debet. Vndè & hic animo præſenti ſtatim poſt paſsionis ſuæ ſignificationem, ſaluator reſurrectionem quoquè ipſam indicauit & prædixit. Maximum quippe & reſurrectionis ſacræ eſt ſacramentum. Traditus ſiquidem eſt ob noſtra delicta, ſed propter noſtram iuſtitiam reſurrexit, Roma. 4. Peculiare eſt Apoſtolo, mortem Chriſti & reſurrectionem vnà ferè maritare. In hoc enim mortuus eſt & reſurrexit, vt viuorum dominetur & mortuorum, Roman. 14. Item 2. Corinth. 5. Pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit, vt qui viuunt, poſthàc ſibi non viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Paulus in ſynagoga huiuſmodi myſteria expoſuit Actorum decimoſeptimo. Mors Chriſti ſinè reſurrectione, mundo ſalutaris non fuiſſet: ſed mors & reſurrectio vna ſunt noſtra victoria, iucunditas, ſalus & beatitudo. Attende, non ſolum prophetas Chriſti mortem prædixiſſe, ſed & ipſum quoquè Chriſtum cum præuidiſſe, tum præuaticinatum omnia. Eià quam penſiculatè ſingula præuidit, quam clarè & expreſsè prænunciat omnia. Quis non hic videat Chriſtum caput eſſe omnium prophetarum? quis non hinc euincat, mortem in Chriſton nihil iuris habuiſſe? Non hic caſus, ſed æternum cõſilium: non incautũ Chriſtum mors ſurripiens ſuſtulit, ſed ille mortem, diabolum & inferos aperto Marte aggrediens, de illis triumphauit. Aſcendens itaque Hieroſolymam, diſcipulis ſuis declarauit omnia. Primo tradendũ gentibus ſe commemorat, reſpiciens in cohortem, in Pilatum, & in Herodem,

Reſurrectio paſsioni ſemper addatur.

Mortem Chriſtus vltro prudens volẽs quæſiuit.

quibus crucifigendus est traditus, vtique à summis sacerdotibus & principibus populi, Ioann. 18. Nobis non licet interficere quẽquam, Mar. 15. Nouerat Pilatus quod per inuidiam tradidissent eum. Pilatus quoque ait Ioan. 18. Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Secundò illusionem commemorat & insultationem vtriusque gentis. Iudæi dicunt: Prophetiza nobis Christe, quis est quis te percussit? Luc. 22. Et rex gloriæ ethnicis quoque ostentui fuit. nam & illi Christum purpuram induentes, coronam spineam capiti eius imponentes, dixerunt: Aue rex Iudæorum. Tertiò, Conuicia, quibus se afficiendum nouerat, recensuit. Neque enim subsannauerunt Christum solum, verum etiam tanquam scelus traduxerunt, Matth. 26. Blasphemiæ arguunt. deinde Ioan. 18. dicunt: Si non esset hic malefactor, nequaquam obtulissemus eum tibi. Demum etiam dicunt: Recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuẽs, Post tres dies resurgam. Adeò tota passio in vniuersum nihil fuit, nisi ipsissimum scandalon. Vndè ait: Confusio cooperuit caput meum. Quid quod & titulum gloriæ contumeliosum esse voluerunt? Quartò prædixit se conspuendum, quod neque tacuerunt prophetæ. Non auerti, ait Esaias, faciem meam à conspuentibus in eam. Horrendum hoc, sed reuerà factum est. Matth. 26. Mar. 14. Lucæ 22. Ioan. 18. excreando Iudæi faciem glorioſam conspuisse dicuntur. Itidem & ethnicos fecisse, vides Matth. 27. Marc. 15. Quintò dicit verbis verbera accessura. Horrendum & hoc, vndè etiam à prophetis est vaticinatum: Disciplina pacis nostræ super eum: Quæ non rapui, tunc exoluebam. Nos putabamus eum quasi leprosum & percussum à Deo. Fabricauerunt peccatores super dorsum meum, &c. Iuxta hæc prophetarum oracula, punctim cæsimque non tergum modò sanctissimum, sed & glorioſum caput tantũ instar petiêre, Ioan. 19. Sextò prædicit se iri occisum, & vt Philo prædixit, hoc fore morte turpissima. Clamitauerunt itaque & succlamitauerunt, Crucifige crucifige. Pilatus quoque tot clamoribus victus, crucifixit Iesum, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Crucis turpitudo, per regem gloriæ in summum decus & angelis & hominibus est versa. Heu mihi, quanto desiderio Petrus,

Passionis ritus contumelioſus.

Crucis mors turpissima.

Andreas, & decẽ millium martyrum plerique ad crucis ſupplicium properârunt? De crucis gloria vide 1. Cor. 2. 1. Corinth. 15. Reuera arbor ſacra, quæ vitę nobis fructum, & præſens contra omne malum protulit antidotum. Harum ſex Chriſti paſsionis ſpecierum, primam Matthæus & Marcus expreſsius deſcribunt, nempe ſic: Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & crucifigendum. Significanter dicunt, eſſe traditum, reſpicientes in hoc, quòd primò fuit per Iudam traditus Iudæis: ſecundò, quod à Iudæis fuit traditus Pilato. Poterit aliquis dicere, Chriſtum ter eſſe traditum. Tertiò nimirum traditus fuit à Pilato bis: primò cohorti ad flagellandum: deindè ad crucifigendum. Poſtremò, quòd Chriſtus hic ſe prędicit reſurrecturum, & hoc quoque factum videmus, Mat. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. Et Apoſtoli multa virtute Chriſti reſurrectioni teſtimonium dederunt. De hoc articulo prophetarum oracula ſuprà vides adducta. Figura præ cæteris illuſtris, eſt Ionas, interprete ipſo Chriſto Matth. 12. Res mira, hominem mortuum iterùm reuiuiſcere: non minoris miraculi eſt, hoc prophetas antè præuidiſſe. Poſtremò omnium mirabiliſsimum, moriturum hominem hoc ipſum quoque prædicere, & reſurgendi virtutem penes ſe habere. Sic in omnibus Chriſti geſtis, alia miracula alia trudunt: quod cum primis animos noſtros in Chriſti fide fulciat & muniat. Hæc, chariſsimi, audientes, Chriſtum ſuam mortem prædicere, perſuadere vobis debetis, cuique veſtrum ea omnia eſſe prædicta. Vniuerſis & ſingulis, triſtis in ſeſe Chriſtus ſua fata prædicere voluit, vt quiſque ſuam mortem & pericula omnia in Chriſto eſſe nouerit ſacroſancta. Qui tangit vos, tangit, pupillam oculi mei, dicit Dominus. Quem Dominus diligit, corripit. Charitatis eſt correptio: charitatis eſt, calicis paſsionis communicatio. In charitatis eius ſignificationem, Epiſcopus in confirmationis ſacramento amiciſsima plane dextera alapam confirmandis incutit. Q. d. Impinget tibi colaphum Dominus, crucis ſuę te participando, quoniam alia nulla ratione eius gloriæ cohæres eſſe poteris. Hoc eſt quod Chriſtus nobis

Crux chriſti, noſtra et miſſum noſtra, Chriſti.

ſubindè inculcat Matth. 5. Beati eſtis, ſi perſecuti vos fuerit homines propter nomen meum, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Matt. 10. Eccè ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Tradent enim vos in concilia, & in cóciliabulis ſuis cædent vos flagris, &c. cap. 23. Eccè ego mitto ad vos prophetas & ſapientes & ſcribas, & illorum aliquos occidetis, crucifigetisque. Item ad apoſtolos: Eccè ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Item: Veniet tempus, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo, Ioann. 16. Sanctus Petrus monet, vt hac cogitatione armemur. Q. d. Hic aliter fieri nō poteſt. Item idem 1. cap. 2. Qui paſſus eſt pro nobis reliquit exemplum, vt eius veſtigiu ſequamur. Niſi compaſsi fuerimus, non conregnabimus. Non eſt ſeruus maior Domino. Et ſicut Chriſti paſsio multifaria fuit, ità & noſtra non ſimplex. In primitiua eccleſia multi S. martyrū, ſpecies haſce omnes ſunt experti. In decem millium martyrum paſsione, Chriſti mortis ſupplicia innouata ſunt omnia: quarè & Dominus terræmotum, ſolis deliquium, ſciſsiones petrarū, & cætera omnia miracula ſuæ ſanctæ paſsionis renouauit. Chriſtianos variæ delationi & proditioni eſſe obnoxios, habes Mat. 10. & 20. Subſannādos fideles ſcriptura ſacra indicat 2. Par. 30. 36. Nehe. 4 Pſal. 34. Hier. 20. Act. 2. & 17. Infamiæ notas atque ſtigmata Chriſtianis inurenda, Chriſtus ipſe prędicit Mat. 5. Exempla habes Act. 5. Et oues occiſionis, ſiue peripſemata mūdi, quis non videt eos ſputis etiam ſcreatibusque turpiſſimorum quorumcunque hominum fore obnoxios? In capite noſtro Chriſto, idem Eſaias nobis prædixit. Verberibus & flagris nos eſſe proſcindendos, Matth. 23. nobis prædicitur. Exempla extant 2. Corinth. 11. Acto. 4. 22. 23. Morti denique nos dandos, Matth. 21. 23. Exemplum 2. Corinth. 11. Acto. 7. Heb. 11. Hic meminerimus verborum Danielis, Miſac, Sidrac & Abdenago, Machabæorum, Suſannæ, & aliorum hoc genus martyrum veteris teſtamenti, dicentium: Melius eſt homini incidere in manus hominum, quàm impingere in legem Dei.

Martyrū veteris teſtamēti iō ſtātia nos exhortatur.

Veteris inſtrumenti ſancti martyres non potuerunt

vlla violentia à paterna religione abſterreri, magis nos pro apoſtolicis traditionibus, pro eccleſiæ catholicæ diſciplinis, ſanguinem facilem effundere deberemus. Eſt certè & martyrium, pro piis eccleſiæ ſuccumbere ritibus, tot ſanctorum vſu approbatis. Nam quæ tandem fidei noſtræ ſtabilitas, ſi eccleſiam obliterauerimus? Hoc hæreticorum proprium eſt omnium, vt primò eccleſiæ maieſtatem conentur tollere: nam ea abolita, venenum ſuum commodius effundere poſſunt. Non inglorium ergò martyrium fecerit, qui pro eccleſiæ authoritate conſeruanda & illuſtranda, morti ſeſe obtulerit. Non hæc omnia ſic intelligas, quòd quiſquam temerè debeat ſibi capitis ſui periculum accerſere. Domini eſt, martyres eligere & confeſſores. Dominus, ſi quem ad martyrium vocauerit, proculdubio & mentis robur ſuperandis ſuppliciis ſuppeditabit. Qui vocatus non fuerit, neglecti martyrij culpæ non ſubiacebit. Tutum apud catholicos eſt verbum: Sufficit eſſe confeſſorem, quem Dominus non vocauit martyrem. Accedit huc, quòd eccleſia quoque confeſſorũ natales celebrat, quam quam in ſui incunabulis hoc non fecerit. In poſteriori eccleſia, quando ſancti confeſſores per hæreticorum rabies variè exercitabantur, pro martyrio reputatum eſt, quidquid curarum & ſolicitudinis ſancti patres pro eccleſiæ Dei maieſtate pertulerunt. Tanta eſt ranarum Aegyptiacarum & rubetarum clamoroſa & irrequieta factio, vt quiſque fidelis huiuſmodi iniuriis martyr fieri poſsit, vel citra ſanguinis effuſionem, ſaltem per gladium doloris, quo quis non perſcindi non poterit, tantam hæreticorum intemperiem recte ſecum reputãdo. Adeo crux electos ſemper manet. Expedit ergo, hunc locum ſemper ob oculos haberi: ſic enim fiet, vt in omnibus inſtructi, ad omnia ſimus paratiores. Mundus quod ſuum eſſet, nihil vidit in Chriſto, vndè eum non odiſſe non potuit. Et nos quoque Chriſtus è mundo hoc elegit: inuidentię mundi ſemper erimus obnoxij, diuerſum iter à mundi conſuetudinibus tendentes. Beatus qui in via Chriſti, mundi minis exercetur.

Hæreſes impugnare pro martyrio habetur.

Et ipſi nihil horum intellexerũt. Erat enim verbum iſtud ab-

Mortẽ suã duplici ratione Christus prædixit.

sconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Theophylactus ille, author non contemnendus, dicit Christum duabus rationibus mortem suam hoc loco, cùm iter Hierusalem tenderet, prędixisse. Primò, vt ostenderet se non inuitum, neque se vt purum hominem, morte interceptum, insciũm & incautum: sed præsciisse, & vltro crucis supplicium subiisse. Secundo, vt moderatius tam horrenda spectacula possint perferre. Nam vt minus lædũtur, qui volentes in puteum descendũt, quam qui casu incidunt: ità minus offendunt, minusque conturbant, quæ præuisa eueniunt. Sic huius ratio est in próptu. Verum discipulos hic Christi verba non intellexisse, plurimi causas quærunt: sed quas satis graues inuenerint, non video. Dicunt: Dominus nouit discipulorum tarditatem: quare ergo prædixit hoc, quod nouerat eos capere non posse? Sed dicant mihi, quarè totũ feré euangelion illis prędicauit, qui nouerat illud discipulorum excellere capacitatem? Et quis nesciat omnes prophetias esse obscuras, priusquam adimpleantur? Ergón' prophetæ tacere debuerunt, & hoc quod futurum viderant, supprimere? Sed nónne profuit discipulis, hęc omnia, priusquàm eueniissent, etiam non intellecta audisse? Profuit sanè, idque plurimum. Nam posteà cum omnia ità, vt à Christo erant prędicta, eueniissent, pleniore intelligentia assequebantur. Ioan. 12. hoc ità liquido videmus. Dominus asinæ insidens, Solymas venit. viderunt hoc discipuli, comites Christi extiterunt, vestes suas asinæ subiecerunt, & omnibus modis Christo fuerunt officiosi: mysterium tamen eius rei, & prophetarum oracula, quæ hic adimplenda extiterant, nõ cognouere: postea videre acutius, & intellexere tenacius. Iterum, cum vidissent eiicere vendentes & ementes, factum viderunt, sed mysteriũ non intellexerunt: posteà verò ditiori sensu adsequebantur verbum Dauidis: Zelus domus tuæ comedit me. Potuit Christus infirmitatem suorum ferre: noluit eos repentè doceri, nè & repentè dediscerent. Voluit eos vsu fieri experientiores, vt tenacius ea, quæ non citra puluueris (quod aiunt) tactum didicissent, retinerent. Paracleti operi aliquid relinquere voluit. Quis huic rei certam rationem inuenerit? Iterùm legimus Christum Iudęis dixisse:

Verbũ dei etiã nõ intellectum prodest pio animo reconditum.

xisse. Ego cùm à terra exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Hoc Iudæi statim intellexerunt quorsum dixisset. Hic etiam multi ratiocinantur, dicuntque Iudæos Christum hic (quamuis obscurum) intellexisse, discipulos verò etiam expressè & clarè de sua sacrosancta morte loquentem, non esse assecutos: quòd illi Christi mortem molirentur, & quodammodò in manibus haberent: hi verò Christi amantissimi, nihil mali dilectissimo præceptori suo meditarentur: nec vsquàm magis offenderetur, quàm vbi Christum de sua morte audirent differere. Hæc ratio an sibi vndique constet, aliorum esto iudicium. Apostolis vitio non damus, quòd rudiusculi fuerunt. Christus tales eligere maluit, vt virtus suæ gratiæ in illis fieret illustrior. Itaque nos simpliciter dicimus, Apostolos per ruditatem non esse assecutos Christi verborum sensum. Neque euangelistam puduit, apostolorum ruditatem exprimere. Dicit ergò: Nihil horum intellexerunt. Iterùm exaggerat tarditatem apostolorum, dicens: Et verbum hoc erat absconditum ab eis. Iterùm: Et nesciebant quæ dicebantur. Diligenter euangelista obscuritatem discipulorum descripsit, vt indè Dei gratiæ claritas fiat illustrior. Videamus fratres, nè Sufficiat nobis de nostra sagacitate placeamus. Confundit Deus perspicacitatem sapientium, rusticitatem imprudentium extollit. Odio habet omne superbum, humilibus saltem suam gratiam annuens.

Mortem suam prædicentem, Christum discipuli minimèque pharisæi intellexerunt.

Factum est autem, cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Quāquàm vt homo, iret mori, suo tamen officio non defuit, qui etiam in cruce (teste Chrysost.) nihil, nisi ad præscriptum patris, fecit moriens, suæ deitatis potentiam vndiq; declarans. Profectione hac, qua recta Solymas petebat Hiericho etiam Domino erat transeundum. Illac enim iter fuit Hierusalem versus. Erat Hiericho præclara vrbs trans Iordanem, in tribus Benlamin sorte, de qua Iosue 2. 20. Item 18. Distabat ab vrbe sancta centum & quinquaginta stadiis, palmarum & balsami copia nobilis. Vndè etiam ciuitas palmarum dicitur Deut. 34. Nomen itidem Hiericho in

Hiericho vrbi nobili tribus Benlamin.

ditum est illi ab odore balsami & palmarum, teste Iosepho. Interpretatur enim odor suus: siue, ipse odorabat eum. Rosæ etiam ab vrbe hac vocantur Hierichuntinæ, quemadmodùm & Latini rosas ab oppido Pæsto appellant pæstanas. Vndè extat hoc Poetæ:

Caltaque Pæstanas vincat odore rosas.

De rosis Hierichonte vide Eccle. 24. Hieronymus dicit per crebram visitationem Domini factam clariorem. De ciuitate item ea habes Luc. 10, in parabola eius qui incidit in latrones, & in historia Zachæi Luc. 18. Ante vrbem hanc cæcus sedebat Bartimæus mendicans. Videte fratres, Iudæos contra legem Deut. 25. mendicos sustinuisse. Sed & hoc attende: aliud est mendicos perferre & perpeti, atque aliud, homines ad mendicitatem adigere. Hoc quia nostrates euangelici non animaduertunt, peruersissimè nomine reformationis mendicare inopes prohibent. Non sunt miseri à mendicitate prohibendi, nisi priùs de victu & amictu, cæterisque hoc genus, quibus humana indiget infirmitas, illis abundè fuerit prouisum.

Reformatio nouorũ euangelistarũ peruersa.

Reformatores (si Deus volet) nostri, mendicitate pauperibus interdicunt: de eorundem saturitate viderint dij. Quis non in tantorum euangelistarum euangelion pedibus eat? Rogatores miseros in ordinem redegerunt, sed citiùs elephanti parient, quàm eos reformare incipiant, qui mendicos identidèm faciunt. Nouis subindè & nouis exactionibus miserã plebem deprimere, ius principis est, euangelion est. Calũniari virum, rapere domus ciuium, infantes iuxtà atque senes inedia enecare, non sunt principibus opera tenebrarũ, quia (secundùm Mich. 3.) interdiù hæc designant. Comedere carnem populi, & pellem eorum desuper excoriare, & concidere sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ, diis licet terræ. Hic dissimulandum aliquid, modò nostrę sint sectę. Cæteris etiam fides catholica & obseruantia mandatorum Dei, peccatum est. Sed tu, quicunque es Christi & ecclesiæ, Sirenarum nouarum subdolas voces obseratis auribus transi, reformationem ecclesiæ aliter auspicandam tibi persuadens. Si mendicitatem correctam cupis, parsimoniæ studendum. fac paucis contentus, viuas homo frugi, ne te quæsieris extrà. labora manibus, vt habeas

Mendicitati quomodo occurrendũ.

qui aliis des de tuo sudore, qui hactenùs ociosus, fotus es aliorum cruore: sic enim fiet, vt egeat nemo. sic satisfacies legi Deu. 25. Porrò si quis casu aliquo siniſtro, putà calamitatis, morborum, præſonum, ad inopiam & ad raſtros (quod aiunt) fuerit redactus, tuarum partium est, inopiam fratris leuare: quod si præſtiteris, iam mendicitatem reformaſti. Si verò Lazaron rogatorem non alueris, ille ſtatim ſaturandus in ſinum Abrahæ recipietur, tu in infernũ ſepelieris, æterna fame diſcruciandus. Cæcus de quo iam agimus, & ipſe mendicus fuit: tantum verò abeſt, vt eum Dominus ſuo regno indignum duxerit, quòd etiam eius nomen honorificè apud Marcum exprimatur, quemadmodùm & Lazari nomen alibi. Et euangelium Chriſti non abhorret à mendicorum vocabulo. Ioan. 9. cæcum mendicum, Acto. 3. claudum rogatorem vides. Mendici nobis commendantur Matt. 26. Ioan. 12. vbi Chriſtus ait, dicens, Pauperes ſemp vobiſcum habebitis: propriè loquitur de mendicis, quia πτωχὸς mendicum ſignificat. Ptochos cõuiuas Chriſtus vult vt conciamus Luc. 14. ptochis dandum Luc. 18. ptochos magis quàm diuites Chriſtus accerſiuit, Iaco. 1. Eccleſia quoque à ſuis vſque incunabulis mendicos habuit, etiam tales qui ante templi fores ſedendo, ſtipem à prætereuntibus poſtulauerunt. teſtis locuples eſt S. Chryſoſtomus ſuper 1. Theſſ. 5. Sed ad ptochon noſtrum. Bartimæus (ſic Marci decimo, vocatur) hic noſter viſu orbus, ſed non auditu, audiuit ſtrepitum. quid murmur ſibi velit, rogat. denunciatur illi Chriſtus. Eccè tibi, quo minùs mundi vana videmus, quo magis ſumus in mundo contempti, quo minùs bonorum huius mundi poſſidemus, hoc nobis præſentior eſt Chriſtus. Chryſoſtomus oſtendit, auguſtiſsimos quoſcunque reges, locupletiſsimos quoſcunque heroas, haud ſecùs Dei eſſe mendicos, atque noſtri ſunt rogatores Lazarus & Bartimæus. Quid enim habent quod non acceperunt? Et quid eſt noſtrum lumen ſine Dei numine? Vera lumina dat ſpiritusſanctus in verbo, in ſacramento illuminationis, Matt. decimoſexto, 1. Corinth. ſecundo, Hebr. ſexto. Beatus qui carnis tenebras agnoſcit. Phariſæi ſe videre dixerunt. vndè peccatum eorũ manet, Ioan. 9. Felix cæx,

Mendici Deo grati.

qui dicit cum Dauide: Mendicus ego sum & pauper. Quod qui non dixerit, audiet sibi dici: Infelix, miser, miserabilis, pauper, cęcus & nudus, Apocal. 3. Quòd si nos cæcos & nudos agnouerimus, tum & Deus inuocandus. Gaudet à miseris vocari patronus miserorum. Vocat ad se miseros, omni mundo contemptos, Matt. 11. Esa. 55. Sed quærendus Dominus dum propè est, in tempore accepto inuocandus, Ibidem. Exemplum huius esto ptochos noster, de quo sequitur:

Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Tempus quidem semper est orandi, & Dominus vbique. sed hic vides prophetam non delirare, cùm dicit: Inuocate eum dum propè est. Attende, mendicare coram Domino non esse inhonestum, modò honestus sit ipse rogator. Bartimæus, cæcus & idem mendicus fuit: oratio verò eius, & lumen mentis & veras animi sapit diuitias. Qui capti sunt oculis, acutiùs (vt fertur) audiunt, & tenaciùs audita reseruant. Pluribus intentus, minor est ad singula, sensus. Cæcum mendicum hunc nostrum, Iudæum fuisse liquet: quod vel oratio eius arguit. Vulgus Iesum filium Ioseph vocauit. Si itaque Cananæus fuisset, aliter Iesum non appellasset. Iudæus ex lege didicit, Messiam Dauidis fore filium Psal. 131. Esa. 55. Hierem. 23. 30. 33. Ezech. 34. Hose. 3. Amos 9. Pharisæos quoque idem vides fassos Matth. 22. Porrò Dei filium negabant Pharisæi mente cordis sui cæculi, quod cæcus noster mente cordis sui oculatissimus fatetur. Iesu (inquit) fili Dauid, miserere mei. Populus dixit, Iesum Nazarenum transire. Cæcus Iesum inuocat filium Dauid. Nazarenus dictus Christus à Nazareth, quia ibi fuit educatus. Cæterùm Bethlehem & ortus fuit, & oriundus. Neque habuit Nazareth tot apertas promissiones, atque Bethlehem. Nazareth magis ad humanitatem pertinet. vndè Christus verus homo, Nazareni vocabulum non auersatur, Matt. 26. Ioan. 18. 19. Act. 2. dicitur & Nazaræus Matt. 2. Act. 24. Cæcus simpliciter Iesum filium Dauid inuocat, verum Deum & hominem exprimens. Iesum nomine proprio vocat. Proprium hoc nomen Dei, & hoc tunc multi vocabantur

Mendicare inhonestum non est.

Iesus nomen Dei & hominum proprium est.

nomine, vndè per nomen Iesu, & verum Deum & hominem exprimit. Deindè filium Dauid appellans, in veritatem humanitatis respicit. Quòd verò eius misericordiam implorat, Dei filium sese ipsum Iesum credere declarat. credit pauperem & scientem infirmitatem hominem. vndè verò fidem eam habuit? certè ex auditu legis Zac. 9. Esa. 6. 7. 62. Psal. 85. Heb. 4. 5. Credit clementem, & filium Dei se credere significat. Dei siquidem proprium est, misereri semper & parcere. Inuocat, & omnipotentem se Christum credere adumbrat. rogat eum Christus: Quid vis vt faciam tibi? Respondet, vt videam. Non stipem petit, sed visum. Solus omnipotens fecit oculum. Accedite ad eum, & illuminamini, Psal. 33. Vndè & Dauid ait: Dominus illuminatio mea'. Item, illumina oculos meos, nè obdormiam in mortem. Christum & omnipotentem ex lege didicit. de qua re vide supra Dominica 3. Aduentus. Insuper & nomen Iesu inuocans, innuit se hoc nomine plurimùm oblectari, huic nomini fidere. Fuit quidem nomen hoc tunc apud Iudæos populare. Sed in prophetis & psalmis videmus hoc nomen propriissimum esse Dei. Deus, generalius nomen est. Emanuel item, generale est. quare Christus non Emanuel, sed Iesus proprio suo nomine voluit nuncupari. Vndè nos eius nominis mysterium docti, liberis nostris hoc nomen haudquaquam indimus, hoc ipsum soli inuocationi & latriæ reseruantes. Hoc nomen dulce, hoc nomen glorioſum & sacrosanctum, cæcus etiam ex lege tale agnouit, quale nos confitemur. Vides ergò verum esse quod veritas dicit: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Miserere mei. Breuis oratiuncula verbis, sed sensu amplissima. Toties & hæc oratio in psalmis legitur. Vndè & psalmographi more eandem orationem cæcus repetit. Increpat clamantem populus, sed clamare non cessat cæcus. Improbus clamitat, non impius. Pharisæi impij sunt, qui longa oratione putant se exorare, quasi ex condigno, quod aiunt. Cæcus misericordias Domini perpetuò cantat'. Sic oportet semper orare. Sanctas vides ecclesiæ litanias, supplicationes, liturgiam, precesque canonicas. Viderint Vuicleffistæ, & id. Pauperes mendici mentis inopes hæretici à Lugduno.

Orare ſemper oportet.

Non orat ecclesia Psallianorum hæreticorum more, sed apostolorum ritu & exhortatione. Verisimile est, populum non malitiosè, cæco silentium mandasse, nec illi visus donum inuidisse, sed reuerentiam Christi petiisse. Indecens putabant, mendicum sordidū Domini aures clamore ferire. Sic & apostoli Matt. 15. dicunt: Domine, dimitte eam, quia clamat post nos. Apud Marcū videmus, inuidentiam hic abfuisse. Nam illi qui Christi iussu cæcum Christo adducunt, dicunt illi: Bono animo esto, vocauit enim te. Et ille actutum, reiecto pallio, surrexit, & venit ad Iesum. Quòd si aliqui ex contemptu cæculo obstrepuere, hoc parui pendebat ille. Sic & tu si stationibus ecclesiæ, si laudibus canonicis, si liturgiæ sacro interesse gaudeas, & propterea Vuicleffista aliquis proximus vicinus tuus te papisticum, & nescio quem, nuncupare perrexerit, tu exemplo cæci intentiùs laudibus diuinis insistere pergas. Sed caue Iouiniana hæresi infectus, dicas, Domine Domine, bonorum operum vacuus: quasi nudę & vacuæ fidei oratio, sine bono opere sufficiat. Non omnis, ait, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regna cælorum. Bona oratio, quæ fit in ieiunio & eleemosyna. Puræ manus extollendæ. Sic improba oratio Deo est grata. Verum est, Deum bonorum nostrorum non indigere. Verum item est, inutiles nos esse seruulos, etiam cùm omnia quæ nobis præscripta sunt, præstiterimus. Sed fructus spiritussancti, opus fidei non est peccaminosum & iræ meritorium. quod euangelica ea quæ sequitur, ostendit lectio:

Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Iesus dixit ei: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: & sequebatur illum, magnificãs Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Eia charissimi, quàm bonus est Dominus, quàm inclinat voci pauperum suæ clementiæ aures. Eià ergò redamate amantem vestri, miseri mortales. Sed & filij hominum vos reges, vos principes, vos duces, iudicem districtum timete. Nam nisi eius exemplo miseris misereamini, sine misericordia iudicabimini. Magnus noster & solus Dominus, audiens vocem mendici, subsistit. mit-

tit quosdam, & iubet sibi rogatorem putidiusculum è terræ fœtore adduci. adductum, quidnam cupiat, rogat. Et tu Cæsar, tu imperator, etiam si Traianum æques potentia, subsiste, etiam si à vidua misella fueris interpellatus. Benè dixit vidua alia quædam Augusto cuidam, confecto bello sibi opem pollicenti: Stultum est, ait, tuam te mihi operam polliceri, simulàc redieris triumphator hostibus victis. Iam antequam militiam proficiscaris, iuuare debes: vt Deum, cuius gratia victor redire possis, tibi clementem efficias. Subsiste ergo Cæsar, Princeps, dux, Comes in medio negocio, opus misericordiæ reliquis omnibus præfer reip. rebus. Audi ipse, aures tuas arrectas & apertas clamori pauperum habeto, nè suas tibi claudat Deus. Præfectus tuus, prætor tuus, quæstor tuus, inhumaniter tractant plebem: suis stipendiis non sunt contenti, calumniis degrauant iam nimium nimiumque depressos. Consules muneribus corrupti, sententiam etiam rogati, pronunciare cunctantur. Præfecti tui miserum, simili causa, ab aduersario defendere supersedent. Clamitant item ciues, clamitant institores, clamitant negociatores, regias vias (quod in Turcica tyrannide nusquam fit) à paludatis latronibus obsideri, merces quascunque diripi, species aromaticas & grossos Ioachimicos vndique in saltibus dispargi. In super etiam clamitatur, teipsum non pastorem esse, sed lupum: non principem, sed Polyphemum hominum deuoratorem, qui contra exemplum non solum regnum Israel, sed & ethnicorum probatiorum principum, plebem exactionibus aliis & aliis deprimas, Nerone Neronior. Audi miseros, & miserescе illis, & habebis misserentem tui Christum. Porro vt cinis & puluis cineri & puluери, homo homini, caro carni, sanguis sanguini, miser misero, mendicus mendico, exul exuli, consorti & fratri tuo cópati possis: exemplum iudicis & Domini Dei tui, pensiculatius discute & æstima. Primo, aures voci, qua omnis plebs offendebatur, mendici accommodat. Secundo, consistit. Tertio, mendicum olidum accersit. Quarto, non concit solum, sed & adduci iubet. Quinto, adductum ipse humaniter alloquitur, dans optionem eligendi sibi officij & præstandi. Sic exemplum iudicis vi-

Pauperes clamoribus, aures præbeāt potentes.

uorum & mortuorum, Domini angelorum & hominum, quisquis es qui eius in terra vices agis, imitare. Tuapte comitate allice & prouoca miseros ad detegendum tibi sua onera. Mendicus hic noster sic Christi prouocatur beneuolentia, vndè & vota sua liberè profert in medium, dicens: Domine, vt videam. q.d. Domine fili Dauid, lumine sum captus, ad mendicitatem redactus, ex patre familias circumforaneus factus: non tam de mendicitatis onere, quam de infamia illi adhærente grauor. Mihi victum manibus meis quærere, & in sudore vultus mei panem conquirere: sed quod cupio, præstare non possum. Omnis cæcus miser, sacra & grata lux, fac ergò videam. ἵνα ἀναβλέψω. vix cæcus verbum finierat, & auxiliari verbo illi respondetur: ἀνάβλεψον, id est, vide. Eia pie Christiane, attende Christi perpetuam benignitatem. Alias leproso dicenti, Domine, si vis, potes me mundare, respondet, Mundare. Hic dicenti cæco, vt videam, ait, Vide. Quid sibi hæc verborũ alluſio & (vt ita dicam) identitas aliud vult, quam Deum Opt. Max. hoc ipsum velle, quod nos salutare nobis poscimus? Notabis item virtutem verborum Christi, quia ad verbum auxiliare & efficax, Respice, cæcus visum recepit. Sic & verbo surdo datur auditus, Mar. 7. Sed neque hoc prætereundum, quod dicit, fides tua te saluum fecit. Vides fidem verè esse salutarem, spiritualis ædificij sanctum esse fundamentum, sinè qua nihil est innoxium. Quarè age qui ecclesiasten agis, fidem & fiduciam in Christum synceriter trade. Ad fidei illustrationem traditiones Apostolicæ datę sunt, & vsus sacramentorum huc pertinet. Vide ne pharisaico fermento omnia confundas. Sed & caue, nè Aëtianam & Iouinianam fidem prędices, ociosam, vacuam atque inanem. Quæ Bartimæi fides fuerit, in præcedentibus satis exposuimus. Verum Deum & hominem Christum credidit. Defuit huic fidei facultas operandi, sed non voluntas: quod paucis iterum indicandum ducimus. Apud Marcum sic legitur: Rabboni, vt visum recipiam. Iesus autem ait illi: Abi, fides tua te saluum reddidit. Ac protinus recepit visum, & sequebatur Iesum in via. Attende cæcum non natum, quemadmodum ille Ioan. 9. sed aduersa quacunque fortuna cæcum factum: dicit enim, vt

ἀνάβλεψον (id est respice, vide, visum recipe) verbo cæcum illuminauit.

recipiam visum. Iterum obserua, Iudęum fuisse, quia nouit vocabulum Hebræum Rabboni, quod apud Hebræos tantum est, quantum apud nos, Domine doctor. Sic & vna Mariarum Christum vocat. Cęterum vocabulum Rabbi, vsitatius est, quanquam cum priori eiusdem est significationis. Rabbi Christon vocant Marc. 9. Ioan. 1. 4. 6. 9. 11. &c. Attende sanæ fidei primam speciem, Christum verum Deum & hominem confiteri. Qui diuidit Christum, alterum negans, non est Christi, 1. Corinth. 1. 1. Ioan. 4. Hoc semper docuit ecclesia. quarè ergò nunc Papistinus vocatur? Quia veram & salutarem fidem ex fructu, & ex operibus bonis fidem absolutam æstimat. Sed Iouinianistæ nudę fidei vtcunque tropis suis patrocinia quærant: nusquam quod quærunt, inuenient. Sophismatibus elabi conantur, sed veritatis maiestate in scrutinio deprehenduntur. Hoc loco valdè clamitant, Bartimæum clamore vincentes: Sola fides, Sola fides. sed veram nos hic fidem, & eam solam recipimus. Vocatus, primo lætus surrexit, amiculum abiicit, ad Christum properat, ignorans adhuc quidnam sibi Christus erat præscripturus: properat tamen, paratus certè ad omnia. Aëticæce vide, hanc talem fidem videt cardiognostes Deus. Talem probat Christus Matth. 9. 15. Marc. 5. 10. Luc. 7. &c. Scimus sinè fide Deo placere neminem, Heb. 11. Qua enim fronte quis accesserit ad Christum, in quem non credat, cui non fidat? Sed & accedentem ad Deum, oportet credere, Deum esse remuneratorem quęrentium se in veritate, non obliuiscentē boni operis nostri per Deum facti, haustum aquæ frigidæ in suo nomine pauperi datum, suo præmio non defraudātem. Vt videas, Bartimæi fidem talem fuisse, audi euangelistam, lectionem hanc ità claudentem: Ac sequebatur eum, glorificās Deum. Marcus hoc sic effert: Ac sequebatur eum in via. Sequi Christum, est emphaticè dictum: quasi sequi verbum Dei, verbi Dei præscriptum, non consuetudinem, non consilia hominum, sed Dei voluntatem, quam nobis manifestauit Christus, qui non dicitur consuetudo, sed veritas. Sequi in via, est exemplum sequi Christi. Christus via, Christus & veritas. hoc est doctrina, illud exemplo, vtrunque est donando vitam æternam, doctri-

Fidem veram respicit Deus.

Christum sequi quid sit.

nam recipientibus, & per exemplum eam experimentibus. Hęc Iouinianista & cucullate erro attende, & de sola tua fide erubesce. Nec item hoc, quod sequitur, ad vacuam & inanem tuam fidem torquere poteris, Laudans & magnificans Deum. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et vacuum ad se venire vult neminem, id quod lege cauit. Laus hic latriam & eusebiam significat. Latria primo cognitione sui constat, hoc est, hominem se se cæcum nosse, & secus viam deiicere. Secundo constat disciplina & catechizatione & improbitate orationis, qua ecclesia primitiua exercitauit catechumenos, & probauit competentes. Tertio, illuminatione, qua homo verbo Dei quod lux vera est, illuminatur, qua sacramentorum virtute lucis gloria perradiatur. Baptismus ianua est sacramentorum, & est sacramentum illuminationis: certo argumento, & alia sacramenta huic rei esse accommoda. Quarto, pallij vetustioris abiectione, veteris hominis depositione. Quinto, suscepta gratia illuminationis, corporis obsequiis, Dei mancipatione. Sexto, studio dilatationis cultus Dei. Septimo, perseuerantia in bono. Sic tandem ad sabbathum pacis peruenitur. Populus Iudaicus vidit hoc miraculum carnis oculis: nos certius longè cernimus oculis mentis. Magnificauerunt illi, magnificemus & nos. Donet hoc nobis, sinè quo nihil possumus, Deus: cui laus, gloria, gratiarum actio per æterna secula, Amen.

Laus Dei Latria & eusebia est.

Meminerit catholicus ecclesiastes, vt hac die dominica etiam in tenebricosissimum ethnicismum inuehatur, quo Saturnalia, Bacchanalia, Floralia, Lupercalia, Fornacalia, Hilaria & hoc genus portenta diabolica perpetuantur. Anathema maranatha sit magistratus, tanta scandala dissimulans. Celebri memoria dignus Cæsar Constantinus, qui istiusmodi scandala censuit omnia abolenda, dicens vna cum idololatria merito prophanas consuetudines abrogari debere omnes, teste historica Ecclesiastica. Sancti quoque Patres ad tam execrabiles ritus abrogandos litanias instituerunt, quibus clerus subindè succlamitat, Parce Parce Domine, &c. Cinerem item consecratum verticibus fidelium inspargens, monet vt meminerint se esse cinerem, &c. Sanè loca ea, in

quibus laruatæ personæ tot & tanta designant facinora, digna sunt quæ cum Sodoma & Gomorrha in cinerem eant. Effrenis illa petulantia laruas induens, nihil aliud facit, quam quod Christum exuit, & ab integro crucifigit. Immo etiam omnē honestatem ponit. Non Lycurgus, non Solon, non Socrates, non Cato & eiusmodi graues ethnici, sed Thais & insignes meretrices, in tanta pseudochristianorum scandala sententiam ferent. Ratio siquidem humana à tam spurca licentia abhorret. Væ mundo à scandalis.

DOMINICA QVADRAGESIMAE prima, 2. Cor. 6.

HOrtamur vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te, &c.

PRAEFATIO.

NEmo qui sanctum Paulum vel ab extremo * limite vnquam salutauerit, nesciat Apostolum bona opera præcipuè commendare fructus nimirum fidei & charitatis. Idem sedulo facit etiam hic & in principio capitis sequentis. Theophylactus dicit hic, Quæ esset hæc nobis commoditas, peccata nobis esse remissa, si ad pristinam reuersi fuerimus ignauiam? Item, Non ergo putandum, satis esse, nos per fidem tantum ex abysso peccatorum emersisse: Necessaria enim & nobis sunt bona opera, nè rursus in peccata labamur. Nemo ergo dicat, Sub gratia sumus: quid ergo nobis cum præscripto bonorum operum? Item, Christus nos liberauit: non ergo operibus bonis vel ad iustificationem, vel ad salutem indigemus. Vide quid Apostolus dicat Romanorum sexto, etiam membra nostra, arma esse vel iniquitatis, vel iustitiæ, Contra eos qui secus dicunt, intonat Ephesiorum quarto, dicens, nos non sic didicisse Christum. Liberè ergò dixero, non Christi esse, sed Antichristi, qui charitatem & bona opera iustificationis virtute priuant. Ingratissimi mortalium tandem etiam ipsis ethnicis condemnandi venient: Communis enim omnium ethnicorum sententia est, hominis esse probitati studere, benefactoribus gratificari, &c. Audiamus hic

Operibus bonis ad iustificationem opus habemus.

Sophoclem: dicit: θεὸς ἐκώλυσε με, hoc est. Deus me iuuit. Ad hoc alius respondit: μὴ ἀτίμα &c. hoc est, Vide ergò nè dehonestes eum qui tibi pręsto fuit. Satis hęc alludũt ad Apostoli sententiam, dicentis nostrum esse, vt eum amemus qui nos redemit. Sed ad textum. Lectio præsens tripartiri solet: Prima sectio est, hortatio ad sedulitatem, nè quà gratiam Dei ocioſe acceperimus. Secunda, Admonitio item est, nè quem offendamus. Tertia, itidé est admonitio ad gratiæ conseruationem, putà per arma iustitiæ. Sequitur lectionis expositio.

Hortamur vos, nè in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Apparuit gratia Dei omnibus in Christo Iesu, vnigenito Mariæ, vtique per fidem filij Dei, Tit. 2. Ergo nihil est charitas? Neutiquam, sed maior horum charitas. Per fidem charitas, propter charitatem fides. Ignoti nulla cupido. Ociosam facit gratiã fidei, qui à iustificatione separat charitatem, qua ocioſe fiant & fidei & charitatis fructus, opera bona. Audiamus Apostolum monentem, vt benè appræhendamus vitam, 1. Cor. 9. 1. Tim. 6. Dicit hic, Nõ sufficere dico non ego, sed Apostolus, noue euangelista, nè mihi succenseas. Audi Apostolum: Hortamur, ait, nè in vanum gratiam Dei receperitis. Ocioſè, nequicquam, immo etiam in perniciem accipitur, si saltem credas in filium Dei, & sis baptizatus. Qui habet aures audiendi, audiat Apostolum fidelem monitorem. Apagite noui euangelistæ, bonorum morum contemeratores. Audiatur Apostolus, habeat pondus tanta admonitio. Non est Apostolus noster, vt euangelici fratres, aulicus adulator, sed cooperarius Dei, 1. Cor. 3. Qui Paulum imitatur, ad opera bona prouocãdo, & ipse est Dei cooperarius, 1. Cor. 16. Phil. 2. Ioan. epist. 3. Tẽpus acceptum est, cuius meminit Esa. 49. Est autem tempus incarnationis, passionis, & totius regni Christi. Tale tempus propè est, Rom. 13. Visitatio nostra adest, Lu. 19. Græcè dicta kæros episcopes, siue (vt Petrus 1. cap. 2. vocat) Hemera episcopes, hoc est, tempus & dies in qua respexit nos Deus salutaris noster. Quid autem factu nunc est operęprecium, vt satisfiat admonitioni aposto-

Opera bona ad iustificationẽ requiũtur.

Cooperarij Dei cõcionatores ad operũ bonorũ iustificationẽ sedulo vocant.

licet? Credere,& benè operari. Ioan.12. Adhuc ad breue tempus lumen vobiscum est. Ambulate donec lucem habetis, nè vos tenebræ occupent. Ibidem: Dum lucem habetis,credite in lucem,vt filij lucis sitis. Hoc de fide,audi etiam de operibus bonis,Gal 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Beatus in facto suo erit,qui Apostolo fuerit obsecundatus.

Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Scandalum quantum peccatum sit, alibi diximus. superest nunc, vt tantum facinus caueamus, monitore Apostolo. Hactenus parum persuasit tantus suasor. vnde factum est, vt vel apud ethnicos & Iudæos audiamus male. Vnde item tot hereses in ecclesia, nisi ex tot & tantis scandalis? Incusamus deorum Momos eos, nouos euangelicos: sed quare non auferimus è medio lapsus occasionem? Dicis Christum dicere, Oportet vt veniant scandala? Respondeo eundem quoque dicere, Væ per quem scandala fiunt. Vide quid contra offensiones eas idem noster seruator dicat Matt.18. Luc.17.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. Dixerat, Neminem offendentes, prohibendo malum. Nunc dicit, Exhibeamus nos Dei ministros, præcipiendo bonum. Indè siquidem absoluitur pietas, qua iustificantur fideles. Vide quàm hallucinetur, & quantum absint ab apostolico atque adeò Dei spiritu, noui euangelistæ, qui nihil crepant nisi Sola fides, Sola fides. Declinare malum, hic primus gradus pietatis statuitur. Simile vides Roman.2. Locus est acceptus ex Exechielis cap.36. Tam Apostolus, quàm propheta, ostendit ex deprauatis moribus etiam offendi infideles. Huius mali pœnam vides Matth.16. Ioan.5. Alter gradus religionis, Facere bonum, ab eodem quoque Apostolo alibi identidem docetur. Potissimú verò huc facit, quod scribitur ad Titum secundo. Vbi monemur, vt nos sic geramus, vt prædicatio fidei indè cohonestetur. Meritum eius studij vides etiam Matth.16. Ioan.5. Verbum Syniſtemi etiam habetur Roman.5. Item 2.Cor.7. Exhibeamus, vel Germanicè, vns sehen lassen, ostendamus: idem est ac si dicat, præstemus. Cæterum apud ethnicos etiam accipitur pro eo quod Germanicè est: Last vns zu hauſſthun, vel lasst

vns zu ſamen ſetzen, Conueniamus. Conuenit & hoc, vt ſit ſenſus: Conemur enixè vnà omnibus modis omnes. Quid verò præſtandum? Hoc quod ſequitur:

Patientia multa nobis eſt op⁹.

In multa patientia. Hinc tyrannis, illinc infideles, hæretici, & Iudæi, iſtinc alij diaboli nuncij. Nunc cùm tot hoſtibus vndique circunuallemur, opus eſt nobis multa patientia. Multa, non modò erga multos hoſtes, ſed & multa propter perpetuas tribulationes. In patientia veſtra (ait ſeruator) poſsidebitis animas veſtras, Luc. 21. Qui perſeuerauerit in finem, is ſaluus erit. Dicit ergo Iacobus: Patientiam Iob audiſtis, finem Domini nóſtis, cap. 5. Impatientes planè oſtrepunt euangelio. dicunt, Non poſſum hoc perferre. Non poſſunt, quia nolunt.

In tribulationibus. Quibus deputati ſumus, tanquam oues occiſionis, memores hoc eſſe iter ad gloriam. Murmuratores queruli, qui Dei prouidentiam incuſant, neque ſic effugiunt mundi inſtantia mala. Satius eſſet illis, materiam condemnationis conuertere in anſam ſalutis. Tentatio ſchola eſt præſens. Qui non eſt tentatus, quid ſciat? Gaudere nos vult Iacobus, ſi tentationes ingruant variæ.

In neceſsitatibus. Non eſſe diffidendum, intellige. Quando vero ſpes eſt meritoria? Nónne in egeſtatibus? Paupertas, Chriſtianorum præcipua beatitudo. Chriſti non eſt, qui tantam beatitudinem tanquam vitium vitat. Præſtat hic perferre huius vitæ rerum penuriam momenta neam, quàm poſthac æternam.

In auguſtiis. Anxietates etiam variæ electis imminent: qua conſideratione vt nos armemus oportet. Quod niſi fecerimus, in diaboli caſſes iam incidimus. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Qui eius ciuitatis ciuis nó eſt, in croceis degat: breue ver eius felicitatis: quod ſequitur, hyems æterna.

In plagis. Quid plagis cum iuſtis? Quid Herodiadi & Ioanni? Immò quid Pilato & Chriſto? Iuſtitia quidem laudem fert, etiam apud eos qui habent poteſtatem: ſed eos, quos Deus vocauit ad ſuorum myſteriorum teſtimonium, manent plagæ: quas ſi, non vt adulteri & latrones, ſed vt verè innocentes, ſuſtinuerint, beati erunt. Hic etiam Pilatus & Pharao parantur ad Dei

gloriam non gratiæ, ſed iræ, quantum ad ipſos pertinet tyrannos.

In carceribus. Hic, tanquam aurum in fornace, habemus probari. Quod ſi ſapiẽtia nobiſcum in carceres, quemadmodum cum Ioſeph, deſcenderit, in carcer nobis erit omni aula glorioſior. Hinc manna nobis dabitur abſcõditum, Apocal. 2. Hinc ſtolæ candidę nobis imponentur, Apocal. 3.

In ſeditionibus. Non per nos excitatis, ſed ab hæreticis & quibuſcunque infidelibus contra nos commotis: quales olim Iudæi & ethnici aduerſus apoſtolos concitauerunt, qualem præcipuè ſuſtinuit Apoſtolus in Epheſo, Act. 19. Atque hæc fuit ethnicorum. Iudęi quoque non abſimilem excitauerũt Acto. 21. Noſtrorum temporum factiones contra eccleſiam, vides * prædictum Luc. 21. Eccleſia patientia vincit viperas. Omnis conſummationis vidi finem. Nullum violentum perpetuum.

In laboribus. Hactenus de rebus illis, quæ ad crucem, quam habemus quiſque ſuam poſt Sotera noſtrum portandam, Apoſtolus egit: nunc ad ea, quæ præſtanda ſunt, abit. Opus bonum fidelibus ſcriptura vndique commendat. Eccleſia eſt vinea, quæ vtique laborem requirit. Geneſ. 3. Adæ labor manuum prędcribitur. Opus eleemoſynæ, Epheſior. 4. Qui non facit rem, non manducet, 2. Theſſal. 3. Apoſtolici laboris exemplum vides Actor. 20.

In vigiliis multis. Noctu dormiendũ eſt, ais? Rectè hoc, Sed quid? Eccleſiæ ſtatum, religioné catholicam, regnum Chriſti, ciuitatem nouam Hieruſalem, ais eſſe noctem? Nónne Oriens ille qui nunquam occidit, nónne Sol iuſtitię, occaſum neſciens, nobis illuxit? Surrexit ſynagoga in huius diei vmbra, media nocte ad confitendum nomini Dei: quanto iuſtius eſt, nos id præſtare? In matutinis item meditata eſt ſynagoga: nos in lucem dormiemus? Ad vigilias ſcriptura nos vocat Luc. 12. 1. Co. 16. 1. Theſ. 5. 1. Pet. 4. 5. *Vigilia ecclęſia rationabiles planè ſunt*

In ieiuniis. Ieiunium prędeſeruatiuum aduerſus omnigena tentamenta diaboli, Matth. 17. Marc. 9. Apoſtolus 2. Corinth. 11. ferè eo ordine nobis diſciplinam commendat eccleſiæ, ſeſe eius exercitij corporalis ſacri

exemplum nobis exhibens. Aequum est vt ipsum sedulò imitemur, quatenus & ipse secutus est Christum, Ephes. 5. Phil. 3. 2. Iouinianistę nostrates, noui Apostoli Antichristi, disciplinas ecclesiæ vanitati deputant, præmio omni eas detraudando: quod mirum non est, quoniam & virginitatis merita negant lenones, post solenne votũ ducturientes, & mundum stupris & adulteriis honestatis specie replentes.

Castitas, præcipua est virtus ecclesia.

In castitate. Ecclesiasticus eunuchatus est, etiam se propter regnum cœlorum castrare. Eusebius testis est, præcipuam primitiuæ ecclesiæ virtutem fuisse castitatem. Nemo ferè priscorum est sanctorum, qui non huic sese virtuti addixerit. Huius obseruantiæ personã adhuc præ se ferunt monachi & sanctimoniales. Decens item est, sacerdotes, quorum est virtutem eam aliis persuadere, insignes castimonia esse viros. Domus eorum, Hagneuteria siue sacraria esse conuenit. Qui non continẽt, ad casti coniugij remedium currentes, meminerint quid Apostolus præscribat coniugatis, 1. Corinth. 7. Tempus breue est &c. Noui euangelistæ, quæ eorum est peruersitas, sic se cum in hac re, tum in aliis religionis sacræ gerunt negociis, vt ecclesiam vix possis delineare veram, nisi vbi illis contrariam religionem per omnia, mente conceperis. Penes illos est, scripturã quoquo torquere. Anachoreta quidam hisce diebus Luteranus, instigante diabolo, vxorem duxit: is vt scelus tegeret, & conscientiæ vermem palparet, libellum de coniugio suo in lucem edidit. Præcipuus scripturę locus, quo se tutarit, quis fuerit, scire iuuat? Episcopus vnius vxoris sit maritus. Hunc locum dialecticè (solent enim totam scripturam ad logices & rhetorices regulas applicare) expendens, etiam conuicit per eum, anachoretas, monachos & sanctimoniales, post voluntarium, maturum & solenne votum, statim vbi libeat nubere & ducere vxores, posse. Quis hoc genus hominum scriptura conuicerit, in quorum manu scriptura est tota?

In scientia. Ignorãs ignorabitur. Ignorantia crassa, culpabilis est, nec vllum apud Deum excusationis locum inueniet. Audiens sapiens sapiẽtiam, sapientior eris. Qui se putant aliquid scire, nondum didicerunt, vt hoc quod

scitur,

ſciunt, ſciant, 1. Cor. 8. multùm refert, plurima didiciſſe & ſcire: plurimùm verò refert, ſcire vt ſcias hoc quod didiceris. Didicerunt hoc S. patres. Noui euangelicaſtri ão ne *didicerint*, viderint ipſi.

In longanimitate. Chriſtianis præcipuè virtuti huic eſt ſtudendum. Sic enim ſpes eorum & fiet præſentior, & maiora ſubindè charismata gratiæ etiam gloriæ præmia merebuntur. Vndè virtutem eam Apoſtolicæ nobis toties commendant literæ. Verbũ quippe in patientia fructum habet proferre iuxta parabolam de ſemine bono, ſic tandem fructum proferente.

In ſuauitate. Comes & benignos Chriſtianos, tãquàm Dei filios, eſſe conuenit. Eſt autem virtus hæc, affabilitas (vt fertur) etiam erga pueros, larga adeò, vt ſeſe (vt itidem dicitur) edendum aliis hac virtute præditus præberet. Suprà 1. Corint. 13. itidem hæc virtus nobis commendatur. Hæc virtus planè eſt diuina, charitatis nimirùm filia. Eſtote (ait) miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Vide Rom. 2. Tit. 3. Præfractis & impœnitentibus & hæreticis reſiſtendum duriter, vt cæteri timorem habeant. Seueritas ea commendatur in ſancto Baſilio.

In ſpiritu ſancto. Chriſtianorum eſt, ſic ſe in omnibus gerere, vt appareat eos templum eſſe ſpiritus ſancti. Prophanos quis non ſciat ſpiritu ſancto eſſe vacuos & orbos? Clerici olim inſigniter cæteris virtutibus omnigenis prælucentes, ſpirituales vocati ſunt: hoc eſt, ſpectati ſpiritus ſancti eſſe receſſus & paradiſum. Sed hodie ita viuitur, vt quid ſibi dictio hæc, ſpiritualis, velit neſcitur. Breuiter: nemo Chriſtianiſſimo reſpondet, niſi ſpiritualis eſſe enitatur, 1. Corint. 3. Gal. 6. Vniuerſa itaq; multitudo in die pentecoſtes ſpiritum ſanctum recepit.

Clerici olim quare ſint dicti ſpirituales.

In charitate non ficta. Spiritus ſanctus figmentum & perſonam odit diſciplinæ. Eſto vir perfectus coram me, ait Dominus ad Abraham. Iob homo ſimplex & rectus. Hæc eſt illa glorioſa ſimplicitas, quam nobis præſcribit Chriſtus. Opponitur huic duplicitas, quæ eſt inſyncerita-tas. Simonis magi fides etiam huiuſmodi habet facum. Contra inſyncerit atem eam ait Pſal. 27. Pacem loquuntur cum proximo, mala autem meditantur in cor-

dibus ſuis. Similia legis Pſal. 77. Luterani hodie identidem inuehuntur in duplices huiuſmodi, quos nouo vocabulo (vt nouum euangelium etiam noua habeat vocabula) vocant heucheler non videntes ſe reuerà omnium quos mundus vnquàm vidit, maximos eſſe & adulatores & ardeliones, nempe ertzheucheler.

In verbo veritatis. Eccleſia eſt columna veritatis, huius limites qui exceſſerit, heu mihi, in quibus mendaciorum ſyrtibus naufragatur. Quid noui euangeliſtæ hodie aliter docent, quàm quod verbo veritatis ſenſus catholici, eſt contrarium? Niſi enim eſſet contrarium, ſanctorum patrum monumentis non derogarent: illorum acederent in omnibus ſententiis, ſeſe illorum cenſuræ ſubmitterent. Viderint ſacerdotes qui catholicos ſeſe venditant, vt omnia ſua dogmata ad baſin eam redigant. Denique vnuſquiſque loquatur veritatem cum proximo ſuo, * qui ſumus inuicem membra.

Chriſtianorum cõuerſatio qualis eſſe debeat.

In virtute Dei. Senſus eſt, Chriſtianorum is debet eſſe ſtatus, vt appareat in eo virtutem eſſe Dei, vt etiam ethnici dicant, Eccè digitus Dei. Talibus auſpiciis cœpit eccleſia. Apoſtoli, dij ſunt mundo viſi. Quid apoſtolaſtri noui? Nónne hominum fæx eſſe omnibus videntur? Qua fronte ergò ſeſe adeò cæteris præferunt, vt etiam ſeſe Apollines & Mercurios, penès quos omnis veritas, omnium oraculorum intelligentia requirenda ſit, quales priſca non nouerint ſecula, oſtentent habendos? Et virtus ea Dei, planè obliterata eſt apud eos, qui ſe catholicos, ſalem patrum catholicorum nomine, arbitrantur. Legant patres: imitentur & eorum exempla. Vbi paupertatis amor? vbi largitas? vbi patientia? vbi mundi vanitatum & pomparum fuga? Hæc omnia virtutis Dei argumenta præclariſsima, viſa ſunt in patribus. Quid hodie in vulgo fidelium, niſi miſerabilis apparet debilitas? Non nego etiam vocabulum hoc virtutis, variè accipi ab eodem Apoſtolo, præcipuè etiam pro poteſtate edendorum miraculorum, Matthæi ſeptimo, decimoquinto, Marci ſexto, Lucæ quinto, Acto. ſecundo. De virtute Dei, iuxta priorem ſenſum, vide Lucæ vigeſimo ſecundo. Roman. primo, 1. Corinthio. primo, & quinto, 1. Petri 1.

Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Vtrinque nos armatos vult esse, idque iustitia: quoniam vtrinque hostis nos adoritur fortunæ & infelicitatis. Ille blanditur, hic minatur. Vtrunque sola expugnat iustitia. Nihil speres, (ait Boëthius) & nihil extimescas, & sic exarmaueris impotentis tyranni iram. Rom. 6. eadem metaphora dicit: Accommodate membra vestra arma iustitiæ. Rom. 13. docet quæ sint arma lucis. Metaphora ista frequens est Apostolo. Nihil enim nouit esse vitam hominis in hoc mundo, nisi militiam.

Per gloriam & ignobilitatem. Qui Christi sunt, Christi exemplo suam gloriam non quærunt, cùm sit qui quærat & iudicet. Vana gloria quid aliud facit, quàm quòd nos remoratur ab æterna? Quia suam quærit, Dei gloriam minus respicit. Beati qui regnum mundi & omnem ornatum huius seculi contemnunt propter amorem Domini nostri Iesu Christi. Qui hic benè latuit, benè vixit. Gloria nostra in apparitione magna ea manifestabitur, interim inglorij iudicem eum maneamus, 1. Corinthio. secundo, 4. Quid verò, quòd etiam dicitur hic, per gloriam? Intellige de gloria crucis, & de gloria conscientiæ bonæ.

Per infamiam & bonam famam. Quòd si etiam nullius tibi criminis conscius sis, nunquid ergò rei benè gestæ meritum in hoc mundo recipies? Virtutis præmium laus ethnicis conuenit, non Christianis. Ego ero merces tua, ait Dominus Abrahamo. Sufficit, si Deo & quibuscunque bonis placeamus, sic vt laudetur Deus, cuius gratia boni sumus. Atque hæc est Paulina euphemia, hoc est, bona phama: ad bonum nomen hæc pertinet, vt idem exprimit gloriam hanc Ephes. 4. Cæterùm si nec sic probamur mundo, succurrat nobis huius apostolicæ dysphemiæ, hoc est, malæ famæ. Simus item memores verbi Christi: Beati, si calumniati vos fuerint homines, mentientes in vos odio mei.

Vt seductores, & veraces. Christus quoque ipse, planos (id est, seductor) est ab improbis planis dictus, Matt. vigesimoseptimo. Hoc malignorum est, vt suo rum vitiorum alios insimulent, præcipuè eos, quos vidêt contrariis sibi florere virtutibus. Adde quòd & vulgi iu-

Hæretici plani sunt omnes.

dicium omnium est peruersissimum. Vndè etiam variè senserunt de Christo. Alij dixerunt imponere illum hominibus, alij veridicum dixerunt, Ioan. 7. Itidem & Paulus aliis probatur, aliis reprobus dicebatur, Acto. 28. Qui verax esse cupit, columnæ veritatis ecclesiæ, quæ mentem Christi sui sponsi vnici possidet, nitatur. Paulinistæ noui putant se quoque in præsenti loco habere patrocinium, contra sententiam ecclesiæ, qua plani damnantur. Quod ad ipsos pertinet, videant Tit. 1. vbi eos Apostolus vocat phrenapatas, hoc est, mentium humanarum dementatores. Idem habes secunda Ioannis epistola. Plani, id est, mentium seductores sunt, quoniam & planomeni sunt, hoc est, inconstantes, bilingues atque trilingues,* duplices animi homines. Aestima, quæso, qua vesania nunc authores alios canonicos recipiant, alios reiiciant: nunc receptos reiiciant, & reiectos recipiant. Denique perpende, qua temeritate sua hodie dogmata asserant, cras eadem reprobantes: leges nunc figentes, easdem mox refigentes. Hæc omnia si ritè perpendas, mirabere Germaniæ stupiditatem, planorum istorum impostoras non animaduertentem.

Sicut qui ignoti, & cogniti. Quos non probamus, eos nos ignorare dicimus. Sic etiam ipse Dominus abiectos se non nouisse dicit. Eo loquendi modo, qui Dei est, huic mundo non est notus: hoc est, contemptus est, non respicitur, immò negligitur. Sed benè se habet quòd Deo sunt curæ, nimirùm commissi libro vitæ, Luc. 10. Philip. 4. Apoc. 17. Exempli gratia: Lazarus mundo non notus, contrà diues, purpuratus ille nepos, deus huius mundi, Deo ignotus. Nobilis in hoc mundo, est ignobilis apud Deum.

Nobilis in hoc mũdo, ignobilis est apud Deum.

Quasi morientes, & ecce viuimus. Pecus sumus mactationis, quotquot verè sumus Christi. Qui dicit veritatem, inuisos sibi vanos & nugaces huius mundi facit deos. Dicit itaque suprà cap. 15. epistolæ 1. Quotidiè morior. Hoc est quod Roman. 8. ex Psalm. 43. dicit: Propter te mortificor tota die. Denique 4. cap. Epistolæ huius ad Corinthios, aptum epitheton dat Christianis persecutioni expositis, vocans eos epithanatios, hoc est, subindè mortem expectantes, neque noctu, neque die se-

Christiani sunt epithanatij, hoc est mortẽ idẽ tidẽ expectantes.

curos vitæ. Attamen idem ait: Et eccè viuimus.

Vt castigati, & non mortificati. Virgis cæsi & variis iniurijs expositi, pessimè accepti apostoli & quicunque pij, viuunt tantisper, donec ille, cui vnicè viuunt, potius aliquid de ipsis statuat. Non possunt vnum capillum nostri capitis auferre sine eius consensu, cui omnes sunt numerati. Disce mortem & vitam in manu Dei esse positam: & verè viues, hoc est, securè viues. Appáret, Apostolum locum præsentem ex Psalmo. 117. sumptisse: Castigauit me, sed morti non tradidit. Paulum huic vitę aduersus omnium æmulorum eius iram, reseruatum vides Actorum 9.

Quasi tristes, semper autem gaudentes. Beati qui lugent prolongatum exilium, Matt. 5. Psal. 34. 37. 41. Inquilini sumus & peregrini in hoc mundo: semper ergò suspiremus, ad patriam supernam animos figentes. Satiabor, ait, cùm apparuerit gloria tua. Cæterùm etiam pax & gaudium nobis superest, etiam in hac vita, sed gaudium spiritus sancti, Rom. 14. Philip. 4.

Sicut egentes, multos autem locupletantes. Argentum & aurum non est mihi, ait Petrus Actorum 3. Qui contemptores sunt euangelij, emunt villas & iuga boum, Lucæ 14. Dij huius mundi, sunt purpurati & annulati, Iacobi 2. Ibidem vides peruersum esse mundi iudicium, quo probatur, qui multum æris clausum possidet in arca. Denique & quiverè Christi est, huius mundi diuitias contemnit: omnia simul relinquit, & Christo adhæresc it, pauper, egenus, inops &c. Sed centuplum sua relinquentes recipiunt, etiam in hoc mundo. Quod de spiritualibus magis accipe diuitiis, Rom. 15.

Tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes. Hunc locum interpretor per illum, qui est 1. Corint. 3. Omnia vestra, vos autem Christi, Christus verò Dei. Cælum, terra, mare & omnia quę in illis sunt, nostra sunt, quatenùs Christi sumus cohæredes, Roman. 8. Hic verò in præsenti seculo malo, nemo fidelis thesaurizat pulueri, vermibus, tineis & blattis. In cælum verò præmittit veras opes, orationes, ieiunia, eleemosynam, & hoc genus meritorum, Deo viuo nimirùm & sibi. Cęterùm habentes hic victum & quo tegamur, contenti sumus. Nihil

huc intulimus, nihil efferemus. Ioannes Chryſoſtomus & Ambroſius, intelligunt hunc locum ſiue membrum, de maieſtate Apoſtolica, qui non ſolùm eccleſiæ bona ſuis habuerunt proſtrata pedibus, verùm etiam ipſos fideles ſibi ad omnia habuerunt obtemperantes. Apoſtolus itaque dicit de Galatis: Obteſtor, quòd ſi voluiſſem, etiam oculos veſtros erutos mihi dediſſetis, qui me, non vt Apoſtolum Chriſti, ſed vt ipſum Chriſtum ſuſcepiſtis. Hodiè apoſtolici ſucceſſores tanta authoritate non pollent, vndè ſtatus eccleſię miſerè labat. Dominus Deus tanto malo properè ſuccurrat. Amen.

DOMINICA QVADRAGESIMAE,

Matt. 4.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tent. &c.

¶Sectio ſenſus miſti.

1 Spiritus ſanctus permittit nos tentari.
2 Diabolus propriè eſt tentator.
3 Diabolus quibus rationibus vincatur.
4 Victorum gloria.

¶Declaratio.

1 Ductus eſt Ieſus in deſertum, &c.
Permittit Deus tentari, & inducit in tentationem, ſed noſtro bono. Eccleſiaſtici 34. Qui non eſt tentatus, quid ſcit? Nemo coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Multæ commoditates tribulationis.

2 Et accedens tentator &c. Diabolus mille artifex. vndè olim etiam dictus zabulus. Za, habet virtutem augendi.* id eſt, conſilium. Tentat malo conſilio zabulus, nempe vt confundat.

3 Qui reſpondens ei, dixit: Scriptum eſt, &c. Hoſtis vincitur verbo Dei, fuga ſeculi, & ieiunij medicamento. Summa: Diabolus operatur in filiis diffidentiæ.* Eraſmus legit, inobedientiæ. Cyprianus legit, contumacibus. Contumaces ſunt inobedientes. Vide quantæ ſit virtutis Obedire. Obediendum vnicæ matri Eccleſiæ tanquàm ſponſæ Chriſti. Non delirat vnica illa ſimplex columba Dei, Quadrageſimale ieiunium ſuis proponens filiis. Sacer eſt numerus quadragenarius, & myſteriorum plenus. Collige ergò, & ſacramenta Eccleſiæ ri-

* בעל
* ἀπειθείας.

tè ſumpta, preſentiſsimam aduerſus diabolũ habere virtutem. Contra (quod in Iuda Scarioth videmus) diabolo in hominem datur poteſtas, ſi ſumat minus legitimè. Attende prouidentiam matris eccleſiæ, quæ nos hoc Quadrageſimalis ieiunij tempore potiſsimum exhortatur ad condignam præparationem ad Euchariſtiàs ſacræ ſumptionem, vt in hoc tempore maximè diſcamus, qualiter porro per totum annum accedamus.

4 Et eccè angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Non ſolum victoriam Deus ſuis electis annuit, ſed etiam gloriam ipſis concedit. Illuſores itaque ſunt, non illuminatores: ſeductores ſunt, nõ doctores, qui militiæ Chriſtianæ ſuum denegant præmium. Brauium expoſuit agonothetes, vt currentes prouocet. Inimicus homo brauium negans, ex induſtria animos currẽtium diſſoluere conatur. Dominus diſsipet eius conſilium, Amen.

DOMINICA REMINISCERE, Matth. 15.

Egreſſus Ieſus, venit in partes Tyri, &c.

¶ Senſus literalis vult, Chriſtum veniſſe vt diſſoluat opera diaboli, vt dicitur 1. Ioan. 3. Ait ergò: Nunc princeps mundi huius eicietur foras.

¶ Sectio ſenſus eſt.

1 Venit Ieſus clementer.
2 Mulier & diſcipuli Chriſti orant ardenter.
3 Oratio fidei non fluctuans exorat.

¶ EXEGESIS.

1 Egreſſus Ieſus, venit in partes Tyri & Sidonis. Digreſſus, quærens quod perierat. Bonus medicus ad valetudinarium properare non faſtidit. Tyrus & Sidon ciuitates ſunt, vanitate huius ſeculi inſignes, Mat. 11. Luc. 10.

2 Et eccè mulier Cananæa, &c. Hic articulus 2. hodiè in dubium venit euãgelicorum fratrum importunitate. Sanctorum interceſsionem planè negant. Quam longiſsimè ſunt à mente Eccleſiæ. Dominica præſens repreſentat tempus, quod fuit à Dauide vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Patrũ precibus Deus filios Iſrael, à captiuitatis eius vinculis expediuit. Vndè etiã Eccleſia hodiè ſanctorum triumphantium orationem excitat, & ipſa ſedulo pro libertate vera Domino ſupplicat. Naſuti

Momi, Ecclesię catholicę praxin ridentes, obiiciunt catholicis, Apostolos non esse exauditos. Sed quarè nō attendunt Syrophœnissam exauditam pro filia? Discipuli tunc (vt ait Hierony.) mysteriorum erant nescij: exauditi ergò non sunt statim, vt mysteriorum ipsorum addiscendorum illis daretur ansa. Nunc exaudiuntur, Mat. 18. Marc. 11. Ioan. 15.

3 Oratio fidei est etiam, sanctos pro intercessione solicitare. sic enim fides enitescit, qua creditur sanctos cum Christo regnare triumphātes, meritorum variorum donis locupletatos. Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, & omnes catholici fatentur, ad sepulcra martyrum dæmonas sæpè fuisse expulsos.

¶ Mystici sensus sectio.

1 Diabolus princeps Mundi,

2 Per Christum (id est, panem vitæ, verbum, & sacramenta) eiicitur:

3 Per omnes etiam micas, quas catuli sub mēsa legunt.

¶ DECLARATIO.

Micas saturati & diuites negligunt, hæretici & hypocritę. Sunt autem: Hæc oportet facere, & illa non omittere: Cætera, cum venero, disponam, &c. Per micas intellige cæremonialia: per flores & herbas, quibus sepulcra diuorum sunt exornata, diabolus etiam est expulsus, teste Augustino. Cęremonialia itaque, super quę nomen Domini inuocatum est, contra satanæ nequitias virtutē habere, vident & experiuntur filij ecclesiæ.

¶ Moralis sensus sectio.

1 Mulier Cananæa significat pœnitentem, egredientem è finibus reproborum & malæ consuetudinis.

2 Filia Cananææ significat animam peccatricem.

3 Digni fructus pœnitētiæ, gratiam Domini nostri Iesu Christi prę sentissimè impetrant. Morale hoc ex diuo corrasi Hieronymo.

DOMINICA OCVLI,

Luc. 11.

Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud, &c.

¶ Sectio sensus literalis.

1 Dæmonium Dominus eiicit, factum synagoga diaboli blasphemat.

2 Dominus argumentis validis gloriam Dei asserit.
3 Blasphemos, bis à diabolo obsessos ostendit.
4 Tacentibus omnibus, Christon mulier quædam in astra tulit.

¶ EXEGESIS.

Summa huius loci est, declaratio diabolicæ nequitiæ, humanæ prauitatis, & clementiæ Dei filij.

Quatuor potissimum hic argumentis Dominus Iesus gloriam cælestis patris asserit. A simili regni in se diuisi, Ab exemplo Exorcistarum, A simili cataphracti, Ab exemplo suæ iustitiæ & pietatis, diaboli iniustitiæ & malignitati prorsus aduersæ. Argumẽta ea, quo rudiores minori negocio memoriæ commendare possint, districho hocce subscripto complectus sum:

1 2
Regnum diuisum, Pellentes dæmona proles,
3 4
Armatus. Qui mecum haud est, mihi contrariatur.

1 Erat Iesus eiiciens dæmonium, &c. Pugnãt sibi Deus & diabolus. Nemo potest vtrique simul seruire. Blasphemiæ author diabolus. Nemo loquens per spiritum sanctum, dicit anathema Iesu.

2 Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis, &c. Ratione, & non comminatione neque conuiciis Christus blasphemiis obuiam venit. Quod suum est, nemo quærat, sed quæ sunt Dei. Christus se Samaritanum esse non negauit, sed habere dæmonium, Ioan. 8.

3 Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida. Blasphemia est peccatum in spiritum sanctum, & irremissibile vocatur. Leui. 24. Mat. 12. Marc. 5. Exemplum Iudæi in totum terrarum orbem, propter blasphemiam, dispersi.

4 Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier, &c. Nouit Dominus qui sint eius, 2. Ti. 2. Pauci electi. Verbum Dei sicut imber semper fructum aliquem operatur, Eccl. 39.

¶ Sensus Mystici & Moralis sectio.

1 Peccatores tenẽtur muti & surdi à diabolo, teste beda.
2 Hæretici, hypocritæ, & quicunque maligni interpretes, potissimum.

3 Recidiuatio peccatorum & hæreticorum, omnium periculosissima.

4 Pauci verè resipiscunt.

¶ EXEGESIS.

Beelzebub deus muscarum, superborum est caput. Mammon, auarorum deus: Asmodęus, luxurię, & sic de. inceps. Antichristus dictus * Abaddon Hebraicè, Apol. lyon Græcè, Exterminator Latinè, significat hæreticos & schismaticos. Demoliri in procliui est aliorum ædificia, quantumuis magno labore & impensis multis in altum sublata. Typus locustæ armatæ, Apo. 9. Exemplum Erostratus, qui templum Dianæ vna nocte incendio vastauit. Dæmonium item mutum, est episcopus indoctus, non docens, non exhortans, non arguens, hæreticis non obstruens atque reuincens.

*Abbadō

DOMINICA LAETARE,

Ioan. 6.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est, &c.

Sensus literalis distinctio, in qua benignitas Christi declaratur.

1 Tentat discipulos amicè.

2 Benedicit creaturæ tanquam bonæ, per ipsum nimirum creatæ.

3 Tentatos discipulos præficit turmæ.

¶ DECLARATIO.

1 Abiit Iesus trans mare Galilææ, &c. Tentaturus discipulos suos, abiit trans mare: sic & ipse tentandus, à spiritu ductus est in desertum. Sed non tentat Christus vt ille qui Tentator vocatur. Intentator enim est malorum, Iacob. 1. Cæterum Deus tentat eos quos probat, Sapien. 3. Psalm. 25.

2 Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, &c. Cadit hic hęresis Marcionistarum, qui creaturas corporales malo genio tribuerunt, contra scripturam Gene. 1. & 2. Vidit Deus ea quę fecit, & benedixit illis: erant enim valdè bona. Dixit, & facta sunt. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Omnia creauit Deus simul, Eccl. 18.

3 Colligite quæ superauerunt fragmenta, nè pereant. Discipulos suos hic bonorum suorum dispensatores designat, sed probè tentatos. Fragmenta, doctrinæ &

cramentorú habent ſignificationem. Minutiæ ſcripturæ ſalutares. Nullú iota, immo etiam nullus apex eſt in ſcriptura, qui ſua non habeat ſacraméta. Tentandi ergo probé, quibus tanta credenda ſunt bona. Aaron etiam non intentatus, ſynagogæ eſt præfectus, Heb. 2. & 4.

¶ Sectio ſenſus Myſtici.

1 Præparatio ad Euchariſtiam, audire verbum Dei, & ſequi Chriſtum.

2 Panes aucti, ſignificant Euchariſtiam cum aliis ſex ſacramentis. Quinque panes & duo piſces, faciunt ſeptenarium numerum. Beda & Gregorius teſtes. Adminiſtratio ſacerdotibus commiſſa eſt. Apoſtolorum eſt panes proponere, & fragmenta tollere. Omnium eſt, Deum laudare.

¶ Sectio Myſtica & Moralis.

1 Eccleſię adhærendum verbum Dei docenti, & viam virtutis tendenti.

2 Eccleſia clemens mater, curã habet filiorum ſuorum.

3 Eccleſia habet ius benedicendi panes, ordinandi ſacerdotes, &c.

4 Ex quinque panibus, id eſt, quinque libris Moſis, immo & legalibus libris, & duobus piſcibus, id eſt, ex euãgeliis & Apoſtolicis epiſt. naſcuntur duodecim fructus ſpiritusſancti, duodecim articuli fidei. Item, nouẽ beatitudines, & duę ſpecies charitatis, Dei & proximi. Nouẽ chori replẽtur angelorum. Duæ meritorum ſpecies item adimplentur gloria cæleſtis patriæ, gloria nimirum corporis & animæ. Beatus qui edit hunc panẽ in regno cælorum, Luc. 14. Satiabor cum apparuerit gloria tua, Pſa. 16. Attende eccleſiæ ſedulitatem, hanc lectionem ieiunij in medio legentis ad refectionem laſſorum.

DOMINICA IVDICA,

Ioan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si, &c.

¶ Séſus literalis declarat Chriſti innocẽtiam ſecundum prophetarum oracula. Eſa. 53. Dabit impios pro ſepultura, & diuites pro morte ſua, eo quod iniquitatem nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius, &c. Itẽ: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, quia iniquitates eorum ipſe portabit. Non habuit culpã quam lueret,

ſequitur ergo, pro nobis ſatifeciſſe. Non eſt opus vt lectio ſecundum literalem ſenſum ſecetur. dialiogi enim ſpeciem præ ſe fert. Vndè per ſe ſatis articulata eſt. Dialogum: itaque ipſum in pauca conferamus.

1 Chriſtus integritas ipſa, ſe iudicandum profert, & ſontes Iudæos neglectæ veritatis arguit, dicens eos verbum ſuum audire non poſſe, quod ex Deo non ſint, oſtendens verbum ſuum eſſe verbum Dei.

2 Iudęi Chriſtum Samaritanum ac dæmoniacum blaſphemant.

3 Chriſtus benigniſsimus ſe dæmoniacum negat, Deum patrem ſe glorificare adfirmat: inficiatur ſuam ſe gloriam quærere, cum ſit qui quærat & iudicet: iurat per Amen, verbum ſuum à mortis viſione aſſerere. Atque hic reſpicit ad hoc quod inſinuauerat, verbum ſuũ eſſe verbum Dei: atque hic locus diſputationis præſentis eſt neruus.

4 Iudæi ſe ex præmiſsis primum verbis dicunt deprehendiſſe, Chriſtum dęmoniacum eſſe: Abrahamum & prophetas occidiſſe, dicentes, Chriſti verba inuenerunt: Chriſtum, num maior ſit Abrahamo & prophetis, quem & ſe faciat, rogant.

5 Chriſtus glorificantem ſeſe vituperat, patrem ſe glorificare, Iudæos patrem Deum ignorare: niſi mentiri velit, ſe patrem ignorare, dicere non poſſe: ſed ſe ſcire eum & ſermonem eius ſeruare, adfirmat. Denique Abrahamum diem ſuum non ſinè gaudio vidiſſe profitetur.

Verſus:

Ipſum glorificem ſi me, mea gloria nulla eſt.
Qui me glorificat, pater eſt, quem dicitis & vos,
Hic Deus eſt noſter, vobis non notus ad ille.
Ipſum ego cognoui: quod ſi me nôſſe negâro,
Nugator meritò, ceu vos, tunc ipſe vocarer.
Illum ſed noui, ſermonem ſeruo & eiuſdem.
Hanc Abraham veſter pater exultauit vt horam,
Cerneret ipſe meam: vidit, multum exhilaratus.

6 Iudæi, peruerſis Chriſti verbis, dicunt quinquagenarium Abraham vidiſſe non potuiſſe.

7 Chriſtus ante Abrahamum ſe eſſe ortum commemorat.

8 Iudæi lapidibus Christum obruere conantur.
9 Christus, se inuisibilem efficiendo, templum exiuit.

Obserua in oratione Christi dicentis, Si ego glorifico meipsum &c. tria argumenta disnoscendæ Deitatis ipsius. Argumentum primum à conglorioſitate. Non quæliuit suam gloriam, & Pater eum ostendit sibi conglorioſum: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui &c. Secundum à consubstantialitate. Nemo enim nouit patrem nisi filius. Dicit autem hic se nôsse patrem, sequitur ergo quod si filius. Deum nemo vidit, filius Mariæ vidit, ergo est & filius Dei, qui solus videre potest patrem. Tertium, à sanctorum testimoniis, Abrahæ nimirum & omnium aliorum.

Obserua malitiam insignem Iudæorum. Primo contra conscientiam dicunt, ipsum Samaritanum esse & dæmonium habere. Secundo, se contra conscientiam locutos produnt, dicétes: Nunc cognouimus &c. quod idem est quasi antea non cognouerint, & sint locuti præter animi sententiam. Accedit huc, quod fatentur facta Christi, eius arguere Deitatem. Quem, dicunt, teipsum facis? Non dicunt, Quem te esse dicis, sed facis. Tertio, peruertunt omnes eius sermones. Abraham vidisti, inquiunt? Sic & alibi dicunt: Possum destruere templum Dei &c. Quartò, Lapides arripiunt ad lapidandum Christum contra legem. Testibus blasphemus primo debet conuinci Leu. 24. Quinto, Quod etiam innocenti in templo manus inferre non sunt veriti. Templum asylum erat: quarè Athalia rea, educta erat extra templum, 4. Reg. 11.

¶ Sectionem si quis omnino requirat, sic eligere poterit:

1 Peccatum quasi pellicatum dictum, non est originis vitium solummodo, nec infidelitas, quemadmodum etiam ociosa atque sola fides iustitia non est, sed transgressionis actus: quemadmodum etiam opera bona iustitiam complentia atque absoluentia, iustitia sunt.
2 Verbum Dei, ipse est Deus auferens peccatum.
3 Verbum ipsum & omnes veros eius doctores mun-

dus odit, verbum inuertit & persequitur.

¶ DECLARATIO.

1 Quis ex vobis arguet me de peccato &c? Peccatum est duplex, Originale & actuale. Peccatum actuale, est dictum vel factum contra legem Dei.

2 Si veritatem dico vobis, quarè vos non creditis mihi? Verbum veritatis, resina est aduersus Lethale vulnus peccati. idque merito, quia per verbum mendacij peccatores sumus constituti, Genes. 3. Diabolus mendax est ab initio & pater mendacij. Deus verax est & ipsa veritas.

3 Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es? 1. Ioā. 4. Qui non est ex Deo, non audit. Si sermonem meū seruauerunt & vestrum seruabunt, Ioan. 15. Quem prophetarum non sunt persequuti? Veritas odium parit.

4 Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Acrisia siue aorasia, qua Iudęi hic percussi sunt, significet cæcitatem cordis, qua Iudæi etiamnum detenti, in scripturę luce palpitant, quod illis sic prædixit Moses Deuter. 18. Idem comminatur Apostolus pseudochristianis, 1. Timoth. 4. &c.

¶ Alia Sectio.

1 Christus verus homo insons,
2 peccatum superando
3 veritatem docendo — Nos redemit,
4 mortem perferendo
5 in vita & in morte se verum Deum declarando.

¶ Obserua Christum esse agnum Dei tollendis Mundi peccatis.

1 Suam gloriam non quęrit, habens Deum se glorificantem. Eccè conglorioſus Deo. Diabolus spiritus superbiæ, quærendo gloriam, eam amisit. Deus zelotypus gloriam suam alteri non concedit.

2 Verba vitæ habet. Diaboli inuidentia mors intrauit in orbem.

3 Nouit Deum. Ergo Deo consubstantialis. Deum nemo vidit, nemo capit habitantem lucem inaccessam.

4 Veritas ipsa est, Diabolus pater mendacij.

5 Abrahæ & sanctorum gloria omnium. Non glorietur vir in sapientia sua, neque in potentia, sed nōsse me.

6 Antequam Abraham fieret, ego ſum. Eccè æternus,
7 Omnipotens, qui potuit ſe facere inuiſibilem.
8 Quo quis eſt maior, tanto magis placabilis ire. Nihil Chriſto manſuetius, ergo etiam nihil maius, ergo verus Deus.

¶ Moralia quædam.

1 Diſcamus hic primo innocentiam ſeruare, quod præcipuè Apoſtolus præcipit epiſcopis, 2. Tim. 2. Operarium vult inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Sic luceat lux veſtra, lux mundi, vt dicere auſit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Petrus: Nemo patiatur vt fur &c.

2 Veriloquentia, Pro. 8. Pſal. 30. 50. 118. &c. Maximè hæc virtus pertinet ad Eccleſiaſten, 2. Tim. 4. vt poſsit dicere: Si veritatem dico &c.

3 Manſuetudo, Mat. 5. 10. &c. Maximè Epiſcopum nō oportet eſſe pugnacem. Dicat calumniatori: Ego dæmonium non habeo.

4 Humilitas. Quanto quis maior eſt, tanto ſeſe humiliet. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Non dominantes in clerum. Dicat: Ego non quæro gloriam meam. Et ſic deinceps.

¶ Obſerua item, conſideratione & contemplatione Chriſti paſsionis, omnia poſſe ſuperari peccata.

Obſerua etiam, Chriſti paſsionem præſentiſsimè ad pœnitentiam impellere. Corona ſpinea monet, nè caput ſuperornemus. Vide Tertullianum de Corona militis. Oculi Chriſti morte ſoluti, monent vt exéplo Iob, cum oculis noſtris fœdus ineamus. Itē vt oculos auertamus, nè videant vanitatem. Aures ſpinis perforatæ, monent vt noſtras quoque ſpinis ſepiamus, Eccl. 28. Facies ſputis oblita, monet nè facies noſtra immutetur, hoc eſt, nè vultus concidat exemplo Cain. Os aceto amaricatum, monet vt loquamur veritatem vnuſquiſque cum fratre. Manus affixæ, vt manus extendemus pauperi. Cor apertile, vt cor ſoli Deo pateat, & amore pauperum fratrumque caleſcat, mundo mortuum, Deo viuat &c. Pedes affixi, nè noſtri ſint veloces ad effundendum ſanguitem. Totum corpus quaſi leproſum, monet vt carnem noſtram deſpectam habeamus.

IN POSTIL. VVICE. SVP. EVAN. DOMINICA IN RAMIS PALmarum, Matth. 21.

*Cùm * appropinquasset * Iesus Hier. &c.*

¶ Sectio literalis misti sensus.

1 Christus omnipotens est, humilis, comis, pauper &c.

2 Mundus fragilis est, superbus, ferox, opulentus.

3 Christi regnum est, humiles exaltare, comes saluare, pauperes ditare. Contra superbos cõfundere, feroces contundere, diuites inanes dimittere.

DECLARATIO.

1 Cùm appropinquasset * Iesus Hierosolymis & cæt. Christus sermo omnipotens, è regalibus sedibus venit. Lapis sine manibus è monte excisus, omnipotentem se in hoc Mundo declarauit: Imperat, & illi omnia pârent. Sed non minus est comis & humilis. Discite, ait, à me, quia mitis sum & humilis corde. Sic à Prophetis est prę-signatus. Zach. 9. Sicut ouis ad occisionem ductus, Esa. 53. Lex clementiæ sub lingua eius. Sapientia ædificauit sibi domum, & misit ancillas suas &c.

2 Ite in castellum quod contra vos est. Mundi ingeniũ longè aliud est, quam Christi. Mundus vt fragilis est, ità est & superbus & ferox, nec vllis diuitiis repleri potest. Castellum, id est, nihili, vanitas, Hiere. 4. Eccles. 1. & 2. &c. Castellum vocat, iuxta hoc quod dicitur: Omnis seruus hero suo monosyllabus est. Christo castellum est, quod filiis huius seculi castrum, & vasta æternaque moles esse videtur.

3 Et statim inuenietis asinã &c. Regnauit à ligno Deus. Christus fugit gloriam in exordio suæ prędicationis, in fine eam recepit: submonens, ab ignominia ad gloriam ascendendum. Asinus contemptum animal Christũ sessorem portans, super omnes caballos honorificatur. Confer Petrum Augusto.

¶ Mystici sensus sectio.

1 Asina item & pullus, significant Ecclesiam despectam Mundo. Caballi sunt hæretici clamosi, & hypocritæ ronchisoni.

2 Veritas corporis Christi, hoc est, doctrinæ, scripturæ, & sacramentorum, est solum in Ecclesia, idque scripturę

pturæ teſtimonio locupletiſsimo.

3 Eccleſiam decet cultus ceremoniarum & decens ordo laudum.

¶ Declaratio primæ ſectionis.

1 Aſina quoque prophetæ Balaam, typus fuit ſynagogæ ad Chriſtum ducendæ. Aſina ligata, ſynagoga. Pullus in biuio, ethnici ſunt, quos etiam ſecus viam quærendos, & ad nuptias adducendos ſuis rex miniſtris præcepit. Bucephali & Rhœbi &c. ſunt hæretici.

2 Eccleſia errare non poteſt, 24. quæſt. 1. A recta, Memor in ſede, Quotiès, Hæc eſt, Rogamus, Loquitur, Alienus, &c. Gloſſator decret. ca. A recta, intelligit de Eccleſia catholica. de qua dicitur, De con. Diſt. 1. Eccleſia. Iſtæc Eccleſia non poteſt non eſſe verax, quia Chriſtus pro ea in perſona Petri rogauit, ne qua eius fides deficiat, 21. diſt. parag. primo, verſ. Ego pro te rogaui &c.

3 Totius mundi magnates non poſſunt ſtatuere, vt corpus Dominicum ſuper oſtro ac non ſuper ſindone munda conſecretur, quia Eccleſia ſtatuit vt è lineo panno corporale fiat. Non in regali, ſed in ſacerdotali habitu celebrandum. quare? quia hoc ſic eccleſia ſtatuit. canes hodiè & porci, Aſinæ Chriſti præferuntur, dum principibus & negociatoribus huius ſeculi, hominibus prophanis & barbaris, ius eccleſiæ conceditur.

¶ Morale.

Obſerua, In Ramis Palmarum, primò legitur Euangelium præſens de feſtiuo ingreſſu Chriſti, poſteà legitur paſsio de [redacted] exitu eiuſdem, vt diſcamus mũdi gloriam auerſari fallacem Bernard. ſerm. 2. Optimè proceſsioni Paſsio iuncta eſt, vt diſcamus in nulla lætitia ſeculi habere fiduciam, ſcientes quoniam extrema gaudij luctus occupat.

IN DIE PASCHAE,

Mar. 16.

Cùm tranſiſſet ſabbathum, Maria Mag. &c.

¶ Senſus Literalis fidem reſurrectionis Dominicæ adſtruit, cum eiuſdem ſacramento, eius nimirùm, cuius meminit Apoſtolus Rom. 4. Traditus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

¶ Sectio Literalis.

1 Sacramentum Resurrectionis, omnem solicitudinem auferens.

2 Colloquium angeli & signum resurrectionis, fidem eam confirmans.

3 Argumentum eiusdem fidei consolationis.

¶ DECLARATIO.

1 Cùm transisset sabbathum, Maria Magdalena &c. Nisi cognitionem haberemus sacramenti Resurrectionis, miserabiliores omnibus essemus gentibus. Veritatem corporis glorificati videmus in Christo rediuiuo. De sacramento Resurrectionis qui certior cupiat fieri, æstimet probè, quare Resurrectio Christi regnum dicatur, Matt. 26. Non bibam vobiscum posthàc de fructu vitis vsque in illum diem, cùm bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Item, quomodo Christus rediuiuus dicat se accepisse omnem potestatem, & hoc genus alia multa.

2 Et intrò euntes in monumentum, viderunt iuuenem &c. Angelus habet significationem omnium patriarcharum ac prophetarum, qui de Resurrectione sunt vaticinati. Locus sepulcri & sudaria, significant omnem creaturam, vndè expressum & præclarum exemplum Resurrectionis sumi potest, graminis nempe, arborum, seminum, & omnium ferè rerum. Vetus testamentum per angelos est institutum, Hebr. 2. Meritò ergò etiam in nouo sunt officiosi. Appáret iuuenis, quia noui testamenti est testis.

3 Nolite expauescere. Mariæ [illegible] nuncium animis releuatæ, mittuntur & ipsæ discipulis Euangelistę atque consolatrices, potissimùm verò Petro Euangelistæ, hoc est, bonæ nunciæ optimi nuncij. Nisi euangeliũ Resurrectionis nobis esset, miserabiliores essemus omnibus gentibus totius orbis terrarum, 1. Cor. 15.

¶ Mystici sensus sectio.

1 Mariæ sedulæ & charitate feruidæ, significant animam operosam & amantem Dei.

2 Angelus significat spiritum, qui locutus est per omnes prophetas.

3 Mittuntur ad Petrum, quo vnitas traducis exprimitur, & consolatio catholicorum mutua insinuatur.

¶ DECLARATIO.

Angeli item referunt officium docendi, Dist. 88. Decreuit. Vndè etiam sacerdotes angeli dicuntur apud Malachiam. Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes. Ascendere & descendere, est doctrinam pro auditorum captu moderari, 8. quæst. 1. Oportet, & Dist. 45. parag. vlt. Qui benè ministrant, ad dignitates maiores sese præparant.

¶ Morale.

1 Christum vngimus bonorum operum exercitio, nempe vitæ actiuæ, quam praxin vocant.

2 Angelus, id est, veritas scripturarum, vnctionem eam meritoriam approbat, & ad theoriam, hoc est, contemplationem exaltat.

3 Lapsis in mortem animæ, resurrectionis gratia non neganda.

¶ EXEGESIS.

1 Quod vni ex minimis meis feceritis, mihi feciſtis, Matt. 25. Voluntas pro opere est.

2 Secundum clarum est ex priori. Ex fide in fidem, Gratiam pro gratia &c.

3 Vide etiam Magnates Ecclesiæ posse labi, non ergò statim debent contemni, pro illorum salute. Labi permittit eos cælestis pater & tentari, vt tentatis compati possint, Hebr. 4. Duplex est Resurrectio, corporalis nimirùm & spiritualis. Illa extremi est diei, hæc quotidiè fit. Illa est duplex, iustorum scilicet quæ ἐξανάστασις dicitur: & iniustorum; quam vocant ἀνάστασιν: hæc simplex est, qua à terrenis vel à peccatis ad cælestia resurgimus. Atque summa doctrinæ Euangelicæ omnis, in hac doctrina est sita: nam ex hac, Exanastasis illa dependet. Vide Theophylactum. Petrum, mortuum morte animę intelligere possumus. Mittuntur Mariæ ad Petrum typus ecclesiæ. venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

DOMINICA I. POST PASCHA,

Ioann. 20.

Cùm serò esset de illo vna sabbathor. &c.

¶ Sensus literalis sectio.

1 Pax fidei catholicæ argumentum est.

2 Verbum Dei & ſacramenta Eccleſiæ, eius fidei ſunt fons & origo.

3 Chriſtus Ieſus verus Deus & homo, virtus & effectus eſt verbi & ſacramentorum.

¶ DECLARATIO.

1 Cùm ſerò eſſet die illo vna ſabbathorum &c. Chriſtus tempore pacis natus, angelos ſuos pacem hominibus bonæ voluntatis pronunciare voluit. Pacis euangelion docuit. Diſcipulis ſuis pacis ſalutationem præſcripſit. Idem à morte reſurgens, pacis ſalutatione idẽtidem ſuos diſcipulos eſt affatus. Deus pacis, charitas eſt. Diabolica eſt æmulatio omnis.

2 Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. De verbo Dei malè ſentit, qui virtutem ſacramentorum non intelligit eſſe efficaciſsimam, putà præſentem manum Chriſti, atque operationem ſpiritus ſancti. Accipite, ait. Operatur ergò acceptus ſpiritus etiam indignis. nam tametſi indignus non habeat gratiam qua ſaluetur ipſe, habet tamen characterem ad virtutem officij, in quo operatur ipſe ſpiritus ſanctus.

3 Thomas autem vnus ex duodecim &c. Thomas Chriſtum tangens, ſacræ carnis Chriſti deificatæ virtutem ſenſit, nobis factus doctrina & exemplum, Verbi & Sacramentorum virtutem ex incarnatione Chriſti eſſe. Aerumnoſæ vitæ & acerbiſsimæ Mortis merita, ad ſuperabundantiam pertinent omnia.

¶ Myſtici ſenſus ſectio.

1 Domus clauſa, eſt eccleſia, huius mundi odiis obnoxia, ſed Chriſti conſolatione non deſtituta.

2 In Eccleſia veritas doctrinæ & virtus ſanctorum ad excitandos mortuos morte peccati, eſt penes ſacerdotes.

3 Fides eccleſiæ, Chriſtum fide & ſpiritualiter videns & tangens, corde puta & opere, ſola meritoria eſt, quippe quæ à Chriſto ipſo maximi facta eſt. Commendatur etiam fides eccleſiæ ex gentibus operoſior, iuxta parabolam Matt. 21. Homo quidam habuit duos filios &c.

¶ EXEGESIS.

1 Duæ tubæ argenteæ Legis, Nume. 10. ſignificant duplicem prædicationem, declinare à malo, & facere bo-

num. Hæ tubæ ſolis commiſſæ erant ſacerdotibus Nume. 10. Ioſ. 6. 2. Reg. 6. Nehe. 13. 3. Eſd. 5. De tubis illis vide Eſa. 58 Oſe. 8. Iohel. 2. Pſal. 80. Origenem homi. 7. in Ioſue, Hieronymum in Pſal. 80. verbo, Buccinate in Neomenia tuba &c.

2 Obſerua, Thomam extra Eccleſiam conſtitutum, Chriſtum non vidiſſe: nec ab incredulitatis malo, niſi in Eccleſia, eſſe liberatum.

3 Thomam iubet ſe tangere, virum laboribus aptum, ſignificans neminem ad ſacerdotium promouendum, niſi virtutibus omnigenis probatum. Mulier in eccleſia docere non permittitur. vndè à Maria tangi noluit, ſed dicit illi: Vade ad fratres meos. Tangere, eſt virtuti indulgere. Vide ſecunda Paſchæ.

¶ Moralis ſenſus.

Qui in Eccleſia ea quæ pacis ſunt, non ſectatur, antichriſtus eſt.

Qui ſacerdotum derogat authoritati, antichriſti ſatelles eſt.

Qui Dominum Ieſum verum Deum & hominem cũ Thoma non fatetur, ore putà & opere [redacted] catholicus, nec Chriſtum tangit.

DOMINICA II. POST PASCHA, ſiue Miſericordia Domini, 1. Pet. 2.

CHriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, &c.

PROLOGVS.

FIdei prædicationem aptè ſequitur patientiæ & bonorum operum commẽdatio. Atque hac in re plùs ſoliciti erant Apoſtoli omnes, non quòd per bonorum operum commendationem fidei gloriam obtenebrarent, ſed veram fidem per bona opera declararent. Hæretici vtrunque confundunt, neutrum rectè docentes. Apoſtolus Petrus oſtendit, ſolam fidem non ſufficere. Sequitur ergò, opera bona iuſtitiæ fidei opitulari, & iuxtà atque fidem, iuſtificare. Quo bona opera magis bonis ſunt neceſſaria, hoc ſtudioſiùs ad ea identidem nos vrgent apoſtoli omnes. Petrus hic in prædicationem patientiæ & operum bonorum, exemplum nobis Chriſti proponit, valido † omnium ad perſuadendum

argumento: quod si noui apostolastri rectè considerarent, operibus bonis haudquaquàm iustificandi & meritorum augendorum rationem negarent. Sectio esto: Primo Patientia nobis commendatur. Secundò Christi passionis fructum recensetur. Tertiò Admonet, vt peccatis quotidiè magis atque magis moriamur. Christo per omnigenas virtutes & disciplinas viuendo. Nam peccatis mori nemo rectè potest, nisi virtuti, hoc est, iustitiæ viuat. Item par esse, vt honestè agamus sub tanto episcopo Christo Iesu Domino nostro.

Exemplū in Christi, sacramento nō vacat.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Nullum efficacius exemplum extat, quod ad mouendum æquè valeat, atque Christi. Quis fidelium verorum, audito exemplo Seruatoris filij Dei, non accendatur statim atque animetur ad exemplum eiusmodi sequendum? Sunt etiam alij, qui patientiæ insignem laudem merentur, quales sunt Abel, Ioseph, Iob, Dauid, Zacharias, Ieremias, Daniel &c. Sed quid hi ad Dominum Iesum? Est aliquid, seruum audire sibi sequendum Dominum. Discipulus quem rectiùs, atque suum imitetur magistrum? Energia ergò plenum est præceptum, quo nobis Iesu filij Dei exemplum commendatur. Fidelium esse, Christi exemplum imitari, audis Luc. 9. ipsius præceptoris verbis: Qui meus esse vult discipulus, se ipsum abneget: tollat crucem suam, & sequatur me. Qui Christi vult esse discipulus, qui Christum suum agnoscit Deum, qui Christum credit Deum, sequatur ipsum. Quomodò & quorsum? Accepta cruce, abnegando sese ipsum, in montem Caluariæ. O dura vestigia. Crux acerba, mons Golgotha infamis, passio acerba, mortis genus turpissimum. Sed si filius Dei istam sustinuit contumeliam, si sic ipsum regem gloriæ in suam gloriam ire oportuit, nullum aliud nobis relictum est iter. Ego sum via, ait. Luterani valdè clamitant, viam esse Christum: sed solam fidem interim dicunt seruare, fructum obedientiæ & patientiæ, meritum passionis & laborum eleuantes, viam ipsam obsepiunt & tegunt. In monte Caluariæ auditum est primò verbum gloriosum: Hodiè mecum eris in paradiso. Hic dixit centurio: Verè hic erat filius Dei. Quæ si ritè crediderimus,

Iter ad gloriā, Christus obediens patri vsque ad crucis mortem.

Gloriosum verbum primò in cal-

contumeliam & acerbitatem crucis præ tanta gloria nihili faciemus. Si Dauid nobis proponeretur exemplum, puderet nos eius exempli, etiam regis tanti. Iam rex gloriæ filius Dei, exemplum nobis datus est, quod non gloriæ maxime esse non potest. Vestigia Christi cordibus nostris impressa esse debent, præsens hoc hypogramma & exemplar nobis perpetuo ob oculos ponendum. Agitè fortes Christiani vel ethnicorum exemplis hoc Christi hypogramma nobis commendemus. Nerones animas nostras tangere non possunt, Matt. 10. Nôrunt ethnici tyrannos interiori homini nocere non posse. Scitè Anacharsis philosophus cum iam in tormentorum summa afflictione esset, ad carnifices & tortores truculentos dixit: Agitè audacter percutite, me siquidem non tangitis. Quasi dicat, Externum solum laniatis hominem, internum ferire non potestis. Se totum non ex homine externo, sed ex interiori æstimans. Et Platonicus Socrates cum rogaretur à Critone amico, vbi & quomodo terræ mandari velit, postquam cicutæ potione hausta esset extinctus, respondit: Nemo dicet Socratem in funere proponi, aut efferri, aut sepeliri, &c. Cadauer vix suum reputauit. Tanti interiorem hominem æstimauit. Si ethnici hæc crediderunt, in vmbra & in nocte constituti, quanto magis nos quibus lux veritatis cælestis apparuit de animarum immortalitate & de æterna beatitudine probè informati, constanter & gaudentes Christi vestigia sequeremur? Obserua hic, quam hallucinentur noui euangelicastri. Dicunt Christum pro nobis passum, nè nobis pati sit opus. Item Christum pro nobis opera bona edidisse, nihil ergò mereri quidquid nos fecerimus. Petrus ab illis apostolis immensum disidet: dicit enim, nobis relicta vestigia Christi, ad imitandum Christum. Luterani dicunt, sequaris, siue non, nihil referre. Item negant, Sequi nostrum, vllum præmium manere: quasi qui Christum sequatur per patientiam, non pertingat ad eius gloriam: vt ocioſe dixerit, Volo vbi ego sum, ibi etiam meum esse discipulum. Item, Qui mihi ministrat, honorificabit eum pater meus cælestis. Paulus subscribit collegæ suo Petro, secundæ Timothæi capite secundo, Romanor. 8. Si compatimur, & conglorificabimur.

Varius auctor auditu.

Meritum gloriæ sequitur exemplum obedientiæ Christi.

συμπάσχομεν, hoc eſt, patimur in iisdem veſtigiis. Patimur in eius gratiarum actionem, ad eius gloriam. Synergi ſumus, hoc eſt, cooperarij: ſancti, quemadmodum ipſe eſt ſanctus, 1. Pet. 1. Non quod eius ſanctimoniam ſperemus nos poſſe aſſequi. neque enim hoc nobis præſcriptū eſt. ait enim: Sequamini veſtigia eius. Similia item ferè dicuntur Mat. 5. 25. Ioan. 13.

Passio Christi rè ipsa æstimata, omnem tribulationē leuem facit.

Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Propheticum hoc lectionis ſacræ, emphaſin præſentem inducit. Nemo fidelis, in quacunque tribulatione fuerit, impatiens eſſe poterit, ſi illi horum ſuccurrat verborum. Chriſtus peccati omnis purus, fons puritatis, tanta paſſus eſt, non in peccatis concipimur, mendaces. peccatum nobis innatum eſt, Pſal. 50 Omnes peccauimus, Rom. 3. 1. Ioan. 1. Merito ergò noſtro patimur. Dicis, nobis peccata in baptiſmo eſſe remiſſa, nos ablutos eſſe, &c. Sed quid? Nonnè etiam poſt baptiſmi gratiam identidem in peccata labimur? Nonnè in nos quadrat, Sus in voluta-brum cœni lota reuertitur, & ad vomitum canis? Remiſſa ſunt nobis peccata, nè porrò peccemus, Ephe. 5. Tit. 3. Ioan. 3. Bis itaque rei & culpabiles ſumus, in luce tanta gratiæ, tenebrarum opera committentes. Vndè ſi aliquando tentatio ingruat, merito hoc noſtro nobis contingit. Non hæc dico errore illo, quo plerique hodiè dicunt, nos peccare oportere contra hoc quod dicitur 1. Ioan. 3. Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Peccatum exuperant, qui legitimè contra ipſum decertant: quod quoniam pauci ſecundum gratiam illis datam faciunt, multi cum vexantur, ſuo merito id illis euenit. Magna verò gloria Chriſti, qui conceptus eſt per ſpiritum ſanctū, natus eſt ex Maria virgine, plenus gratia & veritate, ſolus ἀναμάρτητος, hoc eſt, impeccabilis. Quis, ait, arguit me de peccato? Ioan. 8. Sinè peccato eſt omni, Hieb. 4. peccatum neſcit ſolus, 2. Cor. 5. Verba Eſaiæ prophetæ de Chriſto ſunt: *Lo hamas aſſa Velomirmah bepuff*, hoc eſt, Nihil commiſit iniquum, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Iam cum innocens agnus tot & tanta ſit paſſus, præparemus nos, & imperemus nobis, aſſueſcamus pati. Beati erimus, ſi vel rei, patientes crucis pœnam ſuſtinuerimus. Nam & latroni dictum eſt, Hodiè mecum eris in

paradiſo. Sed noſtrum eſt ſummoperè cauere, nè aut latrones, aut adulteri, aliiſque facinoribus rei patiamur.

Qui cum maledicerentur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. Qãdo tandem vetus noſter Adam exemplo noui Adami diſcet patientiam, quæ nobis præſcribitur Matth. 11? Noui euangeliſtæ nihil vſquam præ ſe ferunt, niſi veteris Adæ fæcem, quorum ſumma religio eſt, bouinari: contendere conuiciis, & conuiciorum plauſtra in eos à quibus vel verbulo læſi ſunt aliquo, regerere, infimus eorum religionis eſt gradus. Illuminatorum lux ſi adeo tenebricoſa eſt, heu mihi, quantã credemus eſſe nubem atque obſcuritatem eorũ, qui necdum ſunt illuſtrati? Non ſufficiunt librarij ad tot apologias excudendas, non ſufficiunt iudices ad tot lites & calumnias diſcernendas atque componendas. Sed & iudices ipſi calumniis ſubditiorum planè obruuntur. Iudicium Cameræ quantis noſtris temporibus conuiciis ſit affectum, quis neſciat? Quantum ad perſonas noſtras attinet, obmuteſcere debemus conuiciis onuſti. Pſal. 37. Veritatem vbique catholicam, atque adeo gloriam Dei aſſerere debemus. Chriſtus cum criminaretur, os non aperuit, Eſa. 53. Actor. 8. Nobis quoquè dicit idem propheta capit. 51. Nolite timere opprobria hominum, & blaſphemiam eorum nè metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Dauida vt Semei mordicus arripuerit, & qua patientia hoc rex tulerit, hiſtoria Regum teſtatur, 2. capite decimoſexto. Nobis quoquè dictum eſt: Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, mentientes propter nomen meum Matthæi quinto, Lucæ ſexto. Poterat Iudæos ſaluator viciſsim reprehendendo mordere, nõrat vlcera: ſed iuxta prophetam, vt ouis obticuit, nobis non ſolum in ſalutis ſacramentum, verum etiam in virtutis & meritorum exemplum. Cæterum nè videamur Deo inuiſi, atque per hoc omnium iniuriis expoſiti, & nè quiſquam putet ſibi integrum eſſe, pro ſua libidine in nos ſæuire, idque impunè, ſibi vlciſcendi poteſtatem reſeruat dignam: ipſe enim qui ſatis pro re vnicuique retribuere poteſt, menſuram bonam, confertam, & ſuperabundantem. Omni-

Patientia nobis eſt opus ad ſalutẽ cõſequendam.

Vindicta eſt Dei.

potens est, nemo illi resistere potest. Vndè potentes potenter tormentis excruciandos tradit. Exemplum Iudæi hodiè quoquè existunt, totius mundi ludibrium, qui olim erant populus vnicè electus. Exempla patientiæ duo subiicienda puto. Alterum Zachariæ prophetæ, qui cum innocens lapidaretur, ait: Videat Dominus & requirat, 2. Para. 24. Alterum catholici cuiusdam Episcopi, Alexandri nomine: is cum multa ab Arrio pateretur, nihil aliud duxit, quam: Dominus iudicet inter nos. Vidit Dominus vtriusque tribulationes: vidit, & iustum se vtrique vltorem exhibuit. Vide Eusebium.

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. De Christi passione simulàc dixisset, visum est vt etiam de eius vsu atque fructibus diceret: atque hoc ipsum hic, vt compendiosè, ita etiam perfectè exequitur. Christum filium Dei, quis credat ociosè esse Passum? Pater cælestis omnipotens, nisi maxima, per mortem eam, commoda sciret promanatura, nunquam filium suum dilectum talia pati permisisset. Acerbissima omnium mors vt illa fuit, ita etiam turpissima extitit: vtiquè certas ob causas. Innocens Dei filius, mendax omnis homo, in maligno positus totus mundus. Filio cælum peruium fuit: qui descendit, ascendere potuit. Princeps huius mundi, nihil in ipso habuit. iter itaque illi intersepire non potuit. Obex vero peccatorum, genus humanum totum vniuersumque remorabatur, quo minus eo vndè peruenimus, pertingeremus ad paradisum. Framea iræ Dei, aditum horti lætitiarum nobis clausit. Princeps tenebrarum, Vectis ille, ius in nos habuit. Auerni eramus mancipia omnes. Dei iustitia item legibus infernalibus adstipulabatur. Nihil itaque vndiquè nisi præsens nos circunuallabat perire. Hinc Dei iustitiæ atque iræ, illinc diaboli crudelitas & ius, intra nos vermis conscientiæ, intra & extra, infra & supra nos moles & abyssus peccatorum. Misertus nostri filius Dei Sapientia æterna, viam nouit, qua Dei iustitiæ satisfaceret, atque tyrannidem satanæ auferret, qui obicem peccatorum è medio tolleret, vermémque conscientiarum nostrarum enecaret. Nulla alia ratio, via atque modus erat, nisi vt innocens nocentibus

Passionis Christi vsus.

ſuccurreret, vita morſus mortis fieret, atque adeo occideret, &c. Deo patri agnus Dei ſe obtulit, ſanguine ſuo nos lauando, vermem animas noſtras corrodentem extinguendo, atque adeo framea illa ignea atque omni obice remoto, aditum nobis faciendo. Peccata itaque noſtra pertulit in corpore ſuo. Agnus Dei, ait, qui tollit peccata mundi. Agnus Dei, hoc eſt, victima. Agnus Dei, hoc eſt, pontifex, atque talis, cui ſoli cæli ſacrarium erat peruium, qui propter ſuam reuerentiam ſolus Deo patri pro nobis interpellans, erat exaudiendus. Altare erat lignum crucis, lignum huic ſacrificio conueniens erat cumprimis, quoniam & in ligno facta eſt tranſgreſsio. Cæterum & Agnus ipſe, petra illa, quæ olim filiis Iſrael tanta effudit vitalia flumina. Petra, inquam, in qua continentur, noſtris igniculis excutienda, ignis vitalis ſemina. Eià fratres, conſiderate myſteria. Quæ, per Deum oro, maiora eſſe poſſunt ſacramenta, vel in cælo, vel in terra? Regnauit à ligno Deus: & qui per lignum nobis impoſuit, per lignum ipſe quoquè percuſſus interiit. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Benedictio omnis carnis, ſemen Iſaac, illuc aſcendit, noſtram eam execrationem in ſe recipiens atque delens. Incorporamur itaque in baptiſmo Vitæ, Luci, & Veritati. In ſacramento Euchariſtias eius ſacroſanctum corpus & ſanguinem ſumimus. Deniquè & aliis chariſmaton diuinorum nos munimus ſacramentis. Quorſum hæc omnia? Vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. Hic eſt paſsionis Chriſti verus & proprius vſus. Hic ſacramentum, hic exemplum. Alterum ſi recuſes, alterius vſum & efficaciam nunquam percipies. Videte fratres, quali nos errore dementauerint noſtrates euangelicaſtri noui, qui ſolam fidem iuſtificare & beare dicunt. Non dicit apoſtolus Petrus, vt ſaltem credamus. Fidelibus opera bona præſcripſit ad iuſtitiam præficiendam. Innocens pro nocétibus oblatus eſt, vt eius poſteà innocentiam ſedulo imitarentur: nec hoc ociosè, ſed ad conſequendam iuſtitiæ præmium vitam æternam. Nobis peccare porro non licet, qui peccatis ſumus mortificati, qui ſcimus terrorem Domini, ſecundæ Corinthiorum capite quinto, iram agni, Apoc. 6. Summa: Amplius non eſt peccandum, Ioann. 5. 8.

Paſsio Chriſti nõ ſupplicii, ſed ſacrificium.

Paſsionis Chriſti præcipuus fructus, noſtra ſanctificatio.

Peccatis succedat iustitia : alterum auctoramentum habet mortem, alterum vitam. Corpus peccati est instrumentum diaboli, corpus disciplinæ Dei. Vtrunque arma iustitiæ vocat Apostolus Roman. 6. Apostolorum priscorum maiestas, interimat apostolastros nouos, priscis contraria omnino docentes. Votum solenne baptismi, etiam nouorum apostolastrorum opinionibus contrarium est ἀποτεθνήκοτες, entvvorden, abekomen, mortui, alienati, liberati sumus à peccatis: omnis ergo nostra religio, sita est in disciplina & pugna contra peccata. Neque hoc frustrà. Fidelis est Deus qui non obliuiscetur operum nostrorum bonorum, quæ per Christum Iesum sunt facta. Iustitiæ viuere, est opera bona sedulo edere, atque ea maiora, quam olim præstiterunt Iudæi, Matth. 5. Iustitiæ viuere, est non sibi, sed Christo viuere, 2. Cor. 5. Se inculpabilem vsque in diem Domini seruare, 1. Cor. 1. Qui peccata nostra tulit, propheticum est. Verba siquidem sunt Esaiæ: *Vaeuonotham Hu tsbol.* hoc est, Peccata eorum ipse portabit. Verbum *Sabal*, hoc est, portare significanter positum, onus peccatorum exprimit. Dauid quoque graue onus peccata vocat, Psalm. 37. Peccatorũ talis moles nos miserè depressit, atque infandum exulceratos, mortis violentiæ destinauit. Filius itaque Dei, quæ eius est sapientia, pari nos medela curaturus, corpus suum infinitis vulneribus discindendum obtulit, vt eius liuore sanaremur. Et hoc propheticum est Esaiæ, ni mirum cap. 53. vbi ait: *Ba Heburatho Nirpa lanu*, hoc est, eius plagis nobis medela & salus contigit. Iam qui sanati sumus, qui à tam crudis atque horrendis vulneribus æternæ mortis sumus saluati, videamus vt exemplum medici, diætam & normam viuendi, nobis præscriptum custodiamus, nè noua vulnera rursus, exitiosiora prioribus, nobis nostrapte temeritate conciamus.

Christianismi nervus disciplina iustificans.

Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. Ac si dicat: In propatulo est qui fuerimus, nẽpe ethnici ignorantes Deum, oues erraticæ, lupo expositæ. Nunc verò simulatque verbum omnipotens è regalibus sedibus, dum noctis silentium omnia teneret, ad nos venit, per ipsum sumus reducti ad pastorem animarum nostrarum, ad creatorem cœ

li & terrę: filij Dei effecti ſumus, qui ne quidem eius populus eramus. Supereſt ergo vt paſtorem noſtrum audiamus, verbum omnipotens recipiamus & retineamus. Nemo ſibi nouam ſalutis viam comminiſcatur. Conſuetudines mundi nemo viam ſalutis eſſe putet. Chriſtus eſt via, veritas & vita &c. Nemo dicat, neſcio quid mihi ſit faciundum: conuerſi ſiquidem ſumus ad fidelem paſtorem & epiſcopum animarũ noſtrarum. Paſtoris eſt, oues ducere. Epiſcopi eſt, plebem ſibi ſoli commiſſam docere & regere. Medici eſt, curatis à ſe diætam, quæ & λιτὴ δίαιτα, hoc eſt tenuis victus dicitur, pręſcribere? regimęque ſanitatis, emperici eſt, valetudinariis dictare atque committere. Idipſum animarum noſtrarum curator fideliter præſtitit, ieiunium, orationem, eleemoſynam, paupertatem, obedientiam, humilitatem, patientiam, & hoc genus diſciplinas & virtutes, denique decalogi obſeruationem nobis committens, dicendo: Hoc fac, & viues. Faxit Deus præſtemus hoc. Amen.

Chriſtus medicus dietam nobis præſcribit.

EADEM DOMINICA II. POST Paſcha, ſeu Miſericordia Domini, Euangelium Ioan. 10.

Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. &c.

PRAEFATIO.

TOto ferè capite, vndè pręſens lectio ſumpta eſt, aduerſus phariſæos & ſcribas acriter intonuit ſaluator. Idem & fecit apud Matthæum cap. 23. Craſſiſmę cutis homines, ſtrigilem talem requirebant. Qui erga miſeros peccatores ſemper omnium fuit clementiſſimus, quaſi internecinum bellum ſemper geſſit cum ſophiſtis & mentitæ religionis ſuperciliоſis phariſæis. Illi veritatis impatientes, more ſuo verberibus, quàm verbis, agere maluere. Veritas inſtar mellis, exulcerata etiá offendit, alioqui ſanum corpus leniens. Eos itaque quorum vulnera cruda erant, pupugit, hoc eſt, iram mouit. Venditabant ſibi iuſtitiam, de ficta ſua ſibi placebãt ſanctimonia, adeo vt ſeſe aliis præferrent, aliorum ſibi cenſuram arrogarent, paſtores & rectores ſeſe populi ingererent: id vero aut quæſtus, aut vanæ gloriæ cauſa: me-

Hypocritarũ peſſimũ genus, chriſto plurimũ inuiſum.

ritò itaque sibi Christo, cui nullus imponere potest fucus, soli venerunt corripiendi. Erant & alij adhuc pseudopastores, regiæ gloriæ captores. Theudas & Iudas Galilęus, homines factiosi, Act. 5. Eos ipsos & alios hoc genus, sancti patres, præcipuè autem Theophylactus, huc pertinere affirmant. Propriè condemnat importunitatem simoniacorum ambitiosorum & auarorum, qui se quæstus & vanæ gloriæ gratia ingerunt: episcopatus violentia fauore, largitione, precariò, & quocunque tandem iure, quaque iniuria aucupantur. Propriissimè verò violentos hæreticos, qui noua & exotica doctrina se veros & illuminatos euangelistas iactant, idque prætextu reformationis Ecclesiæ, qualia monstra Germania hodiè multa sustinet, potissimum tangit. Veniunt enim impete vasto, sed non missi, Hiere. 23. 27. Non refert si literas scripturæ calleant, si se identidem sacræ theologiæ iuratos doctores admirentur: cùm palàm sit, nihil eos nisi execrationes ferere, veritati catholicæ professæ ex diametro pugnare. Hoc textus hic luce clarius ostendit. Ipsum audiamus.

Simoniacos christ⁹ auersatur.

Hæreticos cũprimis Dominus Iesus odit.

Ego sum pastor bonus Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sanctus euangelista præsens noster, præsentem lectionem parœmiam vocat: quod schema & ipsi Domino non infrequens est, iuxtà atque parabola. Similia sunt rerum vsu detritarum, per quæ veritatis diuinæ mysteria declarantur. Vulgaris politia pro varietate pecorum & iumentorum, pastores habet varios: hos gregum, illos armentorum. Hic nonnihil variat similitudo: quia ecclesia non nisi vnum nouit postorem, & ipsa in vniuersum nisi vnum ouile existit, vnus & idem grex, ex eiusdem generis pecore, ouibus nimirum, conflatus. Adeò omnia quæ ecclesiæ sunt, ad vnitatem tendunt. Sub his duobus vocabulis, pastore & ouibus, comprehenditur etiam ouile, ianua, ostiarius, pascua & cæt. Cæterum cum etiam plerunque sub nomine & persona pastorum mercenarij quoque inueniantur, ouibus & pastori ipsi bono fraudi existentes, specialiter etiam hic de huiusmodi pseudo agit pastoribus. Denique lupus natura caulibus insidiatur, iuxta hoc Maronis:

Trahit sua quenque voluptas:
Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam.

Et hoc:
Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres.

Tertia pars huius parœmiæ, potissimum sunt lupi rapaces. Bonus pastor (vt infrà declarabitur) est Christus. Oues sunt genus humanum, escam & cætera ad vtranque beatitudinem spectantia, quotidiè è manu Dei expectans, sub pastoris tutela à lupis securè agens. Ouile est ecclesia catholica, teste August. Ianua est ipse quoque pastor Christus. Pascua sunt sacra eloquia, orthodoxa putà & catholica. Mercenarij, sunt ventres atque lucriones siue cerdones illi nummulariique, dignitates ecclesiasticas quæstus & vanæ gloriæ causa occupates. Lupus, teste Augustino & Theophylacto, est ipse diabolus omnium malarum rerum & author & vltor. Nam eos quos iritator adigit in culpam, eos posteà tortor exercet in pœna. Miraculi tamen loco non debet haberi, si etiam ventres & gratiæ Dei mercatores simoniacos homines, vnà cum præcisa hæreticorum turba, cum S. Augustino & Gregorio quisquam lupos dixerit, sed ouina pelle contectos, iuxta scripturam Matth. 7. & Act. 20. Nam & vetus & verum dictum est.

Prælatilucriones, mercenarij sunt.

Quo nequit ire satan, transmittit sæpè ministrum.
Et satanæ servus persæpè nocentior extat.

Poterit etiam lupus leo dici, propterea quod rugiens circumit ouile, quærens quem deuoret, 1. Pet. 5. Lupus hic Gen. 3. dicitur Anguis, Psalm. 90. dicitur Scorpius. Tam diabolo omnia hæc horrenda nomina, quam Christo mansuetudinis nomina, agnus, ouis, pastor bonus, & hoc genus alia, conueniunt. Diabolus author omnis mali, Christus omni boni. Diabolus itaque propriè & hoc frequentissimè dicitur Malus. Christus econtra propriè & verè dicitur pastor bonus. Ego, ait, sum pastor bonus. De se hoc dixit & propriè, & verè. De filio itaq; Dei & Mariæ hoc accipiamus oportet. Christus certè bonus est pastor, qui optime consultum vult ouibus, qui optimè semper erga omnes est affectus, pabula & pascua abundè singulis administrans, solstitia pecori defendens, & nihil denique quod boni pastoris est, omittens.

Pastor bonus Christus.

Deindè bonus est, qui bonorum nostrorum non egeat, qui gratis suapte bonitate, non sui, sed ouium causa faciat omnia. Denique bonus immò etiam optimus vel indè esse dinoscitur, quia etiam animam suam gaudēs impēdit pro ouibus suis. Quid habet homo anima sua preciosius & ęquè charum? Tam charum pignus Christus pro ouibus suis dare non dubitauit. Dicit ergò Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Et validissimo argumento Apostolus Roman. 5. ex hoc loco summam Christi erga nos charitatē colligit, maximè indè, quod se nūc pro nobis in mortem tradiderit, cùm adhuc eius essemus hostes. Pastoris tanta ista benignitas, longè anteà à prophetis prædicta est: nempe Zach. 13. ipso saluatore teste Esa. 53. Mosis, Dauidis, aliorumque benignitas pastorum, eius loci typus fuit. Huius optimi nostri pastoris vox, benignissimi pectoris indicium est: Si me quæritis, sinite hos abire, Ioan. 18. Q. d. Pastorem petite ipsum, & imbellibus parcite ouiculis. Debet pater recondere filiis, non filij parentibus. Episcopi est, oues ipsas quærere, non lanam, lac, vellera, & cætera quæ ouiū sunt. Prævaricatur ergo, si oues pro se interimi patiatur: sed libentissimè ipse se debet impendere pro ouibus 2. Cor. 12. ingenium pseudopastorum, quod huic ex diametro luctatur, sese his nostris temporibus illustre adeò declarauit, vt non potuerit illustrius. Hæresiarchæ grandia subindè cōtra aduersarios, quos ipsi sibi partim somniant, partim grauissima sua culpa sibi excitant, intonant, seséque verbis identidem deuouent, & martyres iactant, extra periculum feroces instar canum ignauorum qui in domibus, vel post sepes dominorum quibuslibet allatrant. Cohortantur alios ad militiam, & in pericula alios mittunt, sibi vel post principia cauentes. In scholis suis summum pontificem & omnes scholas quotidiè antichristum vocant & satanæ tradunt: sed Romam, Lutetiam, Louaniū, & ad alias academias, vbi antichristum degere adfirmant, proficisci non audent. Facies hominis, facies leonis, vox hominis, bombus apum & muscarum. Germania cęcis quibuscunque est cæcior, pseudopastores eos, sese adeò egregiè suis coloribus depingentes,

Pastor bonus Christus *à prophetis designatus.*

gentes, non attendens. Sed allatrent in suis septis homines maligni. nos ad bonum pastorem redeamus. Moses boni pastoris ingenium retulit, qui etiam anathema fieri non recusauit pro populo Dei. Et bonum pastorem se præbuit Dauid, 2. Regum vlti. dicens: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Hic vt diuinum Paulum, alios item apostolos, sanctos martyres & confessores præteream: dico etiam ethnicos inueniri, quibus dulce & iucundum fuit mortem pro patria oppetere: qualis Attilius, de quo Horatius ait:

Pastor bonus Moses, & omnes prophetæ, apostoli, euangelistæ, martyres & confessores diui.

Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimouit obstantes amicos,
Et populum reditus morantem,
Quàm si clientum longa negocia
Diuidicata lege relinqueret,
Tendens Venafros in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Fortitudo ista (fateor) huc collata, vix est candor scintillæ vnius arundineti, collatus ad radios solares & ad omnes reliquos ignes totius firmamenti. Sed quantum Christi, Mosis, Dauidis, apostolorum, martyrum & confessorum gloria excellit Romanæ fortitudinis splendorem, tantùm Romanorum claritas superat tenebricosam iactantiam nouorum euangelistarum. Habent (fateor) nonnullam meriti speciem in hoc, quòd abusuum & superstitionum zizania taxant: quod nemo satis grauiter & dignè pro re facere poterit. Sed tanta est eorum culpa, qua etiam bonum semen confessionis catholicæ ecclesiæ, sacramentorum, traditionumque apostolicarum eradicare aggressi sunt, vt quidquid laudis in inuectiuis contra prædicta mala meruerunt, prorsus contenebrescat. Quidquid enim tantæ lampadi veritatis ecclesiæ pugnat, quid nisi Tænaria obscuritas esse possit? Quod etiam sequentia luce clariùs ostendunt.

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mer-


Mercenarij conditio.

cenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Audistis boni pastoris descriptionem,& nunc conditionem mercenarij audite. Conferto alterum alteri, & vtriusque laus ex antithesi longè fiet manifestior. Lucrio quo hic pluribus verbis reprobatur, ars quæstuaria quo hic acerbiùs damnatur: hoc maiori encomio bonus pastor extollitur, hoc cura pastoria ab auaritiæ crimine pura, locupletiùs commendatur. De mercenario dicitur: Mercenarius,& qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, fugitque. Vide crebram verborum repetitionem, & attende rerum grauitatem. Ter repetit, mercenarium saltem eò spectare, vt rerum & suæ gloriæ lucrum faciat, dein & fuga bis replicatur. Dimittit oues & fugit. Vtrinque grauis culpa, sed nescias an plùs nocuerit deserendo, quàm malè pascendo. Postremò rursus geminam causam fugæ subdit, dicens: Fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Hoc est, quæstum querit solum. Oues non sunt illi curæ. Vides ex tam diligenti mercenarij descriptione ipsum parùm à lupo differre. Ingreditur, vt fur & latro. Bona quæ pauperum sunt,& vndè veri ecclesiæ pastores sustentari debebant, sacrilegus depeculabatur: exemplo malo longè pestilentior, lupum egit, nedùm non abegit. Quòd si etiam aliquis horum, oues ad non importuna fidei pascua compulit, lupo tamen venienti, hoc est, simoniacæ labi succrescenti, non restitit. In doctrina fidei,& in dispensatione mysteriorum Dei, leo (vt cum Tertulliano loquar) erat: sed in carpendo & taxando pompam secularem, auaritiam, ocia, ignauiam, voluptatem, & alia hoc genus vitia, ecclesiam penitùs occupantia, hic, inquam, ceruus & lepusculus extitit. Hoc proprium est eorum, quibus bona conscientia non est, suaque quos culpa redarguit ipsa. Theudas & Iudas Galilæus, & cum iis quos deceperunt, ceciderunt, sed malè. Eodem exemplo & seditiosi, concitatioris spiritus, euangelistæ plerique, cum reliquo factiosorum grege interempti sunt: sed non vt apostoli pacifici, verùm seditionum authores cruenti. Non tamen ij, qui cum deceptis à se ouibus pœnam meritam subierunt, tam importuni sunt, atque illi, qui

Euangelium nouum seditiosum.

ſupplicium quod ipſi merentur, in alios transfundunt. Res horrenda, ſed vera, atque vtinàm ſedata. Tenet adhuc error funeſtus, tenet adhuc euangelion nouum, multo ſanguine innocentum inebriandum. Innocentes, non ſeducentes, ſed ſeductos & rudes voco: his euangelion [redacted] fata minatur. Apoſtolaſtri ſiquidem [redacted] huius tempeſtatis, eodem [redacted] ſpiritu [redacted] oris, paucis retrò diebus [redacted] ſuorum. Prædicatum [redacted] illum, ſcribebant, [redacted] nouum. Quale hoc? Libertatis Chriſtianæ [redacted] abrogari, vulgò conſtitui liberum, [redacted] obedientiâ; vulgus etiam iugum [redacted] ſeculi refricari [redacted] audiuit euangelion nequidquàm prædicare, [redacted] parandam putauit [redacted] Dei ordinatione in [redacted] barbaros principes, tot ſacramentorum eccleſiæ, [redacted] corpus eſſe, meminiſſe debebant, oblitos, magis ac magis [redacted] hementiorem exard[redacted] inflagrabant, tantum abfuit, vt [redacted] errantibus ſe duos [redacted] poſito, iam regnant: & quotidiè vehementiùs irruunt [redacted] lam ſibi vendicando, ſacerdotes eos qui veri catholici permanere contendunt, [redacted] ſura fiducia perſequuntur. [redacted] Dominio Deum obſequium certum præ[redacted] ſacerdotes quoſcunque catholicos oriri [redacted] ſcripturæ [redacted] dicta accipere debebant, [redacted] poſtea impudentes torquere [redacted] ar latronum [redacted] le[redacted] rumpentes, mentiuram [redacted] ſuæ [redacted] Cæruncellio militantes, [redacted] a[redacted] eccleſiæ, verbo [redacted] os rogantis & [redacted] eſtis? Quando & [redacted] in [redacted] magitis, non me[redacted] [redacted] ſe[redacted] Mea eſt [redacted] habeo origines [redacted] Sed [redacted]

Seu stent (puta nouæ euangeliſtæ) ſeu ſedeant, nihil eſt bonitatis in illis. Vos nunc ſubmoneo epiſcopi & parochi, quicunque catholici eſſe contenditis, vt videatis, num & vos præſens iudicet parœmia. Sancti apoſtoli conqueruntur ſuo tempore lupos rapaces irrepſiſſe, maximè verò auaritiæ vitium, Philip. 2.



[redacted] meas, & cognoscunt [redacted] oves habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Et illas oportet [redacted]

Pastor bonus Christus oraculus prophetarum.

[redacted] iterum ex collatione bonorum pastorum [redacted] quidem non dubito. [redacted] bet. Non est jactantia [redacted] pastorem bonum [redacted] hæc vox necessaria erat. Adde quòd etiam [redacted] sima Solymas venit, quia hoc ita prædixerant [redacted] Prædixerant Christum fore bonum pastorem. Pastorem ergò bonum [redacted] phetarum completa [redacted] vaticinia. Ezech. 34. [redacted] autem Dominus [redacted] Deum, & [redacted] Dominus [redacted] David servus meus princeps eorum in perpetuum [redacted] Et unicus pastor [redacted] hos respexisse, immò verbis prophetarum [redacted] tum esse, parabolam hanc bonorum pastorum [redacted] dicturus esse, undè meritò [redacted] prophetias declaratum [redacted] vocatur pastor. Cæsar, rex, princeps [redacted] & ethnicis supremi reges, pastores [redacted] pastores vocat, Plato vocat custodes. Nota [redacted] est tondere pecus, non deglubere. Sunt pares, quorum sententiis [redacted] Cæsarem catholicum quem [redacted] Cæsarem in numerum omnium [redacted] stus. Quidem personarum non est [redacted] Cæsari tus esse-

** Ioel*

Magnates ecclesiæ & reipub. pastores esse debent.

ſæ creditum eſt: quanquam Auxentiani, vt & chori & fori ius eleuent, vtrunque confundant. Apoſtolus Hebr. 13. vocat Chriſtum magnum paſtorem. 1. Petr. 5. dicitur ſummus cuſtos. Supra ſe bonum paſtorem probauit, quia animam ſuam ponat pro ouibus. Nunc ſe bonum paſtorem declarat, quia agnoſcat oues ſuas, & viciſsim à ſuis agnoſcatur. Boni paſtoris eſt, gregem ſuum ſubindè viſitare, & iuxta apologum, Argum agere. Oculus Domini (quod fertur) ſaginat pecus. Prouerb. 12. Nouit Dominus bonus iumentorum ſuorum animas. 27. Diligenter agnoſcit vultum pecoris ſui, gregesque ſuos cõſiderat. Eccl. 18. Qui miſericordiam habet, (ait Ieſus Sirac) docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum. Sic Chriſtus cum ſuis ſemper præſens eſt, & omnes ex nomine agnoſcit. Agnoſcit inquam ſuas oues: ſunt autem, de quibus ait Ioan. 8. Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberos reddet vos. Item cap. 13. In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinuicem. Et 2. Tim. 2. ait Apoſtolus: Nouit Deus qui ſint ſui: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Chriſti. Talem nouit, necdum natum, Hieremiam ca. 1. Cæterum ignorantes ignorantur. Ociosè credentibus dicet, Neſcio vos, Matt. 25. Diuitem epulonem non nouit; ſed Lazaron, Luc. 16. Noſcunt & viciſsim oues ipſum. Sunt autem, qui audiunt verbum eius. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. 1. Ioan. 4. Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. Ibid. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus charitas eſt. Sperant in te (ait pſ. 9.) qui nouerũt nomẽ tuum. Hoc eſt, qui colũt. Chriſtus non dicit ſe venatorẽ robuſtũ. Venator quiſq; canes ſuos nouit, vndè hunc Melanthodam, illum Melanchetem, Pamphagum alium vocat. Equiſones quoquè equos propriis appellant nominibus, hunc Aſcheton, illum Cambaſon, alium Corithan. Sed & ſe non vocat equiſonẽ Chriſtus. Denique neque porcariũ neq; bubſequãſe eſſe dixit: Canis inuidię notata eſt beſtia, vndè & hęretici vnicá Chriſti dilacerantes, ſub eius beſtiæ typo deſignantur. Equus martium animal, ſus * immundus, tauri item armentale genus cornibus ferociunt. nam &

Paſtor bonus Chriſtus.

Oues Chriſti quæ.

Buceri vocabulum, non minus crudelitatem importat, quam pedes equiui. Huiusmodi bestiis discipulos suos Christus non contulit, nec se istiusmodi, bestiarum pastorem dixit. Oues simplices, humiles, patientes, & bonę frugis plenas, suas agnoscit. Tales & vicissim suum pastorem fide noscunt, spe sequuntur, & illi charitatis ardore adhęrescunt. Sequitur: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam pono pro ouibus meis. Quæ hæc illatio? quæ cohærentia? Gregorius in homil. dubitationem hanc grauissimè expedit: agnitionem obedientiæ & charitati tribuens, idque aptissimè. Nouit siquidem Deus qui sint sui, eos nimirum, qui declinant à malo, & faciunt bonum. Sic & nouit seruum suum fidelem Dauid, Ezech. 43. Et scriptura passim vocat seruum fidelem Dei Christum. Nullus vnquam seruus Domino suo adeò fuit submissus, atque Iesus patri suo cælesti. Vsque ad mortem, & eam crucis, patri factus obediens, Phil. 2. Obaudientem sui pater filium nouit. Filius identidem Dominum Deum suum nouit, quia & se formam serui nouit. Paulominus, ait scriptura, minorasti eum ab angelis tuis, hoc est, teste Sedulio, assumendo carnem, patiendo crucem, quod vtrunque angelis euenire non potest. Cæterum quatenus & filius est par Deo, ratione vnitatis substantiæ, non solum nouit mysteria humanæ redemptionis omnia, sed & generationis, qua à patre ab æterno genitus, & in æternum gignitur, quáque spiritussanctus ab vtroque procedit, sacramenta perfectissimè solus tenet. Vndè & ait: Ego & pater vnum sumus. Ad Iudæos dicit Ioann. 8. Vos dicitis Deum vestrum, quem non cognouistis, ego autem noui eum. Et si dixero quod non nouerim eum, ero similis vestri, mendax. Sed noui eum, & sermonem eius seruo. Eccè tibi veritas seipsam elucidat: quarè ergò alionde interpretationes coaceruemus? Sequitur: Adhuc alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Nulla hic obscuritas. De ethnicis omnes intelligunt, ethnicos quoquè opus manuum suarum plastes agnoscit, dicit ergò & eas adducendas sibi. Adduxit autem per prædicationem euangelij, quæ propter traducem vnitatis, initium sumpsit Hierosolymis, Luc. 24. Adductionem hanc latiori campo prosequitur

Agnitio Dei ex obedientia & charitate est æstimanda.

Vocatio gentium.

idem Acto. ferè per totum. Ex adductione ea factum est vnum ouile, sub vno pastore Christo. Hoc item sic prędictum vides Ezec. 37. Mysterium hoc admodum grande, per miraculum duarum virgarum in vnam redactarum, præsignificari vides ibidem. Maceries & interstitium simultatis, Christi passione est euulsum, Ephe. 2. Iam non duo populi, sed vnus, Rom. 3. Hic fundatur articulus nostræ confessionis de vnitate ecclesię. Ecclesiam nisi vnicam agnoscit Christus. Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus: ergò & vna saltem est ecclesia. Proditor ecclesiæ Vuicleff est, non ouis: qui degener ecclesiæ, in sola Anglia ecclesiam somniauit. Proditores ecclesiæ, non oues, sunt Vuicleffistæ Pickardi, qui & ipsi ab ecclesia catholica defecerunt, ecclesiam catholicam in angiportum Bohemiæ includere præsumentes. In vniuerso mundo ecclesia Christo vnico vnica est fundata: nunquam in vnum angulum mundi cogetur. Vniuersus mundus per vnum solem illustratur: & vnicus Christus omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat: lux, vita, pabulum, pascuum, ianua: vnus, omnia in omnibus existens. Rogas, quid ergo dicit Apostolus Ephe. 4. Dedit pastores, pluraliter? Respondeo, iuxta Ezech. vnum solum esse pastorem, & vnius ecclesiæ vnicum sponsum, 2. Cor. 10. Ephe. 5. Apoc. 22. &c. Zelotypus sponsus ille, angustum habet stratum & pallium breue, Esa. 28. Habet tamen vicarios & subpastores, se timentes & amantes, quos caulibus multis vnius ecclesiæ in vniuerso mundo præfecit, quibus etiam spiritum sanctum suum ad mysterium hoc dedit. Sunt itaque & multi pastores, iuxta Apostolum: sed vnius spiritus omnes, sub vno capite omnes. Christus omnium vnum est caput. Christi spiritus in vno sensu & intelligentia regit omnes. Ministri Christi, omnes. Sic nos, ait Apostolus, existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Sunt inter subpastores & vicarios eos alij aliis maiores: sed si eum qui omnium maximus est, Christo conferas, erunt quasi minima stella composita soli. Et quemadmodum neque ex seipsis stellæ lumen habent, sed id à sole accipiunt: ita & vicarij Christi vniuersi & singuli nihil habent, quod per Christum non habeant. Et de pastori-

Ecclesia vnica est.

bus extat oraculum Hierem.3. Ad hanc prophetiam alla
Prophetia de episcopis. dit Apostolus 1. Timot.1.dicens: Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, iuxta prophetias quæ de te præcesserunt, vt milites in eis bonam militiam. Huc referendum quod dicit Ephes.4. Qui dedit alios pastores. Ex pastorum horum numero vnus erat Apostolus, qui & ipse pro sua mensura dicere poterat, quæ & quanta passus esset pro Christi ouibus, primæ Corinthiorum capite sexto, 2. Corinth. 11. Sed alia ratione passus est archipastor, alia subpastor. Nisi enim ille passus esset,
Passio arguit bonũ pastorem. nulla esset huius passio. Arguit pastorum veritatem passio: sed vnius passio, omnium est salus. Petro dicit, Sequere me: & Paulus se impendit. non tamen grex neque Pauli erat, neque Petri: sed ipsius archipastoris, qui dicit Petro, Pasce oues meas, Ioan.21. Ex his Christi verbis, veræ traducis Petrus, tanquam vera propago, dixit & aliis palmitibus, successoribus & collegis suis: Pascite gregem non meum, sed Domini, 1. cap.5. Nunc tandem, summam rei in pauca conferam, admonitos velim hic e-
Canones pastorales piscopos, vt hac prȩsenti lectione sibi canones pastorios siue pastorales conficiant. Primo sibi ex hoc loco proponant boni pastoris formulam ad imitandum. Ad imitandum, inquam, quia ipsam veram illam & perfectam bonitatem fontis bonitatis, nemo adsequi poterit. Sufficerit ergo viatorum perfectio ista, si primo prædicationi verbi sedulo institerit episcopus: si munus docendi sibi præcipuè commendatum, susceperit præsul. Duplici digni honore sunt, qui in doctrina verbi benè præsunt. Non misit me Christus baptizare, ait apostolus Paulus. Et diuus Petrus ait: Num iustum vobis videtur, vt nos derelicto verbo, mensis ministremus? Administratio doctrinæ, apostolis omnibus præcipua fuit gloria, quæ si nostratibus incepit vilescere, & dedecoris loco haberi, appáret quantum hi ab illis discrepent. Secundo, debent episcopi cauere quæstum, qui non est pietas. Tertio, tam debent affici profectu gregis, quam eius defectu. Neque satis sibi hoc debent æstimare, quod virtutem tradant, nisi etiam vitiis, vndè ouilia corrumpantur, strenuè luctentur. Dicant Simoni: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Dicant Herodi: Non licet tibi vxorem fratris

tui Philippi habere. Meminerint verbi ſancti Auguſtini, dicentis: Fugiſti, quia tacuiſti: tacuiſti, quia timuiſti. Et quarè Petrus, à petra Chriſto Ieſu exciſus, diſſimularet, quod poetæ carnales homines, & quod philoſophi tyrannis trucibus auſi ſunt dicere? Quarto, debent crebra conuerſatione & conſuetudine docendi, admonendi, infirmos viſitandi, pauperes fouendi, notiores eſſe ſingulis, quam ſolent prophani paſtores ſuis noti eſſe canibus. Comminatur Deus grauiter iis, qui hæc paſtoria opera omittunt, Ezech. 34. Quinto, non debent ſpirare ſulfur nitratum, ſed redolere magis thus & thymiama. Ex æquo debent credere aliis. Sapientia quæ deſurſum eſt, tractabilis & bonis conſentiens. Viderint nonnulli ſuperſtitioſi, qua authoritate auſint eos hereſios damnare, qui craſſiſsimos ſaltem abuſus, verbo ſcripturę apertiſsimo pugnantes, iudicant. Eià quam hic ſunt acuti: Gratis accepiſtis, gratis date: Vnuſquiſque propter ſcortationem, &c. Hæc, & genus hoc apertiſsima ſcripturæ loca, hei mihi quam limitent. Heu fides, heu pietas, heu religio priſca, huccine rerum peruenimus, vt etiam ſine hæreſios traductione Chriſtus & apoſtoli audiri vix poſsint? Hei mihi. Quot pia ingenia hodie à theologia ſacra abſterrentur, dum vident, etiam apertiſsimam ſcripturam ſinè magno periculo vix poſſe doceri? Viderint quoque epiſcopi, quibus hypocritis ſcripturarum deprauatoribus fidem adhibeant. Viderint paſtores, vt verbum fidei rectè ſecent. Meminerint, multos in poſterioribus temporibus fore pſeudoprophetas, multos dicturos: Eccè hic, eccè illic eſt Chriſtus. Nè credant omni ſpiritui. Deniquè & grex vocem paſtoris verbum Dei, tanquam ipſum paſtorem præſentiſsimum, reuereri diſcat. Caueat, verbum Dei negligenter audiat: quod certè ſummum apud Deum piaculum habetur. Dein diſcat vel ab ouium natura, vt non ſolum audiat & ſequatur paſtorem pabula adminiſtrantem, ſed & exemplo ouis, frugi eſſe incipiat. Sic enim fiet, vt Dominus Deus vtriuſque ſtatus ſtrenuos rectores eccleſiæ præficiat. Certum eſt ex canone 6. quæſtio. 1. Ex merito: item 8. quæſt. 1. Audacter: Sæpenumero non

Priuatus quiſq; attendat ſibi à ſophiſtis nouis.

ex arbitrio Dei, ſed ex merito plebis rectores dari. Suam ergo plebs culpam agnoſcat, ſeque ipſam corrigat. id ſiquidem generalis reformationis primus gradus exiſtit. Dominus Ieſus paſtor optimus maximus tã ad hanc priuatam, quàm ad publicam & generalem reformationem clementer adſpirare dignetur, vt ouile vnicum hoc ſuum, tot mercenariorum, tot luporum rapacium, tot morbidarum tonſarum ſecurum & expurgatum, ad ſuam ſolius gloriam indies magis atque magis in pulchra pace coaleſcat & ſuccreſcat, Amen. Huic animarum noſtrarum Epiſcopo & paſtori opt. max. ſit laus & gloria cum patre & ſancto ſpiritu, per æterna ſeculorum ſecula, Amen.

DOMINICA A PASCHAE SECUNDA, Ioan. 10.

Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor &c.

¶ *Senſus literalis totum ferè eccleſiæ ſtatum exprimit: myſticus eſt planè.*

¶ Sectio eſt.

1 *Conditio mercenarij, pſeudoepiſcopos ſubnotat.*

2 *Malitia lupi, hæreticorum crudelitatem arguit.*

3 *Ingenium boni paſtoris & ouium, catholicos epiſcopos & orthodoxam plebem adumbrat.*

4 *Gentium vocatio, vnitas Eccleſiæ.*

¶ EXEGESIS.

1 *Ego ſum paſtor bonus. De malis paſtoribus vide Ezech. 37. Zach. 11. Oſe. 11. Canones volunt ſacerdotes quibus patrimonium victum ſuppeditare poteſt, gratis Eccleſiæ inſeruire, exemplo Stephanæ, Aquilæ & Priſcæ, 1. Corinth. 16. Contra ambitionem Eccleſiaſticorum vide Auguſtinum libro nono de Ciuit. item Chryſoſtomum ſuper Matthæum, & habetur 40. diſt. Nemo.*

2 *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius nõ ſunt oues propriæ, videt lupum venientem. Malitia hæreticorum lupum vt referat, ſchiſmata ſatis arguunt.*

3 *Ego ſum paſtor bonus &c. Bonus paſtor percutitur. 2. Cor. 11. Quis ſcandalizatur, & ego non vror?*

4 *Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili. Vnum lignum ex duobus conſolidatur, in quo cum vocatio gentium, tum Eccleſiæ vnitas ſignificatur. Væ ſchiſmaton autheribus Anti-*

christus. Qui non est mecum, ait, cõtra me est: & qui nõ colligit mecum, dispergit. Ecclesia congregationem significat. Est vnum ouile propter vnionem fidei & charitatis. Antichristus est dissensionum author.

¶ Moralis sensus ex literali mystico vltrò fluit.

Caueat pastor esse mercenarius. Lupus mercenario est peior. Ouis imbelle animal, pluribus est vsibus accommodum, iuxta hoc:

Non sibi, sed nobis, vellera portat ouis.

Christus quoque ouis Dei dictus metonymia apta, qualis & illa in Psalm. Tauri pingues obsederunt me. Item, libera de manu canis vnicam meam. Horrendum dictu, quod hodiè plurimi edunt de carne agni Dei, & abeunt in leones, vrsos & dracones.

¶ Alia sectio.

1 *Christus Israel est pastor bonus.*

2 *Subpastores vult habere bonos.*

3 *Oues vocat plebem bonis operibus deditam, pacificam & patientem.*

4 *Ecclesia est talium ouiũ ouile vnicum. aliud ouile ouium & aliud lustra ferarum.*

Obserua iuxta Glos. ord. Pastores non esse fugitiuos, si in persecutione cedant, vt se seruent ouium vtilitati. Possunt enim absentes corpore, scribendo plus prodesse. Negare omnino non licet: negabitur enim negans.

DOMINICA III. POST PASCHA siue Iubilate, 1. Pet. II.

OBsecro vos tanquam aduenas & peregrinos: abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. & cæt.

PRAEFATIO.

PRoposuit sancta mater Ecclesia in epistola præcedenti nobis exemplar Christi, passionem amarissimam: Pastorem denique quemoues sequantur: Episcopum, quem audiat plebs, Christum ipsum esse dixit: Archiatrum denique, qui nobis salutis documenta atque diætam sanitatis præscripsit, Christum Iesum esse ostendit. Nunc ex epistola Petri, eius regiminis quasdam species nobis declarandas statuit, atque hoc eodem te-

Disciplinas iustificationis nostræ sedulò tradit ecclesia.

nore facere pergit, vſque ad aſſcenſionis Dominicæ feſtum. Adeò ſola cura eſt pię matris, vt rectè viuamus, qui Chriſtum fide profitemur catholica. Quid hæretici moliantur viderint ipſi. Fructus quoque id ipſum egregiè profert. Nos qui catholici eſſe contendimus, videamus quoque, fermentum vetus án ne omne expurgauerimus, nouám ne vitam rectè inceperimus, 1. Corinth. 5. Rom. 6. Paſtoris veſtigia an teneamus, néc ne, videamus. Epiſcopo animarum obſequamur, an non, conſideremus, noſipſos æſtimemus. Qui purificati veſtes & corpora, paſcha Chriſtum in eccleſia ſolenniter epulati ſumus, videamus fratres, nè poſt tam ſalutares eccleſię diſciplinas, poſt tot ſalutaria Chriſti meritorũ ſacramenta recidiuemus. Meminerimus horrendum eſſe & abominabile, ſuem ad volutabrum, & canem ad vomitũ reuerti. Magis horrendum eſt & execrabile, quod Apoſtolus ait: Rurſus crucifigentes ſibiipſis filiũ Dei. O inimici crucis Chriſti, Caiphę, Herodes, Pilati & Iudæ Scariothes, reſipiſcite tandem & agite pœnitentiam, facite memores ſitis vię Dei in qua ſeruemini. Iram Dei ſuper omnes contemptores declinare ſatagite. Eius rei mater Eccleſia ſpeculum nobis & normam non abiiciendam protulit, Epiſtolę diui Petri lectionem pręſentem. Sectio eius eſto: Primò inſtruit ad bene operandum generatim. Nec inſtruit modò, verum etiam ſubmiſſe orat, vtinam etiam exoret. Secundò in ſpecie erudit, primo liberos, dein ſeruos. Obedientiam eam fidelium, infert eſſe gratiam in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vtique ſalutarem omnibus, eam vere & ſyncere exprimentibus. Sequitur ipſa lectio:

Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos: abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam. Attende, qua diligentia nos exhorteturatq; oret. Parœcos & parepidemos orat aduenaş & peregrinos. Hoc autem facit, vt perſuadeat atque exoret, huius fallacis mundi gaudia vitanda eſſe. Chriſtiani peregrini, immò etiam exules ſunt in hoc mundo, quid ergo non obaudiunt Apoſtolo, & (1. Corinth. 7.) nihil habentes, omnia poſsident? Audiatur Dauid Pſalm. 45. vbi ait: Audi filia & vide, & obliuiſcere domus patris tui. Hoc eſt, Chriſto conſe-

Peregrini in hoc mũdo, mũdũ facilè contemnunt.

grata anima, substãtiam huius seculi aspernare, patrem, matrem, amicos, affines amori Dei posthabe, Genes. 12. Deuter. 33. Matth. 8. Luc. 14. Hæreditas & patria nostra, non est huius mundi. Matth. 23. Galat. 4. Ephes. 4. 1. Pet. 1. Non habemus hic locum manentem, Hebr. 13. Mundus non solum exilium est fideli, sed & ergastulum, quod ità nouit Apostolus. Dicit ergò: Quis me eripiet &c. Item cupio dissolui &c. Ciues simus regni cœlorum & domestici Dei, sympolitæ omnium diuorum, hoc est, conciues indigetum, Eph. 2. Mundus nos hic aduenas probe nouit: vnde suis indigenis parcens, nobis aduersatur. Si de mundo essetis, ait, mundus vos diligeret. O vtinam tandem cognoscamus nos exulare in hoc mundo. Quod si nos peregrinos agnosceremus, & si seduli ad patriam tenderemus, neutiquam huius nos mundi luto & stercore oneraremus. Diceremus, abiectis huius mundi nugis: Omnia mea mecum porto. Peregrinationem eam nostram Apostolus 2. Corinth. 5. graphice delineat, discriminando inter endημeo & ecdημeo, hoc est, tametsi agamus in carne, tamen sumus aduenæ, respectu patriæ cœlestis. Hic fides, illic est species: Hic creditur: illic accipitur: Hic spes, illic res. Beatus qui fruitur, immò etiam beatus qui eo sedulò pergit. Dauid nostræ peregrinationis etiam meminit, Psalm. 39. dicens: *Ger anochi Imah*, hoc est, peregrinus sum apud te. Peregrinos eos admonet & obtestatur sanctus Petrus, ne patriæ obliuiscantur, detenti nugis fallacibus huius seculi, immò hunc mundum, tanquam certum hostem, expugnare studeamus, præcipue item carnem nostram hostem domesticum agnoscamus, atque nobis ab eo caueamus. Si enim secundum carnem, vixerimus, moriemur, Roman. 8. Apostolus Petrus nobis hic bellum instans atque perpetuum delineat, de quo etiam est ad Galat, 5. Iacobi 4. Bellum hoc nullas nouit inducias. Cùm dixerimus, pax & securitas, tunc repentinus nos deprimet interitus. Dicis, carnis tyrannidem esse vehementem, periculosamque esse cum ea decertationem &c? Respondeo, Agonothetam nostrum Christum Iesum, nobis suppetias hic ferentem, nobis semper adesse. Denique eundem auxiliatorem, etiam esse remune-

Carnis tyrãnidis inducias bis periculosæ

ratorem. Quod si labor lassat, præmij magnitudo & certitudo recreet. Quis tali spe munitus torpescat, præsertim cum audiat desideria carnis identidem aduersus animam pugnare?

Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.

Opera bona potissimũ faciũt ad dei gloriam.

Superiora eo dicta sunt, vt mala vitemus: præsentia hic eo dicuntur, vt bona faciamus. Vtraque faciunt ad scandali vitationem. Sed operum bonorum executio, maximè facit ad virtutis prædicationem. Vndè ait: Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Deum. Infideles quicunque & hæretici, veri sunt Coricei, nostram vitam accuratè obseruantes. O pij catholici, Christi timentes, credite mundum prorsus in maligno esse positum, succurrat vobis verbum Christi, dicentis: Vę mundo à scandalis. audite quanto odio catholici huic mundo habentur. Primitiua eccle-

Mũdus fidelibus nõ conuiciari nõ potest.

sia, quę virtutum omnigenum obrizum fuit aurum, calumniis mundi planè fuit obnoxia, adeò vt fideles non modo vocaret cacopœos, hoc est, malos operarios, sed & pestes humani generis. Tertullianus hoc liquido ostẽdit, dicens Apolog. cap. 7. Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo ludæ, & post conuiuium incesto, quod euersores luminum, canes, leones scilicet &c. Cornelius Tacitus quæ in nos conuicia congerat, audiamus. dicit: Conuictos esse Christianos non tam incendij crimine, quam odio humani generis. Plinius religionem nostram vocat superstitionem prauam & immodicam. In Luciani pseudomante, innocentes Christi conferuntur quibuscunque nocentissimis. Verbum contra nos ibi horrendum literis commissum est: Foras pellantur Christiani. Oraculum apud Antiochiam Iouis Philij voluit, nè quis fidelium vsquam feratur. Reum capite, dixerunt, esse Christianum. Vndè etiam nata acclamatio ea, Christiani ad leonem. Vide Tertullianum de carnis resurrectione. Monet itaque Apostolus, vt æmulis illis os obturemus cum vitando malum, tum operando bonum, hoc est, honestè conuersando & bene operando. Ad conuersationem honestam pertinet custodia

legis

legis naturæ. Ad vitam Christianam atque adeò opera lucis peragenda, requiritur obseruatio legis perfectionis, Euangelicarum puta præscriptionum. Vult apostolus, vt bona conuersatione studeamus ethnicorum philosophos & omnes virtutum amatores præcellere non modò, sed & omnem phariſæorum & Iudæorum iustitiam superare conemur. Illic legem naturæ, hic legem Mosaicam non solùm præstare, sed & exornare niramur, memores præcepti Christi, qui ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plùs quàm scribarum & phariſæorum, non introibitis in regnum cælorum. Sed eccè tibi, nihil hodie videas quàm scandala, quibus etiam domestici fidei offendantur, nedùm æmuli. Primitiua ecclesia maleuolorum opprobria vicit. Voluerint noluerint, veritatis maiestate, ecclesiæ primitiuæ tanti hostes dixere: Verè homines isti, pij sunt: & Deus eorum, Deus veritatis. Vltimus finis noster sit similis eorum fato, Sap. 5. Num. 23. Quid hodie (rogo) diceretur? Noui euangelistæ sua solius fidei blateratione, Christo Iesu (si dij velint) multum adeò faciunt lucri. Fortè hæc nunc sunt tempora. Olim verò valuerunt opera bona. Diem visitationis hic intelligo, iuxta hoc quod dicitur Luc. 19. nempe de die visitationis Iudæorum, quæ ad pacem illis. Sic etiam visitauit Dominus ethnicos per euangelij sacri prædicationem. Sed ab operibus mortuis veteris Adami absistet nemo, nisi per spiritum sanctum subin visitetur. Per me etiam de extremo iudicio visitationem eam quis acceperit. Nam & tunc ethnici Christum glorioſum conſpicabuntur. Interim verò visitantur tam Iudæi quàm ethnici, cùm illuminantur & fidei lumen contemplantur. Obserua hic opera bona facere ad gloriam Dei. Qui Deum sic glorificat, ab eo itidem re ipsa glorificabitur. Sunt itaque meritoria maioris subindè gratiæ, itidem & gloriæ, sed hoc, quia per Christi meritum nobis sunt conceſſa, perque ipsum sanctum spiritum præstita. Tanta est eorum potentia, vt etiam impij (cuius rei exemplum habemus in historia Ecclesiast.) per ea citra verbi prædicationem ad fidem Christi perducantur. 1. Pet. 3. Pudeat hæreſios nouos apostolastros.

Opera bona fidelium iuſtificatoria & vitæ meritoria.

Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum:

sive regi, quasi præcellenti: sive ducibus tanquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quia sic est voluntas Dei, vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Hactenùs nos in genere exhortatus est, nunc specialim nos instruit: principio, vt magistratui nos subiiciamus: quod & apostolus Paulus nobis præscribit Roma. 13. Immò etiam ipse Seruator Matt. 17. In primitiua ecclesia fuerunt qui crederent, Christianos, ratione libertatis ecclesiasticæ, nulli principatui quicquam debere: simili errore, quò & Iudæi, quòd filij Dei essent, ethnicorum imperia grauiter tulere: quasi statim, quòd filij Dei sumus, nobis quiduis liceat: & quasi ergò panes, obsonia, & cætera quę ad vitæ pertinent vsum, sine vlla commutatione & precio vbique subripere possimus. Quia nobis inseruiunt gladij administratione, quare honor & tributum illis negetur? Sed iterùm atque iterùm videat humana potestas, nè aulicis adulatoribus aures accommodet, dicentibus: Fac omnia quæ ad manus tuas tibi incidant, quia Dominus est tecum. Audiant hic Petrum: Subiecti, ait, omni humanę creaturę. Humana creatio, humanum figmentum, puluis, vmbra, vermes sunt atque putredo. Psalmographus ait: Nolite fidere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus. Colimus eos non propter ipsos: nam quatenùs aut ethnici sunt, aut impij, indigni sunt omni honore. Sunt tamen Dei ordinatione iustitiæ ministri: ergò suscipiendi. Ex animo iubemur illis subiacere, propter conscientiam: non quatenùs homines sunt, sed inquantùm Dei ministri, Rom. 13. Dandum illis secundùm & post Deum, quod illis lex dandum sancit. Ibidem & Matt. 22. Orandum pro illis, Baruc. 2. Et pro ciuitatibus ipsorum, Hier. 29. Neque enim sine Dei prouidentia ad eminẽtem eam dignitatem sunt euecti, Dan. 7. Siue regi, tanquàm præcellenti. Per regem hic Cæsarem intelligit. Cui vtinàm omnes principes, duces, comites & consules ita deferant, vt à subditiis suis sibi volunt deferri: quod si fieret, in ecclesia minùs bellorum & cædium videremus. Væ mundo à scandalis: Principes dicuntur omnes potestate Cæsaris constituti. Sine Cæsa

Cæsari quod suum est, Euangelium dari iubet.

Potentiores viderint, vt talẽtum sibi creditum ritè dispensent.

Regis vocabulũ etiam Cæsarem complectitur.

Cæsari o-

ris calculo qui sibi aliquid dominationis vendicat, Dei constitutioni resistit, nec subsistere vnquã poterit: Quia qui gladium sibi assumit, gladio occidet. Officium Magistratus paucis perstringit, dicens, missos esse ad vindictam malenolorum, laudem verò bonorum. Sanctum officium, dignum cuius ministri cumprimis cohonestentur in hoc mundo. Paulus ferè partes eas verbis iisdem exponit, Ro. 13. Præuaricatur Magistratus, bonis grauis existens, & malis facilis. Hoc nisi frequẽter in aula fieret, haudquaq; Apostolus in epist. ad Heb. 11. cap. ipsam peccatũ appellaret. Hic Ioannes in carcere capite plectitur, hic saltat põposa filia adulteræ insignis. Zacharias filius Barachiæ inter tẽplũ & altare aulicorũ suggestionibus interimitur. Heu mihi, in hac latronũ spelũca quis tutus esse possit, etiã si Dauida pietatẽ, Salomonẽ sapientia, Ezechiam & Iosiã religione æquet? Non ergò Christiano personę æstimãdę, sed officiũ: quod si malè exęquantur, potentiùs torquebuntur. Primitiuæ ecclesiæ patres etiã ethnicis honorem suum non denegauerunt, teste Tertulliano in Apolog. cap. 30. 31. 32. Quæstio est: Num vel infidelibus vel hæreticis, aliqd cõtra Deũ aut ecclesiam mãdantibus, sit famulandũ? Resp̃ondeo: Hic Deo plùs parendũ q̃ hominibus. Cõminiscũtur hodiè reguli nouas ordinationes, Canonẽ Missæ tanq̃ canẽ soràs mittentes. Reguli canonibus omnibus magis obscœni, Ordinationes eas suas etiã sine Cæsaris calculo, vt de pontifice taceam, cõpilatas, omnibus sacerdotibus, quibus ipsi loco Dei succumbere debebant, etiam quorũ corrigias calceamentorũ soluerent (quatenùs sacerdotalis ordo prophana omnia excellit munia) indigni, obtrudunt & eas non recipientes extrudunt, in leges tã naturæ & gentiũ, q̃ Cæsarum, q̃ pontificũ peccantes. Huiusmodi vesanis humanis creaturis qui in talibus obtemperat, Christum abnegauit. Exempla fidelium in talibus se Magistratui murum opponentibus, vide in Eusebio, vbi Polycarpi martyrium prosequitur. Item apud Basilium de institutione monachorum cap. 14. Exemplum, in tali casu ne parentibus quidem obsequendum esse, vide apud Damascenum, vbi Aueniri impij regis filius, patri sibi parentum cultum obiicienti, respondit: In tali casu pa-

Omnis humanis mundi potestas est concessa.

Officium Magistratus.

Aula periculosa.

Magistratui quatenùs obsequendum.

Magistratui quando confidẽter est resistendum.

rentes etiam odio prosequendos fideli cuiuis, Luc. 14. Matt. 10. Huc etiam faciunt nota exempla Teclæ, Barbaræ, & aliorum vtriusque generis & conditionis martyrum. Didymus Alexandrinus in hunc locum ait, non oportere Christianum in talibus obedire cuiuis humanæ creaturæ, in hæc verba: Si aliquandò voluerint extra Christum nos facere aliquid, dicere vel agere præter sensum aut sanctiones ecclesiasticas &c. resistendum fortiter. Quod quàm hodie negligatur, citiùs quis ingemiscendo & illachrymando, quàm scribendo prosequatur. Sequitur: Sic est voluntas Dei, vt benefaciendo, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Sacerdos hoc catholicus faciat. Ostendat hæresin esse ecclesiæ constitutiones, aut variare temerè, aut antiquare. Titulum hunc merentur noui traditionarij: Euidens fiet amentia eorum, Nihil proficient ampliùs, Videbunt in quem confixerunt. Cæterùm catholici viderint, num quà hæreticis scandalo existant. Obseruent dupliciter homines offendi: primò ocio, dein malo opere. vtrunque est malum exemplum. Tam ergò scandalon proximo ponunt, qui bona opera facere negligunt, quàm qui mala committunt. Benefaciendo viperas omnes rumpimus. Qui humano præditus est ingenio, non potest non affici virtutum exemplo. Quòd si etiam sic aliquis pro cuiuis allatrare perrexerit homini, diabolus, hoc est, calumniator verus, habendus, draco putà, nos calumnians hic, 1. Cor. 4. accusans illic, Apoc. 12. Sequitur: Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Sensus est: In ea libertate, qua Christus vos liberauit, state, Galat. 4. Ioann. 8. Denique & ad Galat. 5. apostolus Paulus propemodùm eadem dicit: Vos in libertatem vocati estis, tantùm, ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem seruite vobis inuicem. Liberi sunt spirituales, 2. Cor. 3. sed non à Dei ministerio, neque à lege Imperatorum ab ecclesia approbata, sed à Iudaicis obseruationibus scientiam deprimentibus, & ab omni lege & ritu verbo Dei luctanti. Fœdè in traditione libertatis Christianæ erratum est: seditio agricolarum indè sine omni controuersia est nata. Potero ego hic nouis apostolastris pallium atque

Sacerdotũ est hæreticis obsistere.

Scandalõ dupliciter cõmittitur

Liberi quatenus sunt Christiani.

phaleram detrahere, ſatque quid hominum exiſtant, oſtendere: ſed hoc Deo & tempori relinquens, dico libertatem Chriſtianam eſſe, ſeruire Deo ſiue (vt Rom. 6. dicitur) iuſtitiæ, non iniuſtitiæ, ibidem. Zacharias idem dicit: De manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. Obſerua duo contraria hic apud S. Petrum, libertatem & ſeruitutem. Libertatem, non velamen malitiæ, ſeruitutem Dei. Similia vides Galat. 5.

Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Eia fratres, quàm ſuccinctè plurima complectitur Apoſtolus. Ex quatuor præmiſsis Apoſtoli præceptis, facilè quiuis ſexcenta effecerit. Quatuor ſunt, erga quæ vt nos religioſè geramus oportet: Deus, Cæſar, Eccleſia, & totum genus mortalium. Deus timendus. Timor ſiquidem Dei, initium eſt ſapientiæ, atque per hoc omnis boni. Et qui Deum timet, facit bonum, Eccleſ. 15. Cæſar monarcha, Dei miniſter omni homini ad bonum, Rom. 13. tanquàm pater honore afficiendus, Exo. 22. Eſa. 66. Roman. 13. Sub Cæſaris nomine compræhenduntur omnes qui cum poteſtate ſunt, Reges, principes, ſatrapæ, præfecti, prætores, & hoc genus reliquum. Cæſarem eum qui honore proſequitur & timet, quod bonum eſt facit: Cuique quod ſuum, tribuit: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem &c. Rom. 13. Eccleſia omnium mater præcipuè item diligenda. Ethnicus habendus, qui talem ac tantam matrem faſtidit. Sub nomine eccleſiæ, fideles omnes accipe. Domeſticos fidei vides cuique fideli precipuè commendari, Galat. 6. 1. Tim. 5. Poterit etiam fraternitas vocari eccleſia. Dilectionem fraternitatis nobis quoque committi vides 1. Pet. 2. & 3. Corporis Chriſti membra ſumus: vna itaque cùm ſimus caro, abſurdiſsimum fuerit, niſi inter nos amauerimus. Nemo enim ſuam carnem vnquàm odio habuit, Epheſ. 4. Huc pertinet Miſſa ſiue Agape, qua vnitatis eiuſdem corporis præcipuè admonemur, 1. Cor. 10. Acto. 4. Factis, non verbis, inter nos amare iubemur, Rom. 14. Ioan. 3. Totum denique genus humanum diligendum, quoniam omnis homo omni homini eſt proximus. Amore totum genus mortalium eſt proſequendum vtique propter Deum, quòd omnes ad imaginem & ad ſimilitu-

dinem Dei creati sumus, Gen. 2. Obserua quòd sub præcepto timoris Dei, etiam compræhenditur reuerentia quam sacerdotali debemus ordini. Clerus vocatur ordo sacerdotalis, quòd Dominus ipse eorũ est pars siue sors, Eccle. 45. Sacerdotes nisi vt Dei vicarios audias, nihil horum quæ iam dicta sunt præstabis. Sacerdotum est, legem Dei nobis inculcare. Angeli sunt Domini exercituum, de quibus ait Seruator: Qui vos audit, me audit. Obserua iterùm, sub præcepto cultus & dilectionis ecclesiæ, nobis etiam commendari cultum & amorem parentum, senum, viduarum, medicorum atque adeò magistrorum, tutorum, & omnium de nobis benè meritorum, Deute 5. Leuit. 19. 1. Timot. 5. Eccle. 38. Galat. 6. Vides non sufficere solam fidem. Vides fidem requirere vir tutum coronam. Vides Christianismum esse coronam omnigenum virtutum, in quarum contextum rectè dixeris hoc poetæ:

Sacerdotes præcipuo honore prosequẽdi laicis omnib⁹

Sic adeò posita, suauem miscetis odorem.

Hic odor vnguentorum, agri pleni, vestium Amicæ & Sponsę Dei, Cant. 1. & 4. Gen. 8. 27. Christi bonus odor, Ioan. 12. 2. Cor. 2. Ephes. 5. Philip. 4.

Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Iesu Domino nostro. Adhuc speciatim, immò specialiùs seruos admonet, vt dominos suos ex animo colãt & amẽt. Non statim quia ad Christum sumus conuersi, ab humanæ legis officiis liberamur. In quacunq; vocatione quis vocatus fuerit, in ea maneat, siue seruus ille sit, siue dominus, 1. Cor. 7. Obserua Apostolũ etiã seruos Christi Iesu corporis cõsortes agnoscere. In ecclesia rex, in foro seruus: illic Dei filius, hic verna miseræ mulieris natus. Omniũ cura tangit Apostolũ, quia omnibus debitor. Ioannes Baptista etiam sic omnes exhortatur. Idem facit & Paulus, qui æquè seruorum se debitorem fatetur, atque Dominorum. Attende, praxin, summam esse religionis: quòd nisi esset, non tantoperè sudarent omnes apostoli in eius commendatione. De seruorum cultu quem dominis debent, vide Ephe. 6. Col. 3. 1. Timo. 6. Tit. 2. Quòd si Apostolus hodiè tantam infidelitatem famulatus videret, quid diceret? Quadrat in nostrates hodie:

Serui etiã christo sunt incorporati.

Praxis præcipua pars nostræ religionis.

Quid Domini facient, audent cum talia fures?
Qui delicatè nutrit seruum, facit ipsum contumacem. Tanta est hodiè seruulorum proteruitas, vt hoc minus fideliter seruiant, quo clementius seruitium fortiuntur. Apostolus vult, vt etiam inclementes, dyscolos & prophanos Dominos colant. Non insolescant hic prophani. Christus hic etiam dyscolos sustulit sacerdotes, pontifices & prætores, Annam, Caipham, Pilatum & Herodem: non ergo statim probatur eorum impietas. Impij per ethnicos tandem iudicabuntur. non intelligunt quid sit æquitas, & æqualitas, doctore Paulo, quod Cicero olim didicit magistra natura? Minori molestia seruiretur hodiè vel Turcis quibusdam tyrannis. Dicat sibi fidelis seruus: Sustine & patere: Dominus respiciet. Immo etiam, si commodè potest, fiat liber. Omnia fiant in Dei timore ad decus Ecclesiæ. Atque hic est sensus huius lectionis: quam vt re ipsa in Dei timore, & ad ædificationem Ecclesiæ præstemus, faxit Deus, Amen.

Ethnici impiorum Christianorum erunt iudices.

EADEM DOMINICA A FESTO PASchatis Tertia, siue Iubilate, Euangelium, Ioan. 16.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem, &c.

INDVCTIO.

Maiorem charitatem nemo habere potest ea, qua suos Christus dilexit discipulos in finem, vt ipse ait, dilexit nos. Est mutuus amor inter fratres germanos, itidem inter parentes & filios dilectio est, sed is ignis qui vel inter fratres, vel inter parentes erga se inuicem esse potest, collatus Christi amori erga nos, similis erit stiriæ compositæ clibano ardenti. Paruulus ille grex Christi discipulorum, magnatibus synagogæ planè fuit inuisus, nulla alia causa, nisi quod Christo adhærerent. Hac item causa non adeo benè audierunt etiam apud vicinos & amicos suos: nam quod in die parasceues in propatulum venit, vulgus ad felicem parietem inflectere, hoc est, ad potentiores & fortunatiores sese applicare solet. Vndè & Christus se populo non credidit, sciens quid in eo esset. Quo magis itaque discipuli eius huic mundo contemptui habebantur, hoc Chri-

Christi amor erga suos discipulos immensus.

ſtus eos dilexit vehementius. Charitate hac permotus, pridiè eius diei quam pateretur, ſermonem benè lõgum ad ſuos habuit, quem hic noſter Euangeliſta, archigrammateus Chriſti, cap. 14. 15. & 16. fideliter conſcriptum, nobis quoquè exhibuit. Incipit, Non turbetur cor veſtrum, Finit, Confidite, quia ego vici mundum. Semicordatus quiſque & mediocriter pius quiuis, ſinè negocio totius ſermonis effectum, ex eiuſdem exordio & fine collegerit. Nihil per totum ſermonem, niſi ſummam compaſſionem & conſolationem, vides. Intermiſcet item quædam mandata, ſymbola charitatis apertiſſima. Eius loci eſt hodierni euangelij lectio: in qua ineffabili charitate ſuos ſolatur in hoc, quod illis futura prædicit, vanam nimirum mundi lætitiam, ipſorum diſcipulorum inſtantem mœſtitiam. Ipſam nunc lectionem videamus.

Parabolis quarè chriſtus præcipuè ſit vſus.

Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Sic viſum Domino: & is mos eius fuit peculiaris, vt in parabolis loqueretur. Mos is & prophetarum proprius fuit. Cauſæ certæ eius exiſtunt. Inter multas hæc præcipua eſt: Verbum Dei, tanquam res omnium ſacratiſsima, ita ſub verborum inuolucris piis debebat commendari. Repetit hoc loco, & quodammodo illuſtrat hoc, quod Mat. 20. & Luc. 18. dixit, nempe ſe Solymis crucifigendum, tertia vero die ſe reſurrecturum. Prędixerat apud Matthæum & Lucam, locum: iam tempus quoquè ipſum indicat, inſtans nimirum. Modicum, inquit, q.d. Iam hora aduenit, quod proditione à vobis abſtrahar, Iudęis tradar, Pilato & Herodi ſiſtar: deniquè peſsimè acceptus, in ✠ cruce ſubleuabor: & indè mortuus demiſſus, ſepeliar. Sed puteus non aperiet ſuper me os ſuum. Statim enim (tertia nimirum die) reſurgam: & ſic modicum, & videbitis me. Videbitis autem non amplius moriturum, ſed glorificatum corpore, omnibus malis defuncto. Porro hæc omnia oportet fieri, quia ſic oportet filium hominis in ſuam gloriam intrare. Nulla, fratres, alia eſt via ad vitam, niſi per mortem: nullum aliud iter ad gaudia, niſi per acerbam crucem. Adam ſenſuum voluptate mortem eam pœnalem in hunc mundum intulit. per diuerſum itaque iter, hoc eſt, per ſenſuum caſtigationem, per voluptatis impugna-

tionem, per disciplinam & obedientiam, illuc vndè excidimus, nobis redeundum est, Lucæ vigesimoquarto. Calicem itaque quem dedit Christo pater, vt hæc omnia nobis declararet, libens bibit, patri libens obediuit, Philipp. 2.

Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado à patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, modicum? Nescimus quid loquitur. Verbum hoc, quod de morte sua acerba, & ea turpissima, olim sinè omni parabola suis charissimis discipulis prædixerat, non intellexerant. mirum itaque non est, eos & hic non intelligere ea, quæ de morte sua parabolicè dixit. Sed vos in Christo dilecti, attendite, quanti etiam sermo non intellectus, apud apostolos fuerit. Non despondent animum, non abeunt indignabundi, quemadmodum illi supra ca. 6. qui dixerunt: Durus est sermo iste, & quis poterit eum audire? Primo perpendite diligentiam euangelistæ, quem non piguit eadem iterum atque iterum repetere. Replicationis hoc genus apostolis & euangelistis omnibus est frequentissimum. Apostolis dicit hoc fieri in commodum ecclesiæ, Philip. 3. Ignauum hodiè vulgus, nescio quo nouo spiritu, ita nasutum incipit fieri, vt euangelicam eam repetendi phrasin carpere ausit. Saltem hodiè in declamationibus lenocinia verborum quæruntur. Placet quod Lydiis modis profertur. Inuenias, qui è voce prolationis verbum Dei æstimant. Adeo imponi nobis ipsi volumus. Prædicatores egregiè moribus vulgi inseruiunt: nemo sua patria lingua, si Anathotites fuerit, se cum Hieremia prophetam agere posse arbitratur, nisi patriam linguam dediscat, & imitatitia alia quacunque nouum se illuminatum aliquem euangelistam populo venditet. Mirum quam nomina Hebraica nouis pronunciationibus mutent, etiam ineptissimi asini, qui ne Latinè quidem sunt docti. Si vulgo ignauo placent, vndè cumprimis displicere debebant. Certum est, vulgum qui fucum rei amat, re ipsa non perindè affici. Apostolos videmus rem ipsam rectè considerasse, & re ipsa ductos semper extitisse videmus. Christi sermonem etiam non intellectum, memoriter tenuerunt ad verbum. Singula

vulgi ignauia.

Restrictio verborum ornatus quærendus in cõcionibus ecclesiæ.

verba perpendunt, omni verbo oris Dei vitam ineſſe credentes. Non illis ſatis erat audiſſe: intelligere etiam voluerunt. Conueniunt ergo, inter ſe conferunt, diſquirunt, diſputant. Quid eſt, inquiunt? Quid ſibi vult enigma? Grande aliquod myſterium ſubeſſe videmus: vtinam intelligeremus. Hoc ingenuorum diſcipulorum ingenium eſt. Ignaui verbum auditum, nec ſatis intellectum, proteruis ventis (vt cum poeta loquar) tradunt deferendum in mare. Sed Deus tantum theſaurum non vult citra ænigmatôn tegumenta publicatum. Sic ſemen omne ſuis glumis, ſuis folliculis, ſcapiſque Deus recondit, vt induſtria humana tanquam precioſum donum Dei excuteretur. Sic & verbum tuum vult diligenti diſquiſitione diſcuti, vt tandem in maiori † haberetur precio. Exemplum habes Eunuchi Candaces reginæ, Acto. 8. Diligenter ille euoluit ſcripturam, etiam non intellectam. Non legit ſolum, ſed & per tot mundi climata Solymas proficiſcebatur, nulli labori neque impenſis parcens: illic ea quæ minus intellexit, vel aliqua ex parte auditurus. Chriſtus quoquè vult vt ſcripturas ſcrutemur. Et hoc Salomon non ſemel nos monet. Et ſapiens: Audiens ſapiens ſapientiam, ſapientior euadet. Qui quærit, inuenit. Sapientia ſe diligenti inquiſitione promittit. Eccle. 24. Et Eccleſiaſtes dicit capi. 10. Poſt induſtriam ſequitur ſapientia. Germanicum quoquè dictum eſt: Fragens vvirdt man vveiſe. Rogitando ſapientiores reddimur. Sunt plerique non ignaui, ſed faſtuoſi adeo, vt ea quæ neſciunt, ſe ſcire ſimulent, nè ignari videantur. In eos Satyricum hoc dictum eſt:

Turpe eſt, neſcire fateri.

Scripturæ ſenſus diligenter inquirendus.

Sunt inſuper, qui nihil eorum quæ docentur, approbant, niſi eorum opinionibus, immo etiam nequitiis, reſpondeant. Sic & olim prurientes auribus homines, dixerunt prophetis: Loquimini nobis placentia. Sed Sapiens dicit, melius eſſe à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi: quia ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti. Deniquè ſunt, qui nè audire quidem volunt, immo etiam nequeunt, Mammoni Voluptiæque deuincti penitus. Tales omnes tam abſunt à Chriſtianiſmo, quam ab auro ſcoria. Digni qui deſignentur

iuxta præscriptum apostolicum secundæ Timothæi capite tertio.

Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me? Iam tertio eadem verba repetit Euangelista. Facessant hic rhetorices præcepta. Nulla est tautologia in tota theologia, nullus solœcismus, nullus barbarismus in Christianismo. Nullus apiculus, nullum iota superfluum. Dignum verbum Dei, quod subindè nobis inculcetur. Pambus anachoreta ille, vnicam lectionem semel auditam, per omnem vitam suam mente sua volutabat sedulus. Nempe eam: Domine, pone custodiam ori meo, nè delinquam in lingua mea. Felix, cui semen hocce ita sapit. est enim, iuxta Dauida, supra mel dulce. Vnctio tali discipulo veritatem & sensum scripturę non denegabit. Discipuli Christi repetunt auditum verbum, soliciti sunt, anxij sunt. Curam eam, quæ discipulos adeo coxerat, Dominus non vidit modo, sed & suo ipsius pectore sensit. Nouit quod se iam vellent interrogare: suo ergo more interrogationem præuenit, præoccupatque. Adeo ad docendum est promptus pastor & magister optimus. Sed neque hic rem rudius planiusque solum retexuit, verum etiam adiectionem nouam, vndè modicum hoc, & iterum modicum, facilius intelligerent, subintulit, nempe eam: Amen amen dico vobis, vos flebitis, mundus autem gaudebit. Dixisset simplicius: Cràs ego in cruce occidar, & indè depositus, sepeliar: tunc sepultum, modicum non videbitis, nimirum vsque in diem tertium. In sepulcris enim conditi, humano visui sunt subtracti. Modicum erit, & iterum videbitis rediuiuum. Apparebo vobis, & multis argumentis me vobis verè resurrexisse declarabo. Maximè in Galilæa me vobis exhibebo videndum. Hoc siquidem Marci decimosexto capite, significanter promissum vides, & Lucæ vigesimoquarto, & Ioannis vigesimo. Sic videre & non videre, quanquam sibi contraria videantur, vna stare videmus. Nouit magister, qui & quantum discipulis commode traderet. Voluit exercitatissimos habere discipulos, voluit & eos consortes sui sacratissimi ca-

Verbum Dei dignũ quod subindè repetatur.

licis. Nouerat tristes, suorum dolores verè doluit. Parte aliqua eum deliniendum, non prorsus auferendum, duxit: quia hoc discipulis non commodâsset. Nam quo hic maior fuit discipulorum tristitia, hoc posteà etiam excelluit eorum lætitia, & indè nunc in cœlo splendida magis rutilat eorum gloria. Hęc omnia nouit Christus, cui etiam ipsi per contumeliam & passionem in sua ipsius gaudia fuit eundum. Moderatè itaque verbum suum desiderantibus exposuit, modestęque simul consolabatur tristes. Adde quòd in hac responsione totum ecclesiæ statum pulchrè delineauit sapientia patris. Vera Christianorum conuersatio, est inter spinas rosa, in ęstu temperies, in fletu solatium: inter cõtumeliam & bonum nomen: vt seductores, & tamen veraces. Huc facit Psal. 29. In vespere demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Esa. 54. In momento paruo dereliqui te, & in miserationibus magnis colligam te. Calix Domini plenus est vino mistus. Qui de hac mistura non bibit, aut in peccatorum suorum desperatione, aut in vanissima huius mundi gaudiorum consolatione perit. Fortè etiam non vacat mysterio, quod Euangelista verbum videndi mutauit: vt visio ea, quę à resurrectione Apostolis contigit, maioris energiæ ęstimetur. Sic & post nubila solis splendor lõge solet acceptior esse. Simili mysterio idem Euangelista in epistola canonica, 1. cap. 1. adhuc alia duo verba huius significationis, videndi nimirum posuit, vt veram visionem ab ea quæ vera non est, secernat. Sed nunc verbum hoc, quod Dominus priori verbo tanquã illustrationem adiecit, audiamus.

Ecclesiæ status delineatur.

Amèn amèn dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Omnia compassionis plenissima. Quasi dicat, Dilectissimi mei, de hoc quæritis, quod dixi: Modicum, & non videbitis me. Sed non video quare hoc verbum multis vobis exponam. Incumbens periculum satis vos erudiet. Vexatio dabit intellectũ. In schola crucis, tanquam in diatribe siue in palæstra, exercebimini. Instat hora. Cras siquidem Modicum hoc, de quo dixi, aderit. Hei mihi, ex quanta commiseratione hæc Christum dixisse credamus? Dixit: Qui vos tãgit, tangit

pupillam oculi mei. Certum itaque est, Christum omnia quæ apostolis prædixit, corde dolenti tanquam præsentia sensisse. Cras, inquit, hora vestræ dispensationis aderit, cras luctus vester incipiet: nec statim finietur: tenebit enim tantisper, donec in hoc seculo mihi seruientes, vixeritis. Planctus ille quidem, quem de mea crucifixione concipietis, per resurrectionem meam à vobis auferetur sed status vester, in quem ego vos vocaui, perpetuò erit luctuosus. Quemadmodum me perpetuam crucis personam vidistis, sæpè flentem, nunquam ridentem: sic & vos noua vita lugubris, cui non assuefacti estis, manet. Eritis huic mundo reiectamentum, ouesque occisionis eritis. In medium luporum peruenietis. Matth. 10. E synagogis vos facient, Ioan. 16. Odio habebimini omnibus propter nomen meum. Trademini in concilia. Ad reges & principes ducemini, Matth. 5. 10. In conciliabulis suis flagris vos cædent. Ibidem, & 25. Breuiter, quicunque occiderit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo, Ioan. 16. Tantis malis longè estis impares. Qui princeps vester est, Petrus ipse, quo non velit, ducetur: hac nocte ter me negabit, priusquam gallus cantet: & vos omnes aufugietis. Auspicia hæc erunt vestri luctus. Contra, quo vos plus afflicti lugebitis, hoc mundus fusius gaudebit & triumphabit. Eius quoque rei iamiam exempla videbitis. Herodes cum Pilato in meo sanguine in gratiam ridebit. Non tantum odium inter Agathallos & * Acanthylidos (quorum si sanguis vi miscetur, continuò se rursus separat, & disilit) intercedit, atque est inter Iudæos & Pilatum, quos cras videbitis amicissimos. Dicent enim Pilato: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit se tertia die resurrecturum. Ille vicissim in gratiam Iudæorum, & morti adiudicabit me crucis, & sepulcrum milite muniet meum. Exemplo istoc, quantumuis sibi tyranni & quicunque impij dissideant, in persecutione vestra fient vnanimes. Sed & hoc audite: Confundentur etiam egregiè omnes, quivos propter nomen meũ persequentur. Vos verò apud probatissimos quoscunque, vel occisi, venerabiles eritis in hoc seculo: vt interim taceam gloriam maximam, qua pater meus vos in cœlo beabit. Iterum eius exemplum

Ecclesiæ status luctuosus.

for acãthyllides*

Tyrãni cõfundẽtur.

cras & perendiè videbitis. Cras terræmotum ſentietis, tenebras ſuper vniuerſum orbem videbitis: cras findentur petræ, ſcindetur velum templi, aperientur ſepulcra: multi eorum qui in meam mortem conſenſere, his omnibus viſis & auditis, compuncto pectore è monte Caluaria domum reuertentur. Pilatus cras confundet Iudæos. Dolenter legent illi titulum meæ gloriæ. Dicent itaque: Scribe aliter, corrige titulum. Quibus ille: Quod ſcripſi, ſcripſi, reſpondebit. Confundetur & ipſe Pilatus, non ſolum per mea omnia reſponſa, nec item per Ioſephi ab Arimathia verba, ſed & per propriè vxoris nuncia. Confundetur Herodes. Confundetur & pudefiet ipſi ſatan, confitente centurione filium Dei. Perendiè maior confuſio facies Iudęorum operiet, maximus terror & metus eos inuadet, & humi proſtrauerit omnes. Cuſtodes ſiquidē timore concutientur, & velut mortui. proſtrati iacebunt, me reſurgente. Synagoga verò hoc audiens, trepidabit & in ſuam perpetuam confuſionem congregabuntur, conſilioque habito, pecuniam copioſam dabunt militibus, dicentes: Dicite diſcipulos eius nocte venisse, & furatos eum esse vobis dormientibus. Hęc erunt initia perturbationis ſynagogæ: in die verò Pentecoſtes, & deinceps in perpetuum, magis atque magis ludibrio fient vniuerſo mundo, vel hoſtibus miſerabiles. Hæc eſt mutatio dextræ excelſi In hunc ſcopon huc miſſus eſt filius Dei. Sic reuelabuntur multorum cordium cogitationes. Quod de ſynagoga dictum eſt, de toto mundo intelligi debet. Eſt enim ſynagoga, mundus ipſe factus. Filij Dei, facti ſunt filij Belial. Villam alius emit, alius iuga boum mercatus eſt, alius vxorē duxit. Vndè pro diuerſis affectibus mundus gaudebit, vobis (quos ego ex hoc mundo immundo elegi) mœſtis. Contra, vobis gaudentibus, mundus mœrebit. Gaudebitis autem vos in cruce mea, ſpiritualia, vera & æterna gaudia, mundus verò in vaniſsimis gaudiis peribit.

Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor

Graviditatis mulieris similitudines frequentes.

vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Theophylactus ostendit, parabolam hanc esse planè propheticam. Sæpissimè enim Videntes huiusmodi similitudine graviditatæ mulieris vtuntur, Psalm. 48. Esa. 13. Hiere. 6. 30. Ezech. 30. Ose. 13. Mich. 4. Dolorem enitentis mulieris esse vehementem, ex maledictione diuinæ iustitiæ (Genes. 3.) colligi potest. Parœmia omnibus, nisi humana ratione priuatis, nota est: vndè & à Domino in re ardua nobis proposita. Facessat superstitiosa verecundia. Nihil in eloquiis diuinis turpe. Humanum cor, impurum est: vndè & honestissima vocabula, pro sua immunditia, tanquam obscœna accipit. Cæterum mundo corde homini, etiam vocabula obscœna, casta & sancta existunt. quia mundis omnia munda. Verbum, omnem oculum mundissimum creauit, sed culpa coinquinauit. Vndè Adæ & Heuæ oculi culpa aperti, nihil sanctum in suo ipsorum corpore videre poterant. Vndè etiam cor purgatum, grauiditatem & partum mulierum sinè omni audiet rubore. Cruciatus enitentium mulierum exemplum habemus Rachelis, cui partus dolor vitam abstulit. Vndè & Beniamin eius soboles, *Ben Oni*, hoc est, filius doloris est dictus, Gen. 37. Sic & Iabes 1. Paral. 4. ab hoc dolore est appellatus. *ki Ialadthi be Otzeb* hoc est, quia peperi in dolore. Respiciens ad verbum Genes. 3. *Beetzeb Theldi banim*, hoc est, in dolore paries filios tuos. Contra, de gaudiis mulierum enixarum habes Genes. 4. vbi nato Cain, Heua non sinè gaudio & gratiarum actione dixit: Possedi hominem per Deum. Ibidem nato Seth, eadem dixit: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel. Sed nè in re manifesta superstitiosè laborem, vnius exempli adiectione hic contentus ero. Angelon audiamus Luc. 1. In natiuitate, ait, eius multi gaudebunt. Hanc felicitatem ne ethnici quidem ignorauerunt. Vnde est hoc:

Et pulchra faciet te prole parentem.

Et illud:

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Apostolus honestam mentionem facit parturientium, & proles suas educantium, 1. Timot. 2. & 5. Sed ad

applicationem tandem veniamus. Hora afflictionis, de qua Christus suos non semel præmonuit, aderat. Non tã discruciatur in partu mulier, quã discipuli affligebãtur percusso magistro. Percutiam, inquit, pastorem, & dispergentur oues gregis. Clausis ianuis, in maxima solennitate tristes sedebant: sed Christus rediuiuum se suis exhibuit, & continuo gaudia, æternorum initia, gaudere inceperunt.

DOMINICA POST PASCHA Tertia, Ioan. 16.

Modicum, & iam non videbitis me: &c.

¶ *Sensus literalis docet Christi passionem instare, dolorosam discipulis, Iudæis tripudij vani causam, rursus Christi virtute discipulis consolationem afferentem.*

1 *Modicum primum, passionis tempore: Modicum secundum, resurrectionis tempore.*

2 *Discipuli de morte Christi tristes, Iudæi exultabundi & præferoces.*

3 *Consolationi fuit discipulis omnibus Christi rediuiui conspectus.*

¶ Mysticus sensus atque eius distinctio

1 *Modicum primum, significat tempus tribulationis quæ omnibus piis incumbit. Modicum secundum, significat tempus consolationis quæ piis exhibetur, nè tristibus succumbant.*

2 *Ecclesia miseriis exposita designatur, mundus dulcia sectatur. Vnde etiam Ecclesia impregnatæ mulieri confertur.*

3 *Solatur Ecclesiam impregnatam eam, hoc est, bonis operibus grauidatam, cum sciat sibi spem resurrectionis, in qua præmium pro omnibus laboribus & ærumnis cuiuis fideli deferetur, in sinu esse repositam, Iob 19. Item 2. Tim. 1. idem dicit Apostolus.*

DECLARATIO.

1 *Modicum, & iam non videbitis me. Omnia sunt mundi tenui pendentia filo, Tempus breue est, 1. Cor. 7. Vapor est vita nostra, Iac. 4. vide Psal. 101. 1. Ioan. 2.*

2 *Amen amen dico vobis, quia plorabitis vos. Ecclesia lugubris refert mulierem impregnatam, Apoc. 12.*

3 *Iterum autem videbo vos, & gaudebit. Carnis resurrectio potissimum*

tissimum fiet meritorum ratione, quippe vt & corpus, quod æquè atque animal laborauit, glorificetur, testis Tertullianus. Hac spe Machabæi linguas sibi amputandas vltro exeruere, vt easdem glorioriores longè, suo tempore recipiant. Vide quale Euangelion habeant ij, qui bonis operibus sua negant merita.

¶ Sensus Moralis.

1 *Christus author vitæ & lucis, mortis victor, vitæ operum retributor.*

2 *Mundus vanissimus nihil est nisi mors, quippe in diuitiis, voluptate, potentia, luxu, libidine, crapula, & hoc genus perniciosis rebus, itidem in hypocrisi & superstitione dilabens atque disperiens.*

3 *Fugæ mundi vanitatum, contemptus hypocriseos gloriæ, eligere contemptum esse in domo Dei, magis quàm glorioſum in tabernaculis impiorum salutaria sunt. Ossa sanctorum pullulant.*

DE CALAMITATE ECCLESIAE.

OBserua præsentem parabolam de anxietate mulieris parturientis, non apostolis solùm, sed & nobis quoque, qui Christi censemur nomine, dictam esse Marc. 13. Galilæis siquidem illis sanctis, nobiscum in vno Christi corpore summa intercedit necessitudo. Apostolis, nostris patribus, dictum est: Vos plorabitis. Certè hoc & nobis, eorundem filiis, dictum sit oportet. Ratio lugendi, est sponsus à filiis nuptiarum ablatus. Christi gratioſi præsentia illa omnium iucundissima, nobis negatur: vidè quasi orphani sumus & exules, illo apud patrem illius & nostrum, apud Deum illius & nostrum, in patria existente. Anima nostra haud secùs atque ceruus desiderat ad fontes aquarum, ad ipsum Iesum anhelat. Cupimus omnes identidèm cum Apostolo (Phil. 2.) dissolui, & esse cum Christo. Interim dum in tabernaculo (vt Petrus ait) agimus, lætari non possumus. Inquilini in hoc corpore & in hoc mundo agimus, bis miseri, bis exules: patriam ergò futuram semper inquirimus. Ciuitatem & locum manentem, æquè atque ipsi patriarchæ & prophetæ, etiam æquè ac ipsi pij reges Dauid & alij (Psalm. 118. 119. 1. Cor. 4. 10. Heb. 11.) non habemus. Baptizati, per mare rubrum in desertum pœnitentiæ transmissi sumus, 1. Cor. 10. Ecclesia mater no-

Apostolis quæ dicta sunt, etiam ad nos pertinent.

Ecclesia hoc in mũdo lugubris.

stra, secundùm Esaiam, paupercula est, tempestatibus conuulsa. Nauicula † Petridos fluctibus vsque infestatur. Leo fremens, caulas Dominicas assiduè circumit. Lupi rapaces, oues infestant miseras, dracones horrendum minitantur. Palma ad viam plantata, à populo saxis prætereunte petitur. Vineam Dominicam aper de sylua singularis ferus depascere, vulpes demoliri non supersedent. Denique (vt aliquid, quod huic lectioni propriè magis alludat, adducamus) ecclesia nostra omnium mater, grauida est mulier, è partu iam laborat, idque afflictione ineffabili. Sed & draco rufus parturienti insidiatur, Apoc. 13. Hic, rogo, quæ gaudia esse possunt? Non est seruus maior domino suo, non est discipulus potior magistro, vilius est putre lignum viuo. Si Domino nostro ità illusere, si magistrũ occiderunt, si floridę arbori non pepercerunt, quid non facient discipulis & seruis? quomodò arido & putrido ligno æqui esse, & violentas ab eo manus continere poterunt? Vide de hac re Matt. 7. Ioan. 3. Gal. 4. 1. Pet. 1. 2. Psal. 21. Nos inter lupos, inter hostium turmas, inter scorpiones vitam degere, nos rosam inter spinas esse, inque valle lachrymarum detineri, vide Matt. 10. Psal. 109. Ezech. 2. Cant. 2. Psal. 83. Quam ergò securitatem nobis hic pollicebimur? quam somniabimus nobis voluptatem? Christus in hoc mundo malè audiuit: nos hic auram popularem & gloriam venabimur? Non habuit hic Christus, quo venerabile caput suum reclinaret: qua ergò fronte nos latifundia latifundiis iungere, aurum & argentum coaceruare instamus? Puer natus est nobis, cuius imperium, statim è partu, super humerum eius vsque ad montem caluariæ: nos extra hoc Christi nostri regnum, crucem puta, aliud quærimus? Neutiquàm Neutiquàm. Sed exibimus ad eum extra castra, improperium eius portaturi. Gaudeat mundus, insultet nobis, persequatur & tollat nos. Iniuriam mussitemus, patientes & constantes simus. Nos exules sumus, quaslibet ergò iniurias feramus oportet. Filij huius seculi feroces sunt, quia in suo sterquilinio existunt. Mundus ait: Tu tibi proximus esto. Vim vi repelle. Aude aliquid magni, Cyaris & carcere dignum. Christus dicit: Qui vult meus esse discipulus,

accipiat crucem suam, & sequatur me. Item: Quid commoditatis indè pertulerit homo, si vniuersum mundum lucretur, animæ suæ damnum faciens? Hic qui ex mundo est, mundum Christo præfert: contrà, qui ex Deo est, verbum Dei audit. Graue fateor lignum crucis, sed magni meriti occasio, maximæ item virtutis omnibus se complectentibus. In stabulo vbi Christus natus est, si non pigeat nos vitam degere omnem, manet nos æterna regia in cælo, de saphiro, carbunculo, crystallo, & hoc genus gemmis omnigenis ædificata, Esa. quinquagesimoquarto. Aula, inquam, è viuis gemmis & vnionibus patientiæ & bonorum operum meritoriorum nos manet, idque in cælo: vbi nox non est, vbi pro sole & luna claritas Dei radiat, Apoc. vigesimoprimo. Gaudia eius loci neque auris audiuit, neque oculus vidit, neque in cor hominis ascendit. Esa. sexagesimoquarto. 1. Cor. secundo. Non sunt condignæ passiones huius vitæ, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, Roman. 8. Momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit, 2. Cor. 2. Et apostolus Petrus 1. cap. 1. planè in hunc locum respicit. Sed non longum faciam. summa esto, Iam esse tempus lugendi, Eccle. 3. Beati qui lugent, Luc. 6. Eamus euntes & flentes, mittentes sementem, vt veniamus venientes cum exultatione, portantes manipulos nostros, Psal. 126. *Bo Iabo Berinna*, hoc est, fidelis & virtutũ factor, certò in patriam cum magno gaudio pertinget. In messe lætantur agricolæ Esa. 9. Iacob. 5. Turturis hic voce vtamur, hic cum columbis gemamus, vt illic cũ angelis cæli, Pæan Io, & alleluia cantemus. Threni siue lamentationes, captiuis eructandi. Vndè hic locus euãgelicæ lectionis habet, θρηνήσετε, plorabitis, flebitis, lugebitis, lamentabimini. Meminerimus, quare signo Thau inscripti simus, Ezc. 9. Nónne ergò, quia sedemus & lugemus super iniquitate huius seculi? Qui ita lugent, cõsolabũtur, Mat. 5. Ah quis possit adeò esse insanus, vt in hoc periculoso loco, in hoc fœdo ergastulo, in hac turpi catasta lætetur? Sed hei mihi, vndè christianis choreæ? vndè tripudia? vndè pompæ comessationum & ineptissimarum lætitiarum? O fallacem mundũ, O Ioton importunæ dulcedinis her-

Ecclesiæ per crucem ad immensa gaudia peruenien dum.

bam, quæ nos hic detinet, & patriæ immemores facit. In noſtra tempora planè quadrat, Muſica in luctu importuna locutio, Eccle. 22. Quis tam facundus eſt, qui horum temporum mala vitæ enumerare & deteſtari poſſit? Quot aſsiduè ſectas aquilonica illa archiſecta parturit? Quis tumultus, ſeditiones & bella noſtri qui dignè defleuerit? Quid ſibi volunt illæ nouæ & innumeræ exactiones? Vndè tot vſuræ ſpecies, vſque adeò tam in foro quàm in choro frequentes? Quis tandèm modus fiet pomparum & voluptatum bis Sardanapalicarum & Neronianarum? Quis non videat naturam ſuper tam horrendis malis lugere? Naturæ luctui adſcribenda cohors illa nouarum febrium, aëris crebrarum peſtilentiarum fœti, exundationes fluminum, Solis pallor, cometæ, tot grandines & tonitrua. Hic incendiariorum ſæuit furor, illic maris furit inundatio, agros & villas, immò & terras ipſas penitùs abſorbens, taceo murium & locuſtarum portentoſas copias. Ad naturę luctum pertinent tot aborſus & monſtra partuum humanorum & irrationabilium, Dicis id Prou. 17. Spiritus triſtis exiccat oſſa? Reſpondeo, phyſicè hoc dictum eſt. Euangelium dicit: Qui amat animam ſuam in hac vita, amittet eam in ęternum. Cæterùm etiam eſt luctus, qui Dei non eſt: quippe qui per deſperationem potiùs, quàm pœnitentiam, cauſatur, 2. Cor. 6. De hoc luctu neque hic agitur, ſed magis de illo, qui pœnitentiam operatur non pœnitendam. Sic Dauid luxit Pſal. 35. 50. Sic Iob, ſic Hieremias, & omnes alij ſancti. Iterùm dicis, Semper gaudete, Philip. 4? Reſpondeo: Rectè hoc, ſed ſemper in Domino. Olim phariſæi luctum ſimulabant, Matt. 6. Neque de fucato illo & perſonato luctu hic euangelica agit lectio. Verus luctus cordis, Dominum inuenit, Deutero. 4. 2. Reg. 22. Cordis luctus non ſcindit veſtimenta, ſed cor, Iohel. 2. Tale cor Dominus non reſpicit, Pſalm. 50. Tribulatio parit patientiam, patientia ſpem, ſpes non pudefacit, Rom. 5. De patientia legat ſacerdos Tertullianum. Summa: Iuſti in hoc mundo tribulationem habebunt, Pſalm. 34. Ioan. 16. 2. Timot. 3. Anguſta via ſalutis, lata perditionis, Matt. 7. Hoc ne ipſos quidem latuit ethnicos. Teſtis litera Pythagoræ, de qua Vergilius:

Triſtitia quædam diabolica eſt.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ speciem vitæ præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet sessis in vertice summo.

Huc tabula Cebetis Thebani, huc somnium referendum Herculis. Ploremus ergò coram Domino qui fecit nos, à quo nos defecimus. Callem angustum tendamus: qui quanuis sit laborioſus, beat tamen. Abstineamus & patiamur. Patiamur, vt regnemus, Rom. 8. 2. Tim. 2. Abstineamus, vt saturemur, Luc. 1. Sponsus noster abest: quæramus eum, obiiciamus nos vigilum importunitati, verbera illorum contemnamus, pallium nostrum perdamus. Epiphania sponsi nostri, iucunda planè, præ foribus est. De apparitione ea dicunt angeli: Sic rursus veniet, vt eum secedentem vidistis. Et ipse ait: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Tunc videbimus facie ad faciem, & salua erit anima nostra, 1. Ioan. 3. Tunc charissima mater nostra, effœta malorum, fœcunda erit gaudiorum. Tunc liberi cantabimus canticum nouum, Esa. 25. Apo. 21. Cantabimus autem sponso nostro, vnà cum patre & spiritusancto, vni in sancta triade Deo, cui sit par laus & gloria per æterna secula, Amen.

DOMINICA IIII. POST PASCHA, siue Cantate, Iacob. 1.

OMne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

PRAEFATIO.

IN superiori dominica, Ecclesia mater lectionem epistolæ diui Petri proposuit nobis benè operandi normam continentem. Nunc profert lectionem ex Iacobo apostolo, (quod sic S. Ambrosio & S. Augustino super Psal. 134. multisque aliis catholicis placet) operum bonorum meritum complectentem, potissimùm autem meriti boni operis originem & caput, quod Iacobus epistolæ suæ ponit exordium præsentissimo Dei spiritu: quoniam posteà grauissimis argumentis hæreticos eos, qui etiam tum epistolis Pauli perperàm tortis, dog-

Meritorii omnium caput & origo Dei gratia.

matizare inceperunt, Solam fidem saluare & iustificare &c. confutaturus apostolus Iacobus, vir sanctimonia omnium spectatissimus, ritè de religiosa vita scripsit. Tanti ponderis fuit epistola ea semper in ecclesia, vt sex epistolis canonicis præmitti digna sit habita. Aperatque singularis fera, epistolam hanc omnibus postponit, & tanquàm stramentitiam, Apostolorum scriptis quæ apponatur, indignam explodit, Vuicleffi somnia quasi certa Dei adorans oracula. Herculi suo tanta bestia interimenda veniet. nos epistolam præsentem non modò apostolicum spiritum sapere dicimus, sed & Christi atque adeò diuinum. Beati, si eam ipsa quoque vita expresserimus. Sectio esto: Primò gratiæ Dei erga nos amplitudo declaratur. Secundò admoner, ne tantam gratiam in vanum receperimus. Tertiò commoditatem verbi Dei exprimit.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Euangelicum paradoxum, cui omnia ethnicorum collata, nihil esse videbuntur. Putabant se olim ethnicorum philosophi aliquid scire, sed vnum nescierunt. Quid & qualenam hoc? Nempe quòd nescierunt se nihil scire. Qui hoc nescit, quod Iacobus noster hic recenset, nihil scit: etiam si sexcentos Aristoteles & tot Themistios scientia æquet, immò etiam superet. Quale autem hoc? Scire omne datum optimum, & omne donum perfectum, supernè expectandum esse, & non infernè, gratis dari omnia, nullum locum esse merito nostro, ad Christi gratiam præueniendam. Non ex carne & ex sanguine, sed gratia superna nobis optima dona & absoluta munera contingunt. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est. Græcum ἄνωθεν, Latinè desursum, è supernis vel supernè, fidelibus nobis sacrosanctum est vocabulum: salutaris eius itidèm nobis est cognitio. Fatemur cum Apostolo, 1. Corinthiorum tertio, nihil in nobis esse boni, quod non acceperimus. Nam quæ nos præuenit gratia, nisi nos prosequendo regat, nulli sumus. Iam hoc fatendo, damus gloriam Deo: atque hæc est nostra salus. Desursum quæ nobis veniunt charismata, adimunt

Gratia Dei præuenit nos, & eadem nos dirigit.

omnia, quæ in nobis sunt deorsum, carnis vitia: hoc est, spiritualia dona superna, extinguunt carnales affectus in nobis omnes. Nihil in carne bonum, nihil in charismatis Dei malum. Deus solus bonus est, fons bonitatis. Dona itaq; eius, & optima & perfecta non esse non possunt. Duplex hæreticus est, qui Deum mali authorē esse dicit. Hic apparet, quare noui apostolastri, Diui Iacobi huic epistolæ adeo sint iniqui. Homini arbitrij libertatem abesse, hominem ad mala fatali necessitate rapi, & hoc genus pessimas & olim damnatas hæreses excitare, certum illis est: epistolam itaque præsentem, sibi planè aduersam, non possunt non odisse. Libertatem arbitrij nos etiam Dei tribuimus gratiæ. ἄνωθεν siquidem, hoc est, è supernis, omnia bona expectamus, eò corda nostra saltem leuamus, omnia indè postulantes. ἄνω, hoc est, sursum suspiramus. τὰ ἄνω, hoc est, quæ superna seu sursum sunt, ea quærite, ait Apostolus Col. 3. Bēda hic dicit: Bonum datū est lex Mosis, si quis ea legitimè vtatur. Bona est, quia omne bonum nobis in Christo futurum demonstrauit. Donum perfectum, euangelion est, in quo salus summa omnibus consistit credentibus. Datum optimum nobis natiuitas Christi, qua venerat redimere & saluare genus humanum. Sed donum perfectum baptisma, quo iam initiata est salus nostra, quo omnibus credētibus donum sacri baptismatis consecratur, & maledictio terræ diluitur. Datum optimum mors Christi, sed donum perfectum resurrectio Christi, qua totum mundum liberauit à morte æterna. Datum optimum, quod post resurrectionem quadraginta diebus Christus conuersatus in terra cum discipulis suis, & per eam, nobis veram carnis resurrectionem, & æternæ beatitudinis præmia demonstrauit. Et post alia etiam sic ait: Donum optimum baptisma, in quo omnium percipitur remissio peccatorum. Sed donum perfectum infusio spiritus sancti, quem in baptismo suscepimus. Datum optimum conuersatio sancta in bonis operibus, quibus meretur æterna vita. Hæc ille. Viderint Luterani, vt authoritatem Bedæ eleuent. Doremata, hoc est, dona Dei gratiam important, quæ nobis citra meritum nostrum contingunt. Patrem hominem vocat Deum, quod

Epistola Iacobi quarè hæreticis sit grauis.

Doremata, i. dona, Dei gratiam important.

intellige de signis cælestibus, quæ dicuntur luminaria Genes. 1. Psalm. 135. Sunt duo præcipua luminaria sol & luna, sed quæ per vices variantur & solstitia, τροπὰν θερινὴν καὶ χειμερινὴν, hoc est, Solstitium æstiuale & hyemale. Pater vero luminum nihil horum patitur, neque etiam deliquium vllum nouit. Idem semper manet, Psalm. 101. Hebr. 1. Vera lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. Nulli obscuritati obnoxia, 1. Ioan. 1. 1. Tim. 6. Nulla, inquit, vicissitudinis obumbratio. Vbi vmbra, ibi etiam auctus & defectio. Nihil huiusmodi in Deo, qui est lux indeficiens, lux æterna. Apostolus hic astronomice loquẽs, amplitudinem diuitiarum Dei adumbrat. q. d. Omnibus dat, & dona eius non imminuuntur, quia ipse est donum & dator. Cælum & terra transeunt, Verbum Domini & veritas Domini semper manent. Non est difficilis, quia dat & non exprobrat. Bonus est, quia bonitas. Hoc ipsum quod est, non esse non potest. Seipsum negare nequit. Nullum contemnit, quia pater est totius paternitatis. Beatus qui confidit in eo.

Voluntariè enim nos genuit verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Hic Apostolus vnico exemplo summam donorum Dei complexus est. palingenesiâs, dicere vult, gratia nonne est omnium maxima, & nónne è supernis est? Palingenesia regenerationem siue renascentiam significat, eam nimirum, per quam filij Dei efficimur: Pater noster qui es in cælis, quotidiè dicendo, quidquid in nobis est cælestis seminis, vt de virtutibus ethnicorum more loquar, Deo cæli referimus acceptum: omnia charismata salutis illi adscribimus. Cæterum & ab eo corpus quoque ipsum habemus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Hic vero operatur natura. Fideles quicunque, sunt filij Dei, renati per aquam & spiritum in verbo: atque hic sola dominatur gratia, non natura. Illic caro dicimur, hic spirituales. Illa in mortem nos effundit, & quodammodo eiicit siue exponit: hæc in lucem atque adeo in vitam nos edit. Illic peccatores condemnamur, hic iustificati saluamur. Ex illa vocamur Adam siue filij hominum, ex hac dicimur & sumus filij Dei. Pater misericordiarũ ille, voluntariè nos genuit, nullo prçuentus

Palingenesia, i. regeneratio, Dei donũ est.

noſtri meriti debito, nulla item tractus egeſtate & penuria. Eſt ſibi ſufficiens, & bonorum noſtrorum non indiget: bonitatem paternam egregiè declaraturus, tanta nos gratia perfudit. O ἀπολύσιν, hoc eſt, puerperium, Hoc peperiſſe fuit. Dicis, pater ille cæleſtis quam nobis conſtituerit matrem, & quonam nos genuerit ſemine? Eccleſiam nos matrem vult agnoſcere, quippe cuius miniſterio & per quam nos vult regeneratos. In ea baptiſmus ſaltem eſt verus, tanquam beatus atque felix uterus: ſacramentorum & verbi adminiſtratio, ſunt vbera. Semen verbum eſt, nempe veritatis. Hoc item nuſquam verum & certum eſt, niſi in eccleſia, quæ eſt columna & baſis veritatis. Regenerari nos verbo, Petrus quoquè teſtatur 1. cap. 1. vbi ait: Regenerati ſumus non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem viuentis Dei, & manentis in æternum. Sermone fidei datur fides, Ro. 10. Verbum, quantum ad regenerationem, duo requirit, ſpiritum & aquam. Hæc tria vbi coëunt, renaſcentiam in homine faciunt. Verbum veritatis, inquam, vocatur Euangelion etiam Col. 1. quod in eo omnis veritas contineatur, Ephe. 4. Ioann. 1. Palingeneſiam, id eſt, Regenerationem Diuinam & eius modum audiſtis. Nunc quoque eius vſum audiamus: neque enim Palingeneſiam Apoſtolus nobis diuinam ſolum oſtendit, ſed & eius fructum declarat, dicens: Vt eſſemus initium aliquod creaturæ eius: quibus verbis maximã fidelium prærogatiuam, nempe eam, qua vltimi primi facti ſumus, exprimit. Maximi ſemper habitæ ſunt primitiæ, Exo. 22. 25. Hiere. 2. Initium hic primitias reddere poſſumus. Cæterum angelicę virtutes initium ſunt creaturarum. Horum vero initium Chriſtus, principium nimirum & cauſa cauſarum, qui propter ſemetipſum condidit vniuerſa. Vocatur ergo initium creaturarum, Coloſſ. 1. Hebr. 1. Maxima vero noſtra eſt dignitas, quod in Chriſto primogeniti quoque ſumus, hæredes nimirum Dei, ſed ex gratia. Chriſtus hæres eſt vnigenitus, & hoc natura. Stemma noſtrum, regium eſt & ſacerdotale, extincta carnis infamia. eccè noua omnia. Proximè quidem & ſecundum angelos excellenter nos creauit Deus tales, vt etiam immortales permanſiſſemus, niſi præceptum eius de fatali

Eccleſia mater, alueus baptiſmus, vbera doctrina & ſacramenta, ſemen verbum Dei.

Verbum regenerationis duo requirit.

Regenerationis fructus præcipuus eſt, quod facit nos initiũ creaturæ Dei.

malo essemus præuaricati. Iam qui nostra culpa in tantum mortis, corporis puta & animæ, exitium incidimus, regenerationis sacramento ab ipso, quantumquantum est, liberamur: nam & in resurrectione carnis similes erimus angelis Mat.22.Marc.22.Omnia, inquam hęc nobis ex regeneratione per verbum, spiritum & aquam contingunt. Hoc siquidem dicitur regenerari, Ioann.3.1. Ioan.3.4.5.

Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. Optimus ordo: Primò, de bonis Dei donis. Dein, de regenerationis sacramento, omnium eorundem capite. Tertiò, hoc puta loco, subdit ethicon catholicum. Apostoli noui omnia opera, tum bona tum mala, paria habent: nec hoc mirum, quoniam solam fidem saluare dicunt. Contra, veteres Apostoli etiam minima vitia humanæ prauitatis, præcipuo studio conati sunt corrigere. Parui momenti res apparet esse, loqui & audire: sed & veritas ait, nos de omni verbo ocioso rationem reddere oportere. Sapiens quoquè vult, vt aures obsepiamus aduersus pestilentes orationes. Quod Apostolus hic dicit, velox ad audiendum: non vult vt delatoribus & hæreticis statim aures arrectas adhibeamus: sed apostolica modestia eos, qui etiam tum vento superbiæ tumidi, hæresin solius fidei iustificationis proferebant, denotat atque taxat, dicens satius illis esse, audire siue discere, quam audiri siue docere. Hic iterum vides, quarè epistola præsens ingrata adeo sit hęreticis, qui inconsideratè quiduis effundere, summam arbitrantur esse religionem. Tot clamosi stętores, tot scriptores insani hodiè non essent, nisi pręscriptum pręsens, stramentitium putarent. Sed iuxta prouerbium, Non est eiusdem & multa & opportuna loqui. Lingua facile vt est membrum, ita & eius lapsus est in procliui. Extat ergo prouerbium: Lingua, quo vadis? Ethnicus item ethices doctor ait:

Audire tutius est quam dicere, sed nō omnes audiendi.

Epistola Iacobi ingrata quarè hæreticis.

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Probatur Pythagoræ disciplina. Cleobuli aureum planè est eulogium. dixit: Audiendi magis quam loquendi studiosum esse oportet. Zeno quoque dicere est solitus,

Naturam homini duas aures & os vnicum dediſſe, vt me minerit multa audire & pauca loqui, ſapientis eſſe hominis. Et Aulus Gellius maximis euehit laudibus virum paucorum verborum. Garruli etiam ſi non noceant, ſunt tamen vani, ſimiles ſellario ſtrepitui Epiri apud Dodonam, Dem beckengeklenge. Vitium non garrulitatis ſolum, ſed & ſacrilegæ hæreſios, ſchiſmatôn incitabuli atque fomenti, Apoſtolus hic noſter infra etiam cap. 3. latiori campo condemnat.

Hic confutationi illi ſaltem præludit, dicens: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum. Idem vides etiam contendere ex nobis Sapientem Prou. 1. vbi ait: Audiens ſapiens ſapientior erit. Auguſtini quoquè præclarum extat dictum: Tutius auditur quam prædicatur. Ambroſius item ait 1. offi. 3. Quid attinet, hominem feſtinare periculis ſeſe onerare loquendo, cum tutus eſſe poſsit tacendo? Ibidem item dicit: Multos legi, plurimos animaduerti qui loquendo præuaricati ſunt: qui tacendo peccauerit, noui neminem. Ideoque tacere noſſe, quam loqui, difficilius eſt. Alludit poeticum hoc: Loqui ignorabit, qui tacere neſcit. Hoc ſi ſibi † lingulaci apoſtolaſtri noſtrates haberent perſuaſum, haudquaquam committerent, vt ſibi reſorbendum aliquid timerè euomerent: voces per iugulum redituras retinerent. Qui vulgo loquaces ſunt, minus opum habent & plus inuidiæ, vt poëta ait. idem etiam accidit hæreticis, qui nihil omnino efficiunt, niſi quod ſibi & cæleſtium & terreſtrium odium conflant. Philautia, eſt omnis hæreſis origo. Philautiæ germana eſt æmulatio. Semper enim apud ſuperbos ſunt iurgia. Tanto itaque & tali malo Apoſtolus hic quoquè occurrit, dicens: Tardus ad iram. Hæreſis vt per æmulationem agnoſcitur, ſic & catholicam profeſsionem modeſtia deprehendas. Qui humilitatem Chriſti ſtudet æmulari, magis iudicari quam iudicare gaudebit. Nolite, ait, iudicare. Citra peccatum, nemo ſibi alios iudicandi cenſuram vſurpauerit. Aemulatio peccati, nunquam erit immunis. Hoc eſt quod ait: Ira viri, Dei iuſtitiam non operatur. Hactenus de garrulitate hæreticorum ſcribacium & clamoſorum: nunc de iuſtitia Dei, quæ etiam

Hæreſis ſuipſius amore vexatur, vnde & æmula eſt.

Aemulus hoc eſt, iracundus, iniquus eſt omnis.

in operibus fidelium relucet, dicemus. Dauid non semel iustitiam hoc nobili epitheto decorat, nempe Psalm. 39. & 70. Idem & Esa. 5. Idem ferè idiotismus est dicere, Iustitia Dei siue religio Christiana. Hac qui præditus est, aut non irascitur, aut certè in cubili suo compungitur, neque solem patitur occidere super suam iram, Ephes. 5. Hæc est regula diuinoscendæ iustitiæ in nobis Dei, Matth. 5. Opponitur huic iustitia ethnicorum, etiam Iudæorum, qui affectibus illis indulgent. Rhaca fratri dicentes atque Fatue, Facere iustitiam, est Hebraica dialectos. *Esuzedaka* ait Esa. 56. Hoc est, facite iustitiam. Eodem loquendi modo vtitur Apostolus Heb. 11. 1. Ioan. 2. & 3. Huc facit quod ait, Ira viri. q. d. Cuiusque ira. Sic enim sonat Hebræis dictio *Isch*.. Vsque adeò ira est exitiosissima pestis, vt & ethnicis contra tam abominabile malum multa præclarè scribere fuerit visum operæprecium. Legat sacerdos Plutarchi librum contra iram. Libello suo nomen indidit Aorgesia, i. Sinè ira, Onzorn.

Reguladiscendæ iustitiæ Dei in nobis.

Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. In superioribus linguæ velocitatem prohibuit, iramque cohibuit: nunc mali radicem taxat. Sic & Apostolus monet, vt veterem hominem siue Adamum supprimamus, Ephe. 4. Vetus fermentum expurgemus, 1. Corinth. 5. Verbum per se efficax est, ancipitis gladij instàr & mallei, petras diffindentis. Videamus nè nos aduersus Dei gratiam obduremur: videamus nè obicem spiritus vnctioni ponamus. Bonum semen, si in malam terram ceciderit, fructum non faciet, Matth. 13. Luc. 8. Iterum pseudoapostolos taxat Scientia inflat. Græcè docti, litera epistolarum Pauli etiam contra Paulum vtebantur. Linguæ eius scientia freti, etiam ipsis insultabant apostolis. Sed quid scientia ad catholicam modestiam? Mites Christum referunt, non peritiam linguarum ostentantes, sed crucifixum Christum sedulò extollentes. Humiles & obedientes, Christum repræsentant, non docti & præfracti. Verbum euangelicum patientia, non scientia, efficax esse comprobatur. Regnum cœlorum non in verbis, sed in virtute consistit.

Scientia seu peritia linguarum inflat.

Modestia veritas catholica triumphat, non calumniis & mordacitate, 1. Pet. 2. Aduerte, opponi hic modestiam iracundiæ siue æmulationi. Verbo insitionis, etiam metaphoricè vtitur apostolus Paulus 1. Cor. 3. Ego plantaui, Apollos rigauit &c. Sumpta metaphora ex Hieremiæ cap. 1. Potest ficus etiam in vinea Domini sterilis florere, sed maledicta illa est, Luc. 13. Verbum Dei potest saluare, sed non, nisi fructus edat in patientia. Per Euangelium, ait, saluamur, 1. Corinth. 15. Quarè? Quoniam ex auditu fides, Roman. 10. Semen hoc multum profert fructus, Matth. 13. Sic plantatio euangelica est salutaris, fide non solùm, sed & bonis operibus, Marc. 16. Ioann. 5. Faxit Deus, fidei gratiam ità receperimus. Amen.

Catholica veritas modestia triũphat.

EADEM DOMINICA IIII. POST Pascha, seu Cantate, Euangelium Ioan. 16.

VAdo ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristia implevit cor vestrum, &c.

PRAEFATIO.

IN superiori lectione audistis, Christum hæc & alia multa sub suam sanctam passionem discipulis dixisse, vt eos in summa mentis conturbatione solaretur. Discipulos summè indoluisse, & mœstitia planè absorptos fuisse, multis rationibus ostendere possumus. Non contristabantur propterea, quod peculia sua Christi amore reliquerunt, alij aliis plúsve minúsve. Nec item attenderunt discrimina tanta, quæ illis institerunt vndique: sed contristabantur saltem, quod audissent se à Dominoiri derelictum, Dominum ad patrem abiturum, Dominum ad cœlum ascensurum. Amici, si qui sunt quantum tale longum amicorum vale, doloris adferat, nôrunt: nôrunt hoc filij & parentes, nôrunt hoc coniuges. Sed nulla necessitas separationis amicorum & necessariorum vnquam fuit, nec vnquam erit adeò acerba, atque discipulis Christi fuit abitus. De amicorum & necessariorum fatali distractione extat hoc poetæ:

Diuidor haud aliter, quàm si mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore visa meo est.

Discipuli de Christi morte valdè conturbati.

Quid ergo dicemus de afflictione ea, qua afficiebantur discipuli propter tanti præceptoris abitum, cuius amore non solùm reliquerant bona fortunæ rerum omnium, sed & parentes & liberos & vxores? iuxta hoc quod ecclesia de S. Ioanne euangelista, quotannis piè & solenniter cantat: Ioannes, Iesu Christo multum dilecte virgo: Tu eius amore carnalem in naui parétem reliquisti: Tu leue coniugis pectus respuisti, Messiam secutus, Vt eius pectoris sacra meruisses fluenta potare. Sic & Petrus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quis ergò non videat abitum Christi discipulis supra mortem fuisse grauem? Neque enim Christi præsentia, vulgaris familiaritatis fuit, sed diuinitatis instar illi inerat præsentissimum. Vndè & Petrus ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ habes. Tantæ iucunditatis, tantę virtutis erat Christus, vt ab omnibus mundi gaudiis abstracta omnium piorum corda, ad se attraheret. Nihil illo clementius, nihil potentius, nihil sapientius. Non erant Apostoli ex numero illorum, qui propter visionem miraculorum Christon sequebantur, vel quòd de panibus in deserto adauctis, comedissent. Sed potentia verbi veritatis, cui nemo resistere poterat, exemplar virtutis, quod carpere poterat nemo: benignitatis, quæ contempsit neminé, quę iuuit & solabatur omnes Christo discipulos suos amoris ferrumine conglutinauit. Sic & Maria peccatrix illa, in domum Simonis pharisæi confidenter intrauit, pedes Christi lauans lachrymis, osculans, & capillis extergens, vnguentoque liniens. Sic & Nicodemus vel noctu se ad Christum contulit, vt eum audiret. Erat enim, iuxta Salomonem φιλάνθρωπος, hoc est, amator hominum. Via, veritas, vita, lux, aura, & omnia. Accedit ad discipulorum tristitiam, quod Dominus dicit: Diabolus iam conatur & expetit, vt dissipet vos & ventilet ità, vt frumenta & farinula cribris & incerniculis discuti solent. Multa quæ illis obiiceret, artifex habuit. Suggerere poterat: En quare vestra reliquistis? Quomodo nunc amicis & vicinis, quos omnes vobis infestos fecistis, reconciliabimini? In gratiam Annæ, Caiphæ, & aliorum plebis optimatum, vt redibitis? Et multa hoc genus habuit Vectis, quæ bonis

viris obiiceret: adeò hoc tempus Christi mortis, discipulis omnium fuit discriminosissimum. Nihil horum sapientiam patris latuit: omnia præuidit: quarè tanta diligentia mœstos solari perrexit, & aduersus instantia futuraque in æternum discrimina omnia, salutares consolationes & præcepta tradidit. Audiamus ergò eius verba:

Vado ad eum qui me misit, &, nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Arguit ab æquitate. Aequum est, legatum per acto negocio, ad eum qui se misit, redire. Sic dicit: Vado ad eum qui me misit. Non dicit se in aliam quancunque regionem, repudiatis à se discipulis, abiturum. Anteà se ostendit à patre missum, Ioannis 6.8. Missum autem ad quærendam ouem perditam. Matth. 15. Item exequendis muniis humanæ salutis, Roman. 15. Sequitur: Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Chrysostomus ait: Petrus alibi confidenter dixit: Quo vadis? Thomas: Nescimus quo vadis, & quomodo poterimus viam scire? Philippus: Ostende nobis patrem. Nunc audientes Christum dicere: Extra synagogam facient vos, Odio habebunt vos: Qui interficiet vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo: Ego vado ad eum qui me misit &c. nihil respondent. Ità enim animo defecerant, vt nè loqui quidem possent. Amicorum esse audenter rogare, Cicero, Seneca, & alij hoc genus philosophi testantur. Vndè est illud: Nihil est iucundius, quàm habere cum quo, tanquàm tecum, loquaris. Accedit & huc illud poetæ:

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Et alterius:

Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus, abit.

Sensus itaque est: Auditis me velle & oportere abire, obedientiam debere patri, obedientiam patris velle. Vos nihil ad hæc respondetis, nihil rogatis, nulla mecum colloquia miscetis. Tacetis: sed irrequieto corde intus laboratis, vos macerantes. Animis fortes estote, contra fatalem vos necessitatem roborate. Non hac lege ipse in hunc mundum veni, vt hic semper corporali atque

adeò infirma ſeruiliq́ue pręſentia manerem. Nec item vos ea conditione elegi, vt perpetuò hic in Iudęa delitescendo resideretis, commoraremini q́ue. Ego nisi ad oues, quæ perière domus Israel missus sum: perfuncto itaque negocio mihi commisso, mihi ad patrem est redeundum. Vobis verò vniuersus mundus est peragrandus. Dei nutui neque vos, neque ego resistere debemus. Agè ergo isthac cogitatione armemini. Ferēdum, quod mutari non potest.

Quò-nos-cunque trahunt, retrahunt quoque fata, sequamur.

Huic argumento æquitatis, adhæret & argumentum necessitatis. Aequum enim quod est, necessariò hoc omnibus est amplectendum. Ex hac duplici & robustissima consolatione, attende in Christo deitatis præsentiam. Mœstitia elingues planè & muti facti erant discipuli, Magistri sui causa: nec tamen ad fati acerbitatem & execrabilitatem peruenerunt. Ipse Dominus qui omnia nouit, quiq́ue omnia coram vidit, facundus planè & consolabundus extitit, nihil eorum quæ sibi à patre fuerant commissa, oblitus. Immò etiam ea quæ in fatis erant, futura omnia videns, discipulis indicabat, vt sequitur:

Christidei tatis argumentum.

Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Consolatio ab vtilitate. Sensus est: Imprudenter plane vos mœrore conficitis, audientes me abitum maturare. Si veritatem me esse creditis: age vera ei credatis, oro. Expedit vobis, me abire. Commoditatem non parabolice, sed verbis omnium apertissimis indicabo. Nisi enim abiero paracletus ille alius, de quo vobis sæpenumerò dixi, non veniet ad vos. Hoc est: Primò, Nisi filius hominis glorificatus fuerit, & sese deuicta morte authoré vitæ declarauerit, & nisi deificata propemodum carne in cœlum conscenderit, seq́ue Deo patri pro vniuerso mundo ostenderit, eius merito spiritussanctus mitti non poterit, Ioan. 7. Secundò, Neq; item filius hominis quasi homo, in carnis infirmitate spiritumsanctū mittere debet. Postquā verò dixerit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, conuenienter paracletum

tum eum dederit, Matth. 28. Tertiò, Et à vobis auferendus præsentia corporali, vt eleuetur mens ad desiderium contemplationis spiritualis. Iam carnaliter sapitis, iam secundùm sensum carnis, cælorum regnum accipitis, Act. 1. Cogitatio hæc carnis abolenda, & spiritualis vobis ingeneranda, vt dicere possitis: Iam secundùm carnem neminem noui, 2. Corint. 5. Dixi, paracletum alium eum, vnum mecum esse, vnum esse cum patre: parem esse parenti, similem esse mei. Nunquid ille temnendus? Absit. Ergò, qui carne assumpta, officio meo perfunctus sum, satis vobis innotui. Cognouisti patrem in me, & me in patre: supereſt vt & spiritus ille operetur, vt in sanctæ Trinitatis fide saluetur totus mundus. Alioqui etiam sine gratia & operatione spiritus sancti, nec infantes neque grandes natu possunt saluari. Expedit ergò (quod dixi) vt vadam: primò quidem expedit vobis, deindè & conducibile erit vniuerso mundo. Vos, interim dum vos vocaui, patri meo per meum amorem qualemcunque proximi fuistis: nunc porrò per perfectiorem longè eritis proximi. Hic impia cogitatio ne vos pulset, cauete. Videte ne dixeritis: Scimus quid habeamus, non autem quid accepturi simus. Sic perditissimi huius seculi filij dicunt: Vtinàm hic mihi Deus in hoc seculo bona tribuat: non ad me pertinet, quid in futuro seculo de me fieri velit. Nec dixeritis, statum synagogæ potiorem reddi non posse, præsertim ea causa, cum nil periculi esse possit, vbi ego præsens existam. Credite mihi, inquam, & huiusmodi suggestionibus tentatoris locum nè concedatis. Nam quantùm spiritus carni præstat, tantùm status ecclesiæ futurus, superabit præsentis religionis conditionem. Non sermo, non miracula deerunt: immò superabundabunt. Adde quòd non in Iudæa saltem, sed & in vniuerso mundo vtrunque, tam veritatis doctrina, quàm miraculorum potentia, celebre fiet. Denique & oraculum Iohe. 2. & alia hoc genus de spiritu sancto, implenda supersunt. Eccè tibi consolationem validam ab vtili. Sic & Apostolus ait: Ego autem quod vobis conducibile est, suadeo. Attende bonum pastorem, & disce eundem esse verum Deum & hominem. Bonus pastor hic accipiat exemplum, ne quid * placeat quod malint

Ecclesia synagogæ plurimum præstat.

*proferat.

homines: sed quod res est, quodque conducit, proferat. Quod morale elicit hic Theophylactus. Pessimum omnium mortalium genus est hæreticorum: qui præcipuè quærunt, vt placeant populo, quas commenti sunt, fabulæ. Sed sequentia nunc porrò videamus.

Spiritus-sancti officium est arguere mundum.

Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Attendite charissimi Sapientiam diuinam, nihil prorsus, quod ad veram consolationem facere possit, intermittentem. Dixerat se paracletum missurum: nunc officium ipsius ostendit, vt tacitæ quæstioni respondeat. Docebit vos, inquit, omnem veritatem: suggeret vobis omnia quæ dixero vobis: & in vobis omnem veritatem, virtutemque operabitur omnem. Præcipuè verò (vt distinctè & articulatim vobiscum agam) de tribus rebus, per vos, hunc mundum arguet. Verùm illa correptio non erit per omnia similis castigationibus receptis hominum, sed permista erit eruditione & veritatis instructione. Obseruandum, verbum Græcum ἐλέγχω, significare arguo, conuinco argumentis, ostendo, deprehendo. Indè ἔλεγχος, argumentum, probatio, index, deprehensio. Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? S. Iudas in epistola: Eccè veniet Dominus cum sanctis millibus suis, vt faciat iudicium aduersus omnes ex iis qui sunt impij. Sic, inquit, iudicabit Dominus, vt culpas omnium palam faciat omnibus, & deprehendat astutos in astutia ipsorum. Sic & spiritussanctus hunc mundum iudicabit. Mundum, hoc est, homines siue genus humanum in hoc mundo agens, seque huic mundo conformans, arguet, vt sequitur:

Spiritus sanctus trifariam mundum arguit.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est. Trifaria hæc spiritus sancti correptio, nonnihil obscura esse videtur: sed attentis obscura, non est. Tria continet: peccatum, iustitiam & iudicium: hoc est, homines, Christum, & diabolum. Peccatum conuenit mortalibus, iustitia filio Dei, iudicium diabolo. Primò homines in peccato concepti, mendax omnis homo, cor hominis ad malum pronum in omni tempore. Et quare hoc? Quia exciderunt verbo, non crediderunt filio: sed magis consen-

ſerunt diabolo, qui in paradiſo dixerat, Nequaquàm. Huic Nequaquàm, credidit homo: & factus eſt nihil. Amiſit verbum, reperit peccatum. Deindè verbum, quod & lux eſt, quod & veritas, via eſt & vita, iuſtitia eſt & iuſtitiæ fons. Vndè Dauid ait Pſal. 118. Iuſtificationes tuas doce me. Item: Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me. Item, Legem pone mihi viam iuſtificationum tuarum. Item, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et Salomon prouer. 6. Mandatum lucerna eſt. Iterùm Dauid: Omnia mandata tua veritas. Breuiter, lex ſiue verbum, in vniuerſum nihil eſt aliud, quàm iuſtitiæ Dei declaratio, atque adeò veritas. Vndè iterùm idem: Bonum mihi lex oris tui. Item, Viuam, quia cuſtodiui legem tuam. Item, Pax multa diligentibus legem tuam, &c. Chriſtus verbum Dei docuit in veritate, ipſa veritas. Idem iuſtitiam Dei quam docuit, etiam exemplo illuſtrauit. Idem homo factus, iuſtitiæ author eſt effectus. Vndè ait: Veritas de terra exorta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Rectè ergò author iuſtitiæ ſuo iure, tanquàm hæres, cælum intrauit. Tertiò, Satanas, fur & latro, author eſt peccati, exterminator eſt, cuius liuore mors in hunc mundum intrauit. mors in æternum ſupplicium mittit ſontes. Rectè ergò diabolus iudicatus, idque ab ipſo verbo, cui contradixit. Iuſtitia eſt, vt Perillus taurũ pœnalem, quem aliis parauit, primus imbuat, iuxta hoc: Malum conſilium, conſultori peſsimum. Homo (vt ad primum redeam) per alium ſeductus, meritò per alium, qui id poterat, recuperatus. Poterat hoc verbum: conuenit hoc nulli, niſi veritati. Diabolus, quia nullo ſuadente peccauit, non immeritò peccato irremediabili tenetur. Cæterùm nec homo fraudulenter eſt liberatus, vt ars artem illuderet: nec item violenter eſt aſſertus, ſed iuſtitia. Cuius autem iuſtitia? Ieſu Chriſti. Quomodò hoc? Quia in Chriſto nihil dignum morte inuentum eſt, quia ea quæ non rapuit, exoluit. Adeò Chriſtus ipſa eſt iuſtitia, & iuſtitiæ author. Adeò modis omnibus iuſtè damnatus eſt diabolus, ita vt nulla illi ſpes exiſtat reliqua. Hæc omnia, ait, ſpirituſſanctus vos docebit: & porrò per vos, qui mei eſtis legati, mundo tradet vniuerſo. Hæc quia ſpiritus in vobis operabitur, opus

Verbum Dei iuſtitiæ fons & ipſa iuſtitia.

Peccati autor, diabolus.

Iuſtitiæ & iuſtitiæ autor Chriſtus.

hoc ipſi tribuo ſpiritui, vt perſonalem proprietatem, & vnius deitatis eſſentiam addiſcatis. Spiritus, ait, primò docebit vos originalem culpam, traducemque incredulitatem, excidere verbo, & non credere in Deum. Nam (Marc. 16.) qui non crediderit, condemnabitur. Nulla hic proderit honeſtatis ſpecies, nullus religionis fucus. Peccatum eſt, quidquid extra fidem fit. Non ethnicos ſolùm me ignorantes, ſed magis etiam Iudæos me abnegantes, damnationi obnoxios vobis declarabit. Iudæos ego plantaui vineam *Soreth* bis frugiferæ vitis: ſed illi dereliquerunt me authorem iuſtitiæ, abierunt in labruſcam, vndè iuxtà atque ethnici, in gehennæ lacum mittentur. ¶ Dein, Quoniam Iudæi non ſolùm me authorem vitæ, fontem iuſtitiæ, ſalutareque Dei abiecerunt, ſed & traducere & calumniari non ſuperſedebunt, etiam rediuiuum & glorioſum. Vnctio verò ipſa, Ieſum Nazarenum regem Iudæorum, me iuſtum & iuſtitię authorem, declarabit. Suggeret vobis, quos pater elegit: Chriſtus ad patrem, vndè prodiit, aſſcendit. Aſſcendit, quia deſcendit. Nemo enim poterit illuc aſſcendere, niſi qui deſcendit. Chriſtum aſſcendiſſe, homines & angeli qui ſpectaculo interfuerunt, ad hoc vocati, teſtes ſunt. Teſtes ſunt & prophetæ, qui præſagis hoc mentibus præuiderunt. Sequitur ergò, Chriſtum eſſe iuſtum. Propter iniquitatem enim Adam & Heua è paradiſo ſunt detruſi, & è cælo deturbatus iniquus ſatan: vt videatis, portam Domini nulli niſi iuſto patére, Pſalm. 117. Iuſti ſaltem Deum hæreditant, pſalm. 36. Lætabitur & iuſtus ſaltem in Domino, pſalm. 36. Iuſtum ducit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, Sap. 10. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, Apocalyp. 21. Sequitur ergò, Chriſtum eſſe iuſtum. Sed non ſolùm iuſtus eſt, filius Dei & idem filius hominis, ſibi: Plenus eſt gratia & veritate, vt de plenitudine eius accipiant omnes. Verbum caro factum, in hoc mundo fecit virtutem. Chriſtus omnem perfecit iuſtitiam, merita virtutum omnium coaceruauit. Cui verò hoc? Sibi? Non. ipſe enim Dominus, ipſe veritas & vita, ipſe lux & gloria. Vobis ergò theſaurizauit: vobis ſiquidem & puer natus, & filius eſt datus. Vndè quicunque verbum recipiunt & cu-

ſtodiunt,eius merito participant, cùm ad gratiam, tum ad gloriam. Paracletum me, incarnatum verbum mittit, quia tantum eſt eius meritum, vt quidquid me authore omittitis,facitis, & patimini, hoc eius merito ſit adſcribendum. Erit & id omne hoſtia accepta Deo,meritorium omne:quia eius merito,& me operatore, peractum eſt.Sic, inquam, ratiocinabitur ſpiritus veritatis. Nunc videamus fratres, quàm fœdè hallucinentur Iouinianiſtæ, fidei prætextu ipſam veram fidem, ſpiritus ſancti doctrinam,cumprimis impugnantes. Dicunt, opera bona Chriſti merito & ſpiritus ſancti opere perfecta,nihil ad iuſtitiam facere,nec merita in cælo habere. Si nihil faciunt ad rem,ergò & Chriſtus ocioſè hic laborauit, ergò & ocioſè in cælum aſcendit, & nequidquàm ſpiritum ſanctum miſit.Hoc cùm abſurdum ſit dicere,eccleſiæ credendum, ſpiritus ſancti dogma prædicanti,nempe hoc: Accedentem ad Deum oportere credere Deum eſſe,& eſſe remuneratorem bonorum omnium. Cæterùm quia Chriſtus author eſt bonitatis,& quia ſpiritusſanctus donum eſt & dator:non gloriandum eſſe in opere, ſed in operante & boni authore. Vndè & Luc.10.cùm Septuaginta dicerent:Domine, etiam dæmonia nobis per nomen tuum ſubiiciuntur: reſpondit, Nolite in hoc gaudere,ſed potiùs in hoc, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. ¶ Tertiò, Diabolus iudicatus eſt.Diſtrictum eſt Dei iudicium.Iuſtè condemnatus eſt:cauſa peccati ſatis diſcuſſa,& venia indigna eſt comperta. Natura atque creatione, præſtantiſsima quidem diabolus eſt creatura,nimirùm viarum Domini initium. Sed quia non ſeruauit originem ſuam, nihil illi prodeſt nitor & dignitas conditionis,Eſa.14. & in epiſtola Iudæ.Nemo ergò ſibi placeat,nemo ſeipſum ſeducat.nam ſi iuſtitia diſtricta tantæ creaturæ non parcit, impunè peccauerit nemo.Hæc eſt ſumma prædicationis euangelicæ,ſuggeſtionis ſpiritus ſancti paracleti. Primò,Incredulitatem, Dei ignorantiam,verbi negligentiam & contemptum,eſſe peccatum omni homini,Iudæo primùm, dein & Græco.Secundò, Chriſtum eſſe iuſtitiam omni verè credenti.Ritèverò credit,qui purificatus corde per fidem, per bona opera adhuc ſtudet iuſtificari. Tertiò,

Opera bona faciũt ad rationem iuſtificationis.

Euangelicæ prædicationis ſumma.

Deum reſpectum non habere perſonarum, ſed à domo ſua ſuum iudicium incipere, & ſanctificari in his qui ſibi appropinquant. Mundus nihil horum credit etiamnùm. Primò, verbum Dei floccipendit, quaſlibet illi nugas præferens. Nihil mundo adeò vile eſt, atque Dei verbum. Nulla conditio hodiè in toto mundo adeò eſt abiecta, atque declamatio verbi. Adeò incredulitas regnat in omni carne. Dein & quiſque pro ſua libidine Chriſtum diuidit. Chriſtum integrum, operantem & docentem, recipit nemo. Portam Domini alij ſuapte virtute, ſinè me perrumpere conantur: alij ocioſis & coinquinatis omnibus eam peruiam pollicentur. Denique & iniquum Deum conſtituit mundus, vtpotè qui iniquitati conniueat, & peccatum velet: non videns, quanta iuſtitia nos ſatanæ manibus verbum eripuerit, quanta diſciplina veritas nos ſanauerit, quantaque æquitate ipſum ſatanam damnauerit. Hæc omnia ſpiritus ſancti ſuggeſtione diſcunt electi. Vndè & Apoſtolum huc reſpexiſſe videmus 1. Tim. 3. vbi ait: Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu. Non inficior hic, me Chryſoſtomum & Theophylactum magis eſſe ſecutum. Si aliquid variaui, hoc temporis & inſtantium periculorum importunitas ita voluit. Salua veritate catholica, pulchrum eſt, vnam rem variè pro temporis opportunitate tradi. Nam & tempus, æquè atque vexatio, intelligentiæ parens exiſtit. S. Auguſtinus queſt. veteris & noui teſtamenti queſt. 89. de hac ſpiritus ſancti correptione ſatis clarè loquitur, in hæc verba: Videntes poteſtates aſcendere eum, confuſæ ſunt, videntes verum eſſe quod velut falſum ſpreuerant.

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Q. d. Elenchiſmum paucis abſoluo. Paracleti officiũ dixi fore, vt mundus peſsimus, per eum (immò etiam per patrem meum & me vnà cum ipſo) arguatur. Correptio ea maxima eſt, quam ego (vobis parcens) tribus articulis ſummatim ſum complexus. Noui vos turbatos, video contriſtatos. Poteram de hoc maximo negocio pluribus vobiſcum agere. Mors & principes mundi (cuius iam ingruit poteſtas) mihi inſidiantur. hora illa vel brutis elementis lugubris, adeſt, ſed nihil horum me,

quemadmodum vos, loco dimouet: vndè propter vos, quos tanta mysteria neque capere, neque retinere posse video, supersedebo à copiosiori institutione: in die siquidem pentecostes paracletus ille hoc, quod iam intermitto, submonebit. Nam & vos tunc deposito omni metu, tantorum mysteriorum magis eritis capaces. Sunt & adhuc alia, quæ ad curam pastoralem faciunt, & ad regimen ecclesiæ: quidquid id est, ille docebit omne. Obserua hic Christi deitatem, & spiritus sancti cum Christo identitatem. Hic carnis fragilitatem attende, Christi item benignitatem perspice. Disce & hic, tristitiam hominis rationem, nisi ea Dei benignitate conseruetur, penitùs absorbere. Sed breuitatis causa ad sequentia abeamus.

Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Theodidactos promittit fore apostolos per spiritum sanctum, Ioan. 6. Esaias vocat *Limude Adonai* cap. 54. Ante eius aduentum. Christi doctrina ferè erat crassa. Petrus multa audiuit de Christi passione, luctabatur tamen cruci, Matth. 16. Audiuit, non coinquinare quod per os intrat, Matth. 15. nihilominus cibos communes sumere cunctabatur, Actor. 10. Galat. 2. Apostoli audierunt Christi regnum esse spirituale, Matth. 20. Marc. 10. tamen Christo iam in cœlum ascendente, rogant de regno temporali, Actor. 1. Necessum itaque fuit, vt per alium magistrum instituerentur, atque noui homines, qui (vt Cyrillus ait) mysteriorum tantorum capaces essent, reformarentur. Pānus vetus quo plus consuitur, hoc magis dissuitur. Neque veteres vtres musti feruentis vim possunt ferre, Matt. 9. Qui hoc? Quia spiritus sanctus nondum erat datus, Ioan. 7. Postea vero simulac virtute ex alto induebantur, sinè negocio omnia didicerunt. Spiritus sanctus docuit apostolos, quale regnum Christus in hoc mundo habeat. Legis item & euangelij eos discrimen docuit, Actor. 15. Statim itaque in ecclesiæ exordio disciplinas, solennitates, & hoc genus constitutionum, ad ecclesię decorum commodarum, omne apo-

Spiritus sanctus ecclesiæ ædificationis architectus.

ſtoli eccleſiæ tradidêre, idque per ſpiritum ſanctum, 1. Cor. 7. 11. 2. Theſſ. 2. &c. Hæc omnia non poterat Chriſtus commodè apoſtolis per rationem temporis tradere: reſeruabantur ergo paracleto ſpiritui, cui reſiſtunt, quicunque apoſtolicas inſtitutiones, ſiue eas per viuam vocem, ſiue per literas eccleſia receperit, prophanant.

Hæretici ſpiritus ſancti ædificationem demoliri conantur.

Viderint hæretici, viderint ſchiſmatici, an ipſi alium ſpiritum potiorem illo, quem apoſtoli receperunt, ſeſe recepturos confidant. Si non, quarè omnia quæ ipſorum apoſtolorum ſunt, obliterant? Eccleſia etiam euangelium viua voce ab apoſtolis in gloria recepit. Communis profeſsio, catholicus ſenſus hoc ipſum extat euangelium, quod apoſtoli ſpiritus ſancti ſuggeſtione didicerunt: quarè & hoc impugnant hæretici? Eccleſia etiamnum maxima ſecuritate apoſtolicas obſeruat traditiones, ſenſumque allèrit euangelicum ſacrę traducis: neque in hoc errare poteſt, niſi fortè hæretici tantum Magiſtrum & Rectorem ſpiritum ſanctum, delirum eſſe putent. Non negamus hoc quod Apoſtolus dicit, Nos hic ex parte intelligere, primæ Corinthiorum capite decimotertio. Simpliciter ergo & caute ambulandum nobis cenſemus. Nihil verò ſimplicius, nihil cautius eſſe poterit, quam probatiſsimis authoribus accedere, & hoc quod per probatiſsimos quoſcunque vniuerſalis eccleſiæ receptum eſt patres, tenere.

Viderint hæretici, an ipſi ex perfectione ſapiant. Cæterum ſi quid ſuperſtitionis, dormitante patrefamiliâs, ſubnatum fuerit, quod ex obliquo verbo Dei pugnet, quod bonis moribus non adeo conſentaneum exiſtat: nihil vetabit, quin id eodem ſpiritu ad Lydium lapidem, hoc eſt, verbum Dei redigamus. Neque enim Chriſtus nobis ſpiritum conſuetudinis cuiuſcunque diutinę pollicitus eſt, ſed veritatis. Et Apoſtolus dicit: Rationabile ſit obſequium veſtrum. Non dicit, conſuetudini vulgari ſit conforme. Hic obſeruandũ, ſancto euangeliſtę Ioanni, vocabulum veritatis, valdè eſſe frequens. Sanè vt videamus, eccleſiam non in conſuetudines nationum varias, ſed in vnius veritatis diuinę firmamentum eſſe fundatam: accedit huc, quod & ipſe pater cæleſtis, Deus vocatur veritatis, pſalm. 30. Adde quod & Chriſtus ipſe ve-

Abuſus corrigi nihil vetat.

Eccleſia fundamẽtũ eſt ipſa veritas.

ritatem se appellat, Ioan. 14. Spiritus sanctus sibi nusquam dissidet, sui vbique similis est. Spiritus infernalis, artifex est & centiceps bestia. Vndè hæreses referunt Scyllam latrantibus & oblatrãtibus sibi canibus, quod vt in Marcionistis, in Arrianis, & in aliis hęreticis vsu veniisse proditm est memoriæ, ita & idem hodiè luce clarius videmus. Tot inter hæreticos sunt spiritus & sectæ, quot inter ipsos extant doctores. Vetat ergo Apost. nè statim cuiuis spiritui credamus. Q.d. Eum quem ecclesiæ iudicium approbauit, recipite. Vndè & ecclesiam nobis veritatis basin, cui nitamur, commendat. Sed vndè ecclesiæ veritas, ea vnica constans, & sibi per omnia secula consentiens? Ex spiritu vnicæ veritatis vnico. Spiritum eum Christus suæ ecclesiæ, non solum consolatorem, sed & rectorem, & omnigenæ veritatis doctorem, promisit. Vndè in hęreticorum conciliabulis esse non potest, quia vnitati eum Christus recepit catholicæ. In Sion habitat, psalm. 73. Hierem. 8. Iohe. 3. Hic ductor est & auspex ἡγητὴς, id est, dux viæ. De eius præsentia & ducatu, quia promisionem habet ecclesia, errare non potest. Non est similis spiritui superbiæ hæreticorum, dicentium: Labia nostra à nobis. Talis, inquam, non est columbinæ spiritus simplicitatis. Nihil enim dicet, nisi hoc quod audierit. Quæcunque audiet, loquetur. Nè ergo, ait, vobis ô charissimi mei discipuli, cogitatio mala subrepat, quasi spiritus ille promissus, aliud & alienum à doctrina mea vobis sit suggesturus. Nõ à semetipso loquetur, hoc est, nihil à doctrina mea alienum docebit. Nam & ego nihil à verbo patris, quod prophetæ & Moses protulerunt, abhorrens docui: quippe qui & ex meipso nihil sum locutus. Quasi dicat. Vna in Trinitate est natura. Vna ergo est patris & filij & spiritus sancti potestas & voluntas. Vnitas est consubstantialis inter spiritum, patrem, & me: nihil ergo tanquam nouum & alienum docere poterit. Non patri diuersus, non mihi aduersus, sed cum vtroque vnum est: nihil ergo meis verbis, tanquam nouum & alienum, addet: nihil tanquam superuacaneum detrahet. Nihil nouit pater, quod ignoret filius & spiritus sanctus, & econtrario. Quidquid ergo spiritus ille vobis suggesserit, hoc euangelium esto, hac in re

Vnitas ecclesiæ vndè.

Ecclesia errare non potest.

nihil dubitantes. Iterum obserua, quemadmodum hic dicitur, Quęcunque audiet, loquetur: sic & audiendi verbum de filio profertur, Ioannis octauo. Quæcunque, ait, audiui à patre meo, annunciaui vobis. Audire hoc, consubstantialitatem, quam Gręci homusion vocant exprimit. Cyrillus & alij veteres vsque ad Theophylactum, ex hoc loco, Apostoli verbum illucidant, primæ Corinthiorum capite secundo. Quis hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quæ sunt Dei, nemo nouit nisi spiritus Dei. Atque hæc hactenus. Sequitur: Et quæ ventura sunt, annunciabit vobis. plurima apostolis annunciata vides Actor. 2. 1. Corinthior. 12. Ephes. 14. 1. Corinthior. 14. de Agabo & aliis prophetis, vide Actor. 21. Sanctus Paulus præuidit futura, Actor. 20. Petrus fatum sibi incumbens, 2. ca. 1. Præcipuum quod hic tangitur, est quod spiritus sanctus apostolos & eorum successores, de statu ecclesiæ certiores reddidit, abusuum & superstitionum syluam, hæreticorum & schismaticorum myrmecias, antichristique denique minas illis ostendit, 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 1. Actor. 21. Apoc. ferè per totum. Præuidit etiam Apostolus schismaticos viros constitutiones apostolicas suggestione immundi spiritus abrogaturos itaque malo occurrens, dicit 2. Thessal. 2. State, & tenete constitutiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Sequitur in lectione euangelica: Ille me clarificabit: hoc est, Tunc in nomine meo prædicabitur remissio peccatorum in omnes gentes. Quantum ego me humiliaui, tantum ille me exaltabit: adeò, vt etiam crucem alioqui turpissimam, factura sit summam omnium piorum gloriam. Et hoc egregiè cernimus perfectum. Qui filius Ioseph & Samaritanus temnebatur, crux quæ omni mundo execrabilis videbatur, iam adoratur. Glorificatio ea incepit ante Christi mortem, per eius patientiæ & potentiæ facta, Ioan. 11. 13. Luculentius adhuc Ioan. 15. & 17. In die vero pentecostes per spiritum sanctum filius Dei clarificabatur, & per eundem spiritum indies clarificatur. Iterum & hoc loco præmunit suos Christus aduersus malam mali spūs suggestionem, dicens spiritū sanctū nihil noui, nihil à sua doctrina disidēs, proferre

Audire filij & spiritus sancti.

Ecclesiæ statū spiritus sanctus prædixit omnem.

Ecclesiæ disciplinæ omnes per spiritum.

posse. De meo, inquit, accipiet. Quasi dicat, Omnia mea, patris sunt & parâcleti, & è contrario: nihil ergo nouum, nihil mihi diuersum proferre poterit. De promptuario meo, qui secundum humanitatem cras passurus sum, veniet, quidquid ille vos docuerit. Tam eius suggestionem, quam meum sermonem, verbum Dei & euangelion credite. Eccè tibi hæretice: Christi est omnis disciplina & solennitas ecclesiæ. 2. Thessal. 3. Præcipimus vobis per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem quam à nobis accepit. Vide traditiones Apostolorum esse obseruandas vt Christi præcepta. Denique sanctæ Trinitatis mysterium obserua: nempe has tres personas singulas proprium quiddam habere, sed quantum ad substantiam, nisi vnum esse Deum, cui omnia sunt communia, cuius omnia opera sunt indiscreta: mitti tamen spiritum sanctum in nomine Iesu, quia Christus nobis eam gratiam peperit. Oremus Dominum Iesum, vt nobis suæ sanctæ incarnationis & passionis merito ducem & doctorem veritatis mittere dignetur: quo rectore, ecclesia ab omni schismate & hæresi vendicetur, futurorumque magis prouida reddatur, vt gloria nominis Iesu in prædicatione remissionis peccatorum nostrorum magis atque magis illustretur, in sancta Trinitatis & eiusdem indiuiduæ vnitatis gloriam & laudem, Amen.

sanctum date, christo acceptæ referendæ.

DOMINICA POST PASCHA QVARTA, Ioann. 16.

Vado ad eum qui me misit, & nemo ex, &c.

¶ Sensus literalis idem & mysticus & moralis.

1 *Sacramentum Christi Ascensionis,*

2 *Cognoscitur ex spiritus sancti missione, huic mundo aduersi.*

3 *Potissimum opus spiritus sancti, est mundum arguere, & discipulorum Christi tarditatem auferre.*

¶ Pro literali sensu.

1 *Vado ad eum qui misit me. Incarnatio verbi, natiuitas, pueritia, circumcisio, & omnia suum habent sacramentum, hoc est, singula nobis sunt facta, nobis sunt salutaria, nihil eorum temerè*

contigit &c. Certum itaque est, etiam assensionem Christi nobis esse salutarem. Qui assensionem dominicam citra sacramentum prædicat, raptum aut Enoch, aut Heliæ, aut Mosis, Christi triumpho æquat. De sacramento habes Ephes. 4. Heb. 8. 9. 13.

2 *Si autem abiero, mittam eum ad vos. Declaratur sacramentū assensionis per spiritumsancti paracleti missionem. Dexter Deo patri assidens, mittit spiritumsanctum, patrem se patri & spiritui sancto, & spiritumsanctū patrem sibi & patri declarans. Exhibuit se Deo patri pro nobis, vt ille in spiritusancto plenitudinem charismaton suorum nobis exhiberet. Spiritussanctus ante glorificationem Christi dari non potuit.*

3 *Et cum venerit ille, arguet mundum. Spiritussancti opus est, arguere & docere: Spiritui sancto attribuitur correptio, quæ ex charitate procedere debet. Corripiet me iustus in misericordia. Præstant vulnera diligentis oscula inimici. Percutiendo sanat spiritussanctus. Corripit mundum, dans electis libertatem arguendi, timore omni depulso. Docet omnem veritatem, efficiens discipulos capaces sapientiæ Dei. Nemo potest dicere, Dominus Iesu, nisi in spiritusancto.*

¶ Pro sensu mystico.

*Ecclesia mentem Christi tenet, per infusionem spiritussancti. Baptismus est sacramentum illuminationis, hoc est, ianua & aditus ad omnia Dei mysteria. Verbum quoque Dei est illuminans lux, sed neque verbum neque sacramenta extra ecclesiam sunt vera, ergo ecclesia veritatis columna, Ephe. 3. 1. Timoth. 3. Psalm. 88. Extra ecclesiam error alius alium trudit. In ecclesia, vera est laus Dei. Vide Psalm. 21. 34. 149. Observa de ecclesia Ephe. 5 Vt exhiberet eam * ἔνδοξον, id est, gloriosam. Psalm. 86. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. * δοξασει, id est, glorificabit. Prou. 17. Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres. Ille me glorificabit, vtique in Ecclesia, cuius est rector. Hæretici, teste Augustino, dicunt: Panes occulti & aquæ furtiuæ sunt dulciores, Prou. 9.*

¶ Pro morali sensu.

Arguit mundum, putà non Sodomam solum, verum etiam sorores Sodomæ, id est, germana vitia: non Aegyptum, sed & filias Oollæ & Oolibæ, Ezech. 23. Apud eundem vide de peccatis sacerdotum cap. 22. Quia in me non credunt. Credere Deum, Credere Deo, & credere in Deum, differunt. Iustitia mundi, non

defraudare: iustitia spiritussancti, sua dare. Nisi abundauerit iustitia vestra, ait, plus quàm scribarum &c. Iudicium Dei mundus non timet, facit sibi securitatem, pactum cum inferno contra flagellum inundans, Esai. 28. Summa: Qui in ecclesiæ simplicitate simpliciter ambulat, ambulat confidenter. Adhuc multa, siue, ad hæc multa habeo. Hæc verba confirmant omnes apostolicas constitutiones. Beatus, qui ea sinè abusu & offendiculo seruat.

DOMINICA V. POST PASCHA, siue Vocem iucunditatis, Iacob. 1.

Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, &c.

PRAEFATIO.

PRotulit mater ecclesia ex epistola diui Iacobi sacro sancta locum, in quo principium & originem meritorum ostendit, nempe Deum. Nunc ex eadem epistola profert locum, per quem admonemur operationis bonæ commoditatis. Hic est perpetuus tenor priscorum apostolorum doctrinę: cui vt nostratium accedat, respondeatque Euangelium, nemo non videt. Qualis doctrina, tales magistri. Qualis doctrina & magistri, tales item sunt discipuli. Ex magistrorum & discipulorum moribus, doctrinæ discerni poterit virtus. Dicunt, noui euangelij sensum, euangelij sui vulgus non adsequi. Traderent noui euangelicastri sensum verum, non solum verbis, sed & factis. Plebs magis mouetur exemplo, quàm documento. Exemplum & documẽtum nostratium censorũ sibi consentiunt. Vulgus noui euangelij spiritum concepit, & identidem iniquitatem enititur. Videamus, contra maledictum eum spiritum quid spiret epistola S. Iacobi. Sectio esse potest: Primò, exhortatio ad bona opera. Secundò, operis boni præmium, quod noui omnino reprobant: Tertiò, bona opera recensentur, nè quis de sola fide atque affectu negocium ecclesiæ æstimet.

Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quis Iudæus, quis Turca & barbarus, hæc apostoli verba non approbauerit? Nonne etiam ratio humana apostoli sentẽtiæ subscribit, verbis facta prę-

Epistolæ Iacobi ne

Satanas quidē car perpoterit

in religione? Crediderim ne satanam quidem hęc verba, veritati adeò consentanea, posse capere. Quæ, malùm ergo nouorum euangelistarum peruersitas, qui epistolam hanc stramentitiam esse blaterant? Eià proferatur lydius lapis legis & prophetarum, euangelistarum & apostolorum. Coticulę tali credatur. Non vult lex, vt saltem in lege Dei meditemur die ac nocte, sed & exęquamur, Num. 15. Idem vult & Psal. 102. Apud Ezechielem condemnantur auditores & non factores verbi, cap. 33. Christus quoque idem facit Mat. 23. Idem stultum architectum vocat, auditorem verbi & non factorem. Item perditionem talibus interminatur Mat. 5. 6. 7. Cōtrà, beatos prędicat eos, qui verbum Dei audiunt & custodiunt, Luc. 11. Apostolus quoque non vult nos auditores verbi, sed executores, Rom. 2. Vides non sufficere ad absolutam iustificationem, Solam fidem. Si enim sola fides sufficeret, scriptura haudquaquam auditui facta adnecteret. Habes lapidem heraclium. admoue aurum epistolæ præsentis, & deprehendes in Luteranismo manifestum Antichristum. Dein sententias cōsule orthodoxorum.

Epistola Iacobi potest ostēdi esse diuina

Ex bonis operib⁹ pij oēs laudē iustitiæ sūt consecuti.

Denique vt omnium simpliciſsimum argumentum tibi ostendam, consule vitas omnium sanctorum: vide an non ex operibus bonis iustitiæ commendationem sint consecuti. Tertullianus virtutes Christianorum non ità extenuat, vt hodiè noui faciunt fratres euangelici boni sodales. Socratis, Diogenis, Democriti, Pythagoræ, Phocylidis, Zenonis, Lycurgi, Aristotelis, Anaxagoræ, & aliorum nobiliſsimorum egregia facta, patrum sanctorum factis collata, dicit esse vitia, Apolog. cap. 45. Nos Christo acquiescentes, beatorum virtutes etiam synagogę disciplinis collatas, dicimus in immensum excellere, Matt. 5. Placuêre veteris Test. patres: non possunt ergo non placere etiam noui seculi operatores: Sed eheu, quibus floribus austrum, cui fonti aprum immisit hostis? Tepuit fortè nonnihil feruor religionis. Noui verò reformatores quid aliud præstiterunt, nisi quod stultos fecerunt insanos, acedioſos reddiderunt flagitioſos? Dominus Deus alios operarios vineæ suæ præficiat. Sequitur: Fallentes vosmetipſos. Sibiipsi qui imponit, culpam suam alteri adscribere non potest. Facilè inueniet

teſtem mendacem, qui mendacio oblectatur. Qui pruriunt auribus, aurium in ſeruitorem ſinè negocio inuenient. Qui vult Chriſtum ſequi, qui tangitur legis amore, de Iacobi ſententia poterit iudicare. Foras canes & venefici. Prædicantes, ventres, porcos Sardanapalicos quis ſperauerit abſtinentiæ & caſtimoniæ fore aſſertores, luxus & libidinũ extirpatores? Nè erretis fratres, 1. Cor. 6. Galat. 6. Nemo vos ſeducat, Epheſ. 5. Nihil poteſtis excuſare, maximè hic inexcuſabiles omninò eritis, vbi tam immundos canes, qui ſe ſacrorum obtrudunt iudices: & tam fœdos porcellos, eos qui margaritarum euangelij iudicium ſibi vendicant, audieritis. Serpentina hic ſapientia præditi, dicamus ranæ medicinam profitenti: Vah medica, cura teipſam. En quomodo tibi palletos.

Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic cõparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideranit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. O diuinæ ſapientię ſimile aptiſsimum. O verba aurea, ô ignitum dei eloquium. O inferni frigoris glaciem, quæ non liqueſcit huius verbi maieſtate. Quid ſimplicius, quid robuſtius dici poteſt? Non eſt in ſpeculo, ait quidam, res, quę ſpeculatur in eo. Effigiem rei, rem ipſam ſpeculum non repræſentat. Eſt quidam vſus ſpeculis, Exo. 38. Eſt & vſus ſuus auditioni, verum ſi nihil acceſſerit auditui, hoc eſt, niſi verbum auditum cuſtodieris, reque ipſa expreſſeris, auditus euanidus erit, fidesque ſola nullius erit commoditatis. Aptiſsima huic doctrinæ catholicæ conſideratio ea, qua homo effigiem ſuam in ſpeculo contuetur. Tantiſper ſe homo videt, donec in ſpeculum inſpexerit: amoto ſpeculo, imago deperiit, atque ſtatim in nihilum eſt redacta. Ad hoc verò proderit ſpeculum intueri, vt corrigat errata, & vt virtutum addiſcas pulchritudinem & præmia. Mulieres potiſsimum vtuntur ſpeculis, vt ex illis diſcant ſeſe ſuis ornare maritis. Itidem & nos ex legis ſcriptura diſcamus, Domino Deo ſponſo noſtro placere per bona opera.

Fides ſola eſt conſideratio vultus humani in ſpeculo.

Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Cohæret ſimili de ſpeculo. Non in

imagine, sed in re, Christianismi situs est neruus: hoc est, non in verbis & persuasione, sed in operis boni executione. Videte fratres, nè frustremini in imaginatione solius fidei: sed conemini vocationem vestram certiorem reddere, idque per opera bona, monitore sancto Petro.

Euāgeliō est lex perfectæ libertatis.

Incertam vocat sanctus Petrus fidem, cui desunt fructuum opera bona. Consentiunt sibi apostoli, vt rumpantur ilia apostolastris nouis. Iacobus vocat euangelion legem perfectæ libertatis, quod facit collatione legis Mosaicæ imperfectæ, Heb. 7. Gal. 2. & 5. perfectionem euangelion importat Mat. 5. Luc. 19. Vocat item legem perfectæ libertatis, quod itidem fit collatione legalis oneris atque seruitutis. Libertatē Christianam prosequitur atque paucis complectitur Apostolus Gal. 4. Huic libertati quod sit contrarium, vides 2. Pet. 2. In arbore boni & mali, seruitus est nata. Libertas ibi amissa, per spiritum Iesu Christi nobis est recuperata: quia vbi spiritus Domini, ibi libertas. De seruitute ait ecclesia: Per lignum serui, per te lignum liberi. Irenæus quoque ait lib. 5. Haud secus atque per lignum facti sumus debitores; ità per lignum quoque adepti sumus indulgentiam. Euangelica libertas non tam in operibus bonis sita est, quàm in fide, Roman. 8. Vocatur itaque etiam Euangelium lex, quemadmodum & aliæ doctrinæ vocantur præcepta & disciplinæ, quod nulla vsquam extet doctrina, cui non mista sit moralis disciplina. Vndè ait: Qui proficit in scientiā, & deficit in moribus, plus deficit quā proficit. Sinè rubore itaque possumus Euangelium vocare *Thorah Ha Masiah Chadasah*: Hoc est, nouam legem Christi. Aemule, caue corruges nasum. verba sunt euangelistæ Matthei, qui etiam Euangelium alibi vocat *Besorath*, hoc est, lætum nuncium. Apostolus Galat. 6. vocat legem Christi. Facit autem hoc authoritate Christi, Mat. 5. 6. 7. Luc. 6. Item maiestate prophetica, quæ etiam nouum testamentum vocat legem Esa. 2. Hier. 31. Mich. 4. &c. De Sion exibit lex &c. S. Iacobus iterum vocat Nomon basilicon, hoc est, regiam legē. Regia res amor est. Item, nihil timere præter Deum, regiæ est libertatis. Et reuerà lex Christi excellit omnium nomothetarum decreta. Præcipuè amorem nobis commendat Ioan. 13. & 15.

Seruitus peccati vbi nata. Libertas iustitiæ vbi recuperata

Euangelij nomēclatura.

& 15. Complectitur & omnes virtutes regias, Rom. 13. Gal. 5. Quòd verò Apostolus ait, Hic beatus erit in facto suo: mors est in olla, non verorum prophetarum, sed pseudo. Hic pseudo syllogismis agunt, hic ad sophisticen confugiunt. Nos ad Christi Iesu sententiam hunc locum referimus, & ad basin veritatis ecclesiam. Beati eritis, si hæc feceritis, ait Ioan. 13. & 5. Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. Cantillando Luterani hæc loca conantur eludere. Verba eorum sunt: Die gute vverck en geltten nicht mehr sie kunnen nicht behutten. id est, Non est locus bonorum operum in ecclesia, neque enim seruare possunt. Poetæ etiam sunt, vt audis, noui euangelistæ: sed non tales, quales Christus requirit, & quorum archiexemplum se exhibuit. Christus cœpit facere & docere. idem requirit discipulos exemplo suo post ipsum crucé baiulantes. Nec sunt tales poëtæ, quales hic Apostolus beatos esse dicit. Poëtas & poësin, pro operatore & opere ponit Apostolus.

Poeta quò factor est euangelicus, verus est poeta.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Hæretici logodædali, sapientia sua elati, itidèm hypocritæ fuco sanctimoniæ personati, popularis auræ captatores vani & euanidi, hic vnà confutantur. Contra hoc ait: Si quis videtur sibi esse threscos, hoc est, religiosus, probus, bonus, non appropinquet Deo labiis prolixè orans, cæterùm domus viduarum deuorans. Nec item iustificet seipsum, Luc. 18. O hemipharisæe, vide ne vana persuasione seducas teipsum: neque enim qui seipsum probat, probandus est, sed quem Domini commendant eloquia. Hæretici etiam veritatis doctoribus, veris apostolis, ausi fuerunt obloqui & adlatrare: mirum ergò non est, genimen viperinum hodiè carpere & ridere sanctorum monumenta patrum. Atqui horum vox Deo grata non est. Canum siquidem latratus, quas matutinas vocant, cælum non penetrat. Neutri religiosi. Tam hæresis non est threscia, hoc est, religio, quàm hypocrisis. Tam hæc est ethelothrescia, hoc est, superstitio, quàm illa. Beati pacifici, beati audientes & facientes verbum. Cæterùm quicunque es, sanctule atque dogmatistes noue, agè fac conuertere, nè pereas in tua prauitate. Cohibe linguam tuam.

Hæretici clamosi.

Hypocritæ personati.

Linguæ vitio laborant hæretici.

am à malo,& labia tua nè loquantur dolum, dicit Psal. 33. Dic cum eodem propheta: Pone Domine custodiam ori meo, nè delinquam in lingua mea. Hunc psalmum verterent Germanicè noui poëtę,& ipsum assiduè psallerent, si fortè tandèm maledicendi finem facere discant. Salomon quoque in linguæ vitij castigatione totus est. Sed breuissimis verbis hoc absolutè egit in verbis præmissis hic noster Apostolus. Ipsum porrò audiamus:

Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sęculo. Non quòd Anna prophetissa delirarit, diu noctuque in templo orando, sed quòd misericordia præcipuum sit religionis. Abeant in malam rem, qua digni sunt, noui apostolastri, qui neutrum ad beatificationem atque absolutam religionem recipiunt, pietatis summam ex fide sola æstimando. Reprobatur hic hæresis illa, fidei solius euangelizatrix. Dein etiam taxatur hypocrisis, stans in templo atque orans: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, ieiuno bis in sabbatho &c. Luc. 18. Mat. 23. Misericordiam, ait, volo, & nõ sacrificium, Hose. 6. Mat. 9.

Hæresis, solius fidei euangelizatrix, & hypocrisis damnatur.

Obserua Apostolum hic duos gradus ponere religionis, immaculatum se custodire ab huius sęculi nugis, & de viduis atque orphanis benè mereri. Hic omnia charitatis opera continentur, illic fuga sęculi docetur. Charitatis opera sunt nota. Matt. 25. catalogum eorum vides. De vanitate verò mundi hic noster Apostolus, & consobrinus suus Ioannes, multis agunt. Sub baptismum conceptis verbis fugam huius sęculi vanitatum promittimus, pompæ nimirùm & gloriæ. Tunc itidem mundo huic & eius principi bellum indicimus. Hoc solemne votum qua custodiamus cura, appáret. Diceret quis, eos huius principi mundi † aduinctos siue obæratos, contra Christum conspirauisse. Adeò quæ mundi huius sunt, cogitamus: & ea quæ Christi sunt, tanquàm stultitiam & vanitatem, immò etiam tanquàm pestilentiam, fugimus & impugnamus. Apostolus Paulus vult nos sine omni esse ruga & macula. Collega Pauli sanctus Iacobus, rugis & maculis omnigenis tollendis com

Gradus religionis duos ponit S. Iacob⁹.

modum ſtibium, dro pacem, lomentum, ſpeculum, & hoc genus mundi muliebris, profert. Faxit Deus, non ocioſè.

EADEM DOMINICA VOCEM IOcunditatis, à paſchatis feſto quinta, Euang. *Ioan. 16.*

AMen amen dico vobis: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.

PRAEFATIO.

ORatio benè longa ea, qua in & poſt nouiſsimam cœnam ſuis vale dixit diſcipulis, bona parte ad cõſolandas collapſas diſcipulorum mentes prolata eſt. Mœroris caligo cordibus illorum craſſas obduxit tenebras. Satan enim expetiuit eos, haud ſecùs atque incerniculo frumentum, diſpargere. Abitum ſuum Dominus illis ſignificauit, eumque per mortem acerbiſsimam. Ipſi verò regnum Iſraeli reſtitutum iri à Domino, priuſquàm ad patrem iret, ſperauerunt: ſed neque ad patrem tali mortis genere ſperabant iturum. Cùm itaq; omnia longè ſeciùs, atque ipſi ſibi pollicebantur, in fatis eſſe animaduerterent, planè mentis atque conſilij inopes deſtituebantur. Indigos itaque conſolatione, ſub mortem ſuam Dominus prolixiori (quod dictum eſt) ſermone ad erigendum collapſos illorum animos vſus eſt. Orationis eius, præſens lectio † partiuncula eſt. in ea triplicem conſolationem comperimus. Primò recipit eorum preces in ſuo nomine exaudiendas, quod ſanè conſolatione eſt plenum. Deindè pollicetur perfectiorem diuinarum rerum intelligentiam, eam nimirùm, qua per ſpiritum ſuum non in parabolis, ſed palàm de patre ſuo illis ſit pronunciaturus. Denique promittit illis amicitiam patris, cùm firmam, tum certam. Hortatio tanta nonnihil conſternatos mouit: factum ſiquidem eſt, vt ij quos ſupra taciturnitatis arguit, animis receptis, loqui inciperent. Sol mœſtitiæ & dolorum caliginem nonnihil pene trauit, adeò vt fidem ſuam illi, in quem credebant, iubilantes profiterentur. Verùm ſimulàc ille, in quem credebant, malè ab Anna & Caipha acciperetur, tenebræ mœrorum teterrimæ redierunt. Sed ad textum.

Amen amẽ dico vobis, ſi quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Hæc eſt prima conſolationis ſpecies, qua

Exorabilis nobis Deus pater.

illis Deum patrem exorabilem recipit. Consolatio satis iucunda: longè tamen iucundior, si eam non solum ad apostolos, sed etiam ad fideles, qui cum apostolis in eadem tribulationis naui sunt omnes, retuleris. Modum orationis hic & certitudinem exauditionis catholicus addiscat. Petitionum compendium in septem articulos congestum habes Matth. 6. Lucæ 11. Promissionem item orationis Deo patri exaudiendæ, vides Matth. 21. vbi dicit: Quidquid credentes petieritis, dabitur vobis. Promissionem eam hic repetens, iureiurando suo corroborat. Interim etiam precandi modum tradit. Amen amen dico vobis, ait: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Apud Matthæum dicit: Quidquid credentes petieritis. Confer vtrunque, & sensum mirè illustraueris. In nomine siquidem Iesu orare, est fide filij Dei orare. In nomine meo, hoc est, credendo in nomen meum, fidutia certa de merito incarnationis & passionis, de triumpho resurrectionis & gloria ascensionis, concepta. Petit in nomine Iesu, qui ex Psal. 83. dicere verè poterit: Protector noster adspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Item: Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Videat catholicus lector exegesin Hieronymi atque Hilarij. Vtinàm conturbatores & corruptores ecclesiæ noui euangelici, complicata mentis ratione, catholicos patres super hæc psalmographi loca legere dignentur, vt discrimen intercessionis beatorum, & sancti sanctorum Iesu Christi nostri redemptoris intelligentes, calumniarum suarum tàdèm modum figere possint. Non ingressus cælum Christus supplex patri, quemadmodùm hic in serui forma, sed vt glorioſus appareat pro nobis in conspectu Dei, Heb. 9. Vndè nõ dicit: Si quid petieritis patrem in nomine meo, ego vnà vobiscum patri supplicabo: sed, Ego faciam. Qui hoc in seculo Dauida seruum egit fidelem, nunc Dominus glorioſa facie apparet patri, idque nobis. Hac fide, hac fidutia S. Franciscus, quoties sacra eucharistia in tremendis mysteriis ostendebatur, dicere solitus erat:

Orationis modus.

Nominis Iesu inuocatio, quæ.

Domine Deus cælestis pater respice in hanc glorioſam Christi tui faciem, & miserere mei. Non est hæc fidutia, saltem voce sanctum nomen Iesu (quod & diabolon e-

uangeliſtæ Chriſto feciſſe teſtantur) nominare. Neque enim (quod S. Auguſtinus monet) vera nominatio nominis Ieſu, quæ per ſpiritum ſanctum fit, literis conſtat & voce, ſed ſpiritu & veritate. Fit manendo in Chriſto, Chriſtum creaturis omnibus præferendo, Chriſti merito fidendo, Chriſti Ieſu nomen ſupra omne nomen amando, atque eo vnicè fruendo. Hæc eſt illa ianua, de qua ait: Ego ſum oſtium, Ioan. 10. Via hæc, eſt veritas & ipſa vita, Ioan. 5. & 14. Hæc eſt ſcala illa ſpiritus, ſanguinis & aquæ, cui Iacob Deum vidit innitentem, & qua angelos deſcendere vidit & aſſcendere. Hac lactea, inquam, deſcendunt & aſſcendunt, aroma precum fidelium plenis acerris Deo deferentes. Hæc Chriſti apparitio (vt Cyrillus ait) orationes noſtras Deo patri ſiſtit, nobis orandi ſpiritum ingenerando. Eià pie Chriſtigena, in os ſacroſanctum Chriſti oculos animæ tuæ fige, huc aures cordis tui admoue, audi & vide verum verbum, certum verbum, ſaluberrimum verbum, virtutemque ex ore diuino procedentem. Amen amen dico vobis: Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Audiſti & vidiſti? Fac & cuſtodias. Promiſsio certa, ſed fidelibus ſaltem recepta. Qui verè credit, oret: & verè exorabit. Qui verè credit, (vt ait S. Auguſtinus) non ocioſè credit: prudens eſt, in arenam non ædificat, vndè etiam prudenter ſupplicat, in tanto ſacrificio ſapientiæ ſale vtendo, nihil orando niſi quod ad ſalutem animæ præcipuè faciat. Quot (rogo) millia, immò quot millium millia huius promiſsionis effectum ſunt experti? Et quis ab eccleſię exordio in hunc diem aliter precum ſuarum compos eſt factus? Si quis hic fruſtratur, nouerit in nomine Ieſu ſe minùs ritè poſtulare. Quòd ſi quis in nomine Ieſu iuxta prædictam formam, quantùm ad ſuperficiem verborum attinet, orat, nec ille ritè precatur, Oportet vt cor atque adeò veritas adſit. Deindè etiam videndum quid poſtules, & quare Deo ſupplices. Denique vt in nomine Ieſu maneas, & Ieſum in te manentem habeas oportet. Crux Chriſti flagitioſo ad flagitia non patrocinatur. Pſalmiſta qui dicit, Reſpice in faciem Chriſti tui: ſtatim ibidem infert, Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Oratis, ait S. Iacobus cap. 4. &

non accipitis, eò quòd malè oretis. O igitur chariſsimi, ſatagite puras & innocentes manus orantes extendere, 1. Tim. 2. Ioan. 9. fiduciam ſiquidem, 1. Ioan. 3. habemus erga Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam præcepta eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus. In vitiorum luto impœnitentem manere, & ore Deum inuocare, quid aliud eſt, quàm Deum lenonem & patronum iniquitatis reputare & ſtatuere? Prædam, vſuram, exactiones iniquas, furta omnigena rerum cùm prophanarum tum ſacrarum poſsides, rem etiam inuentam retines, vindictam proximo in te delinquenti meditaris, adulteraris, aut etiam duplici crimine coniugium, proximam ſanguinis tui inceſtando, prætexis, etiã bigamiæ facinus connubij fuco cohoneſtas, & mille hoc genus cõmittis delicta: & audes facere, cadaueroſo ſepulcro fœtidius virus ante Dei facié exhalare, manuſque plenas ſanguinum Deo obtendere? Vide quid Chriſtus tibi dicat, Matt. 6. & 18. Item quid dicat Auguſtinus in Homil. Alleluia. Adeò magni momenti reſeſt, ritè in nomine Ieſu precari: quia qui loquitur per ſpiritum ſanctũ, non dicit anathema Ieſu: ſpiritu ſancti expers, non item.

Eccleſiæ fides, ſynagogæ fidei plurimùm præſtat.

Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hactenùs, inquit, in nomine meo nihil eſtis precati. Vide quantò præniteat fides eccleſiæ fidei ſynagogæ. Abraham quidem vidit diem Ieſu, ſed non in tanta claritate. Quid enim vmbra corpore minor non exiſtat? Et quantùm (immanè) diſcrepat veritas atque res ipſa ab ænigmate? Adde quòd etiam in ſynagoga (quod in Sententiarum libro vides) maxima pars implicitè credidit, id quod patrum ipſorumque prophetarum explicita fides extitit. Non rogauerunt ergò apoſtoli in nomine Ieſu fide explicita, expreſſa, & clara, ante aduentum ſpiritu ſancti paracleti. Quare autem hoc? Quia Ieſus necdum erat glorificatus. Glorificatus, inquam, necdum erat, & ſpiritu ſanctus necdum datus. Ille, inquit, glorificabit me, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Illo magiſtro apoſtoli Chriſti tandèm didicerunt, quanto excellẽtius nomen Chriſtus

etiam præ angelis cœli hæreditaret, Heb. 1. Sensus itaque est: Non sit vobis, mei discipuli, res friuola, gerręq; nôsse me: nôsse, quam ego apud patrẽ benè audiam: nôsse mei virtutem nominis. Nomen meum tale est, cui omne fesse flectit genu, quod omnis prædicat lingua, quod ad misericordiam flectit patrem meum cælestem, quãtunuis iratum. Propter nomen meum iam contristati estis. nè festinetis, sustinete parum, & maiorem centies, immo millies & millies consolationem idem nomen meum vobis adferret. Orabitis enim patrem in nomine meo, & exorabitis: & tunc gaudium vestrum replebitur. Orabitis confidéter, precabimini puris manibus in cęlum leuatis. talem orationem in fide nominis mei respicit. Gaudium quod ex istac precum vestrarum exauditione suscipietis, non erit imperfectum, quale hoc, cum olim vobis in nomine meo dæmonia videritis subiecta. Gaudium, inquam, hoc plenum erit, spiritussancti nimirum, Rom. 14. Intellige de plenitudine quæ viatoribus conuenit. Cæterum plenitudo gaudij eius, collata ad eam, quæ est triumphantium seu patriæ, est similis vmbræ collatæ corpori. Incipit in exilio, completur in patria: sed nunquam comminuitur, nunquam terminatur. 1. Corinthior. 2. 1. Petr. 1. Matt. 25. Suprà capit. 14. bis dicitur: Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Obserua verba, attende mysteria. Hoc faciam, inquit, se hæredem, se coæqualem, se consubstãtialem patri declarans. Hoc autem submonet, vt fiduciam orandi in eius fide nobis ingeneret. Vt mediatorem vnicum ipsum esse, & non cum Iob, Mose, Samuele, Helia, aliisque hoc genus interceſſoribus, supplicem interprecatorem discamus. Item obserua, quod Apostolis dictum est, & nobis dictum esse: nos enim in eadem naui, qua Apostoli olim periclitabantur, vehimur: hoc est, in eodem mundo omnigenis discriminibus exponimur. Orẽmus ergo & nos. Christus dixit: Orate. Apostoli frequenter idem dicunt. Ecclesia cum alias, tum maximè in iugi sacrificio idem quotidiè nobis & frequentissime dicit. Audimus hoc: obaudiamus ergo atque precemur. Modum precandi iam audiuimus. Rem eam quæ postulanda est, apud alios euangelistas septem articulis commissam vides. Cum primis item (quod

Nomen Iesu nosse, non est res parui momenti.

Mediator Christus.

Apostolus monet) orandum, vt currat negocium euangelij. hoc est quod Dominus dicit, Orate vt paterfamilias messores vocare, & eos in messem copiosam eam suam mittere, dignetur. Orandum cum Dauide Psal. 79. vt Dominus vineam suam visitare, cruentos sectarum authores, apros & vulpes eius vineæ exterminatores, exterminare dignetur. Denique iterum cum Apostolo pro optimatibus ecclesię orandum. Custodes cæcos, mutos canes Optimates ecclesia hodiè sustinet. Orandum ergo, vt cum nauiculam Christi videant incipere mergi, Marc. 4. Dominumque culpæ nostræ dormientem, suscitare tandem aggrediantur. Sequitur:

Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Parœmicè se locutum dicit. Respicit forte in hoc, quod dixit se esse vitem, discipulos palmites, patrem vinitorem siue agricolam. Respicit item in similitudinem mulieris enitentis, in hoc quod dixit, Modicum, & non videbitis me, &c. Hic dicit venire horam, cum haudquaquam in huiusmodi parabolis, sed palam de patre suo sit annunciaturus. Hora hæc partim est tempus à resurrectione glorioſa vsque ad admirabilem ascensionem, in quo tempore (vt dicit Lucas Actorum primo capite) suis plurimum de regno Dei disseruit, mentesque eorum ad intelligendum scripturas aperuit, Luc. 24. Partim venit ea hora in die Pentecostes, in quo tempore & mysteria regni cælorum didicerunt omnia, & ea quæ ad regimen ecclesiæ pertinent, viderunt. Tunc musto nouo pleni, diuina mysteria propalanda eructare cœperunt: tunc disciplinas & solennitates cultus & dispensationis sacramentorum instituerunt. Summa: in hac ipsa hora theodidacti, qua mensura & qua via verbum Dei in omnes nationes mitteretur, paulatim didicerunt. Annunciabo, inquit, exprimens opera Trinitatis indiuiduæ esse communia. Sunt opera sancta Trinitatis planè communia, quia & communis gloria: propter personalem vero proprietatem, aliter docuit spiritus sanctus, aliter verbum. Verbum caro factum Christus, verus Deus & homo, voce & organis loquendi vsus, in aures discipulo-

Christus palã suis de patre annunciauit.

Trinitatis S. opera sunt communia.

rum loquens: Spiritus ſanctus vero ſuggeſsit & penitus docuit. Hoc docere, hic vocat παῤῥησίαν: hoc eſt, palam, clarè, liberè: & opponitur parabolicæ locutioni. Accipitur & παῤῥησία pro libertate admonendi, quod adulatoribus hypocritis abeſt. De hac libertate vide Act. 4. 29. Non docuerunt ſolum diſcipuli Domini liberè ſine vlla perſonarum acceptatione, ſed & ſic vixerunt, Acto. 9. 14. 18. Euangelion vocatur lex perfectæ libertatis, Iac. 2. Vixerunt itaque apoſtoli euangelicè, hoc eſt, liberè non quaſi velamen nacti malitię libertatem, 1. Pet. 2. Hęreticorum libertas, fucus eſt malitiæ, quantum ad ipſorum vitam & mores: quantum ad doctrinam pertinet, nihil eſt niſi ars blandiendi. Eos ſiquidem qui ſuis opinionibus non ſubſcribunt, identidem execrantur, etiam vbi opus non eſt, immo etiam vbi laudandi erant. Suos conſectaneos bella, cædes, latrocinia, vſuras, rapinas, exactiones, plebis expilationes, lenocinia, & huiuſmodi facinora infinita meditantes, lactant. Synagoga legem perfectæ libertatis, per legis Moſaicæ molem ritè intelligere non potuit. Spiritus ſanctus à die pętecoſtes in eam legem diſcipulos Domini plenè induxit. Atque hæc hactenus. Sequitur: In illo die in nomine meo petetis. Antè illum diem (vt auditum eſt) nomen Ieſu atque eius virtutem non agnouerunt. Vndè & in hoc nomine petere non poterant. Ignorauerunt enim, quid verè & propriè petere eſſet. Recepta vero vnctione, chariſmatisque ſacris delibuti, vna cum Chriſti nominis energia, orationis & nominis Ieſu virtutem didicerunt. Tunc in ſpiritu & virtute orare cœperunt. Spiritus, quem glorificatus Chriſtus dabat, ſuggerit quid orandum ſiet: idem & in orantibus gemitus inenarrabiles, mouet, Rom. 8.

Euāgelica libertas.

Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Si quid vnquam ad conſolandos apoſtolos valuit, certè id verbum eſt præſens. Et quem non leniat, quem non ſoletur, cum audiat ſibi Deum eſſe amiciſsimum? Amicorum omnia communia. Amicus alter idem. Veriſsimum & certiſsimum in Dei amicitia hoc

Cōſolatio quæ omnium maxima.

esse Christus monet, dicens, eos qui in amicitiam Dei recepti sunt, interceſſore opus non habere. Sic S. Luciæ ait beata Agatha: Quid petis à me soror, quod ipsa matri tuæ continuo præstare possis? Sic Christus: Dico, ait, quia non rogabo ego patrem meum pro vobis. At qui hoc? Nunquid quod abiecerit eos pater à facie sua, & nolit pro illis orari, & quale vides Hierem. 15. & Ezech. 14? Nunquid sic abiecit, vt ij sunt abiecti, quorum peccatum est ad mortem, 1. Ioann. 5? Haudquaquam. Sed propterea, quod ipsi per se rogare possint, eosque pater exaudiat. Hæc vt ritè intelligas, recole ea quæ supra diximus: nempe Christum semel atque iterum dixisse: Si quid petieritis, &c. hoc faciam. Non cessat Christus esse noster mediator & aduocatus: quia non desinit dexter esse Deo patri, cui se pro nobis exhibet glorioſum, Heb. 9. Aeternitas vitæ glorioſæ, dicitur orare. Hebræor. 7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis. Non in forma serui proſtratus humi, vt in hac vita, sed glorificato corpore viuendo. Hugo repræsentatiuè dicit hoc dictum esse ex natura humana qua pontifex est, & quam cælis intulit. Romanorum octauo. Deus est qui iustificat, quis est qui condemnat? Christus Iesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Arri, qui hunc locum intelligas, cedò: Qui interpellat pro nobis: an exemplo Mosis & Aaronis Nume. 17? Hallucinaris Arri. Non sic interpellat Dominus, atque seruus. Dic ergo catholice Lyrane, vt hunc locum accipiat eccleſia. Interpellat pro nobis apud patrem, oſtendendo latus & vulnera, vt tollatur omnis condemnationis cauſa. Benedictus Deus in sanctis suis. Salutaris veritatis hæc expoſitio. Nam & sic interpellat pro nobis, spiritus sanctus, Romanorum octauo. Non quod seruus familiaris Deo patri suggerat, sed quod nos (teste eodem Lyrano) poſtulare & ingemiſcere faciat. Neque enim conuenit, spiritum sanctum à gemitu cordis sui rugire, sed nos rugire facere à gemitu cordis noſtri. Summa: Christus quoties orare dicitur, intelligendum est quia largitur nobis esse hoc, quod per sanctum eius nomen petimus, charitate & Dei amicitia pollentes. Dicit ergo: Si quid petieritis in nomine meo,

Mediator & aduocatus Christus.

hoc faciam. Item huc facit quod legitur 1. Ioann. 2. Aduocatum habemus apud Deum, † qui ipse est propitiatio nostra. Eccè tibi Christus non est interceſſor, quemadmodum legimus fuisse ſynagogæ Hieremiam, 2. Machab. 15. Non quemadmodum Moſes, Samuel, Noe, Iob, Daniel, Hierem. 15. Ezech. 14. ſed eum qui est ipsa propitiatio, propitiator & propitiationis virtus. Mediat & rogat incarnatio, paſsio, reſurrectio, & aſcenſio gloriosa. Mediat glorioſa aſſeſsio Chriſti, qua patri dexter aſſidet. Vndè boni angeli nunc poſt illam aſſeſsionem, ab hominibus coli nolunt, Apocalypſis decimonono. Aduocatum habemus apud Deum, primæ Timothæi capite ſecundo, datorem nimirum, non rogatorem. Sic habemus apud Deum, quemadmodum Ioann. 1. dicitur: Et verbum erat apud Deum. Sic & Beda ex Auguſtino, hunc locum accipit. Qui Bedæ, Lyrano, Auguſtino, & aliis catholicis conſentiunt, Arrianorum & Vuicleffiſtarum opinionibus non ſubſcribent. Sequitur: Quia ipſe pater vos amat, qui in me credidiſtis. Vides quomodo non roget Chriſtus. Amat vos pater, ſed in me, fide mea præditos, mei amore flagrantes. Qui fide pollet & charitate, nouit quid dicatur 1. Ioann. 4. Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe prior dilexit nos. Faceſſat ergo Pelagius cum ſua ficta charitate & fide mentita. Quis enim prior dedit illi, vt retribuatur ei, Roman. 11? Quid habes quod non accepiſti, 1. Corinth. 4? Ama, ſed ex Dei munere. Si amas, dic, per quem? Si credis, cedò, quo authore? Si ſperas, ede, cuius virtute? Audiatur ſanctus Auguſtinus homilia 17. ſuper verbo Apoſtoli Epheſ. 5. Pax fratribus & charitas cum fide magna. Tu, inquit, credidiſti, ſed tu fidem tibi non dediſti. Pater, ait, amat vos: quia vos me amâſtis, & credidiſtis quia ex Deo exiui. Omnia Dei munere, meo merito omnia. Vide fidem & amorem ſibi cohærere. Ne igitur Iouinianiſtæ noui fidem ſolam charitate caſſam, iuſtificare ſomnient: Nè ſibi Deum, extra charitatem, exorabilem ſperent. Relinque munus tuum ante altare circuncellio cornute, qui cornibus tuis obuios tibi catholicos quoſcunque petis: vade, reconciliare eccleſiæ, quam peſsimè offendiſti, & ſic tãdem redi, munus tuũ oblaturus. Et vndè

Pelagiana hæreſis cõfutatur.

Iouiniana hæreſis cõfutatur.

tibi noua ea ſapientia tua Vigilanti, qui negas ſanctos intercedere pro infirmis, fide & charitate tepidis? Sequitur: Exiui à patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad patrem. Quaſi dicat: Rectè credidiſtis. Veritas vobis pręſtò eſt. Maria enim virgo, chariſſima mea mater, verum Adami ſanguinem me peperit. operatione ſpiritus ſancti verbum cóceptum æternum. Sed verbum ſic homo non eſt factus, vt hoc quod erat, deſereret: ſed vt hoc quod non erat, adſumeret: & hoc quod erat, eſſe pergeret. Nunc poſtquàm ſic è cœlo in hunc mundum veni, in mea manu eſt, illuc rurſum ſic, vt natus ſum, in cœlum redire. Verus Deus & homo, pontifex ille magnus, pro ſua reuerentia exaudibilis, vnicus Dei & hominum mediator. Hæc fides, mei profeſsio, vos gratos vnicè Deo patri efficiet. Iudæi hanc fidem auerſantes, illi non poſſunt eſſe infenſi. Cyrillus hoc loco grauiſsimè in Iudæos inuehitur, eorum rationes, quibus Chriſtum reiicere conantur, eluens. Idem facit & Tertullianus iuſto volumine. ſacerdos vtrunque legat. Nos catholici, Dei gratia credimus Petro & duobus Zobedæi filiis, Dominum in monte Thabor transformatum, & ſubgloriosum apparuiſſe. Quarè ergo non credemus ſeptuaginta diſcipulis, & cæteris vtriuſque ſexus fide dignis teſtibus, qui Chriſtum in cœlum aſcendiſſe viderunt, potiſsimum verò, cum hoc à prophetis longè antè ſic exiſtat prædictum? Ardua res eſt, credere hominem nubes polumque tranſuolitare: ſed & ardua res eſt, hominem eundem necdum glorificatum, ſuper mare ambulare. Et fides (teſte Gregorio) non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Vndè & diuus Auguſtinus ait in epiſtola ad Conſentium: Fides ſi adſit, nulla quæſtio remanebit.

Iudæorũ taxatur impietas.

Dicunt ei diſcipuli eius: Eccè nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo exiſti. Benedictus Deus. oculis mœſtitia caligantibus grata aura illuxit. Diſcipuli, qui prius abiecto animo planè obmutuerunt, nunc dolorum caligine expulſa loqui incipiunt. Eccè, inquiunt, nunc clarè loqueris. Sic perge dicere. Iſta tua nos recreant verba. Putabant boni viri, verbum

hoc probè se cepisse: sed deerat adhuc aliquid, nempe hoc, quod Christi corporalis præsentia ab eis erat auferenda. Id cum fieri inciperet, atque id Christi discipuli viderent, dolorum nox ea, quæ iam nonnihil recesserat, longe crassior rediit. Nunc scimus inquiunt, quia omnia scis, & non habes opus vt quis te interroget, qui cogitationibus, tuo more, nostris abundè respondisti. Cyrillus dicit discipulos hic potissimum expertos, Christum esse cordium perscrutatorem. Dicunt ergo discipuli: Angustia & afflictio omnis tibi est perspecta: appositè, vbi dolor est, malagma apponis. In hoc credimus te eum esse, quem te nobis iam es fassus, & quem te aliâs factis potentibus declarasti. Dei siquidem solius est, corda & cogitationes nôsse mortalium, 3. Reg. 8. Hiere. 11. Act. 1. &c. Sed (quod dixi) cõcidit illa fides discipulorũ, cum pastor percuteretur: cum sol iustitię pateretur, adeò vt etiam sol elementalis ille compatiens, suum amitteret lumen, tenebrarum potestas fidem discipulorum nonnihil obnubilauit: sed spiritussanctus eam in die pentecostes face superna redaccendit. Tunc tanto eos repleuit fulgore, vt discipuli tenebris infernalibus fierent perpetuo potentiores. Fidem eam quam apostoli hic profitentur, & quam posteà magna constantia in vniuerso mundo prædicauerunt, eam & nos eadem Dei gratia profitemur. Spiritussanctus paracletus dignetur eam ad exemplar hoc, quod in apostolis relucet, perpetuare, ad suam ipsius, atque adeò ad Sanctę Trinitatis gloriam, laudem & honorem, per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA QVINTA POST Pascha, Ioan. 16.

Amen amen dico vobis, Si quid petier. &c.

¶ Sensus literalis est protrepticus.

¶ Sectio esto.

1 *Bifariam oratur in nomine Iesu.*

2 *Spiritussanctus docet & donat vtrunque.*

¶ Elucidatio.

1 *Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem. In nomine Iesu orare, primo est ex fide indubia, decentia & verè salutaria, petere. Secundò est in Christo manere, hoc est, Christi præcepta ob-*

seruare, 1. Ioan. 2. Qui seruat verbum eius, in hoc est charitas perfecta. In hoc scimus quoniam in ipso sumus, 1. Ioan. 3. Qui manet in charitate, in Deo manet.

2 *Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis: Mysteria fidei in ecclesia simplicissimè sinè vllis figuris, vmbris & enigmatibus traduntur. Christus in fine Synagogæ in prouerbiis pro captu & dignitate loquebatur auditorum. In ecclesia omnia mysteria regni cælorum sunt manifesta, nisi in mentibus illis quas excæcauit princeps huius seculi. Venit, inquit, hora cum iã non in prouerbiis loquar. Eccè tibi loquitur Christus, si quid mysteriorũ Dei intelligis, non habes hoc per te. Dei donum est, Rom. 8. Iac. 1. Legis sacramenta omnia fuerunt vmbra & enigma: ergo & sub vmbra & enigmate patriarcharum, Abrahæ, Isaac & Iacob, & sub typo sacrificiorum sanctam Trinitatem per Christi merita inuocauerunt: nos facie retecta adoramus.*

¶ Mysterium.

1 *In ecclesia orandum. Nomen Iesu possidet ecclesia. Christiani ergò dicuntur catholici, non angelici, non euangelici, non apostolici, non Petrini neque Pauliui. In medio ecclesiæ Christus est, quemadmodum in paradisi medio lignum vitæ. Qui ab ecclesia discedit, periit. Spiritussanctus rector ecclesiæ: ergo ecclesia verè in nomine Iesu orat. Nemo enim in spiritu dicit anathema Iesu. Extra ecclesiam quicquid dicitur, anathema est. Extra ecclesiam est, qui communem sensum spiritussancti donum non tenet. Hostis, qui sensum eum impugnat.*

¶ Mysterium aliud & morale.

1 *In lege orabatur quidem, sed nõ ad plenum gaudium, quia nihil ad perfectionem adduxit lex. Iustitia scribarum quantulacunque?*

2 *In ecclesia oratur pro vero gaudio conscientiæ bonæ, boni facti & mali omissi. Merito suo bonum nullum defraudabitur, quia Christus ascendit. Exiuit humilis, ascendit glorioſus. Venit in mundum, redit in cælum exemplum & sacramentum omnium fidelium. Spiritus arguit mundum de iustitia, quia Christus vadit ad patrem. Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam, Psalm. 117.*

OBSERVANDVM DE LITANIIS Ecclesię.

Ecclesiæ litaniæ fundantur Luc. 18. 1. Thess. 5. Oportet semper orare. Nam si semper est orandum, certè eti-

am tum est Deo supplicandum, cum obedientiæ sacramento ad hoc obsequij genus inuitamur. Quod bonum est, tenete, ait Apostolus. Qua fronte ergo Apostolastri litanias, Aduentum, Ieiunium quadragesimale, parasceuen, & hoc genus alia abrogant, carniualia, Martinialia conuiuia, Pentecostiales compotationes, & plurima hoc genus pessima, prorogantes? Egregiè hi reformatores illuminati abusuum sibi cẽsuram ritè vsurpant. Noctem vertentes in diem, & tenebras in lucem, suos quoque admiratores habent tenebrarum filios: Nôrunt filij lucis, litaniam esse minorem eam quæ in die S. Marci peragitur, & est à S. Mamerto in Galliis instituta: esse etiam maiorem,, quę certis diebus, Rogationum dies appellatis, exigitur, & esse eam Romæ institutam à S. Gregorio summo pontifice. Hęc cum omnibus constent, non vidi quare de hac re pluria commemorans, memores admoneam. Perquam necessarium esse arbitror, vt catholicos exhorter, vt ecclesiæ hunc sanctum supplicandi ritum perpetuare studeant. Perpetuabunt tunc potissimum, cum ipsum ab omni abusu vindicauerint. Abusus est, sine verbi Dei prædicatione vltro citroque cursitare: Cantui qualicunque plurimum, declamationi verbi nihil tribuere Garrulitas leuis vulgi, & hoc genus abominationes, nullla censura leuissimi cleri possunt cohiberi. Verbum Dei gladius est, etiam ipsas penetrãs ossium medullas: huius sedula denunciatione possunt tam cleri quàm plebis abusus corrigi, cum etiam eo Antichristus denique sit conficiendus.

DOMINICA VI. POST PASCHA, siue Exaudi, 1. Pet. 4.

Estote prudentes, & vigilate in orationibus &c.

PRAEFATIO.

ESTote prudentes fratres, & attendite vobis à nouis apostolastris atque euangelicastris. Videte nè quam aliam ecclesiam somnietis, quam eam, cuius præcipua religio sita est in praxi: quam omnes cum euangelistæ tum apostoli, tam sedulò docent, fidelibusque ad *Rom. eccle siam verè* absolutam iustitiam credunt. Eià quàm consentiunt sibi *apostolicã* euangelistæ & apostoli omnes, pari studio opera bona *esse, argu-* fidelibus tradendo. Eià qua fide Romana ecclesia se *mentum*

euidēs est operū bonorū commendatio.

euangelicam & eam apostolicam declarat. Quod, per Deum oro, mendacium manifestius esse possit, quàm dicere, ecclesiam Romanam apostolicæ non esse fundationis? Hoc dicentes, verè diabolicæ sunt ædificationis. Argumentum præclarum de se Romana ecclesia præbet, vndè Christi, euangelicam atque apostolicam sese exprimat, studium operum bonorum. Iesus cœpit facere & docere. Opera bona, iuxta atque fidem, nobis ad iustificationem atque beatificationem commendauit: idem quoque factitarunt & apostoli omnes. Ecclesia quoque Christi vera apostolica, præcipuo studio nos ad catholicam ethicam inducit. Ethices eius bonam partem præsens lectio continet. lectionem eam ecclesia nobis hodiè profert, & admoneat atque instruat, qua via nos spiritui sancto hospitium præparemus. Sectio eius lectionis est: Primò exhortatur ad sobriam atque prudentem orationem. Secundo, charitatem & hospitalitatem nobis credit. Tertio, sanctimoniæ consummationem docet citra rectam intentionem fieri non posse. Dicit enim, Vt in omnibus honotificetur Deus. Ac si dicat: Nulla alia intentione bonum operemini, nulla alia vobis solicitudo atque cura sit, nisi solius Dei gloriæ &c. Ipsam nunc porrò videamus.

Spiritui sancto quo modo hospitiū nos paremus.

Virtutes non solū, sed & circunstātiæ & accidētia docenda.

Oratio debet esse sobria.

Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Duas apostolus ponit orationis conditiones, sanè perquàm salutares sobrietatem & vigilantiam. Attende ingenium Apostolicum esse, non modò bona opera, disciplinas & virtutes tradere, sed circunstantias quoque & accidentia vnà docere. Qua in re etiam ethnici philosophi non parum nostræ religioni consentiunt, virtutum extrema omnia tanta diligentia prosequendo. Orationem apostolus vult esse sobriam, & ab omni veterno atque somnolentia liberam. Quid Saxonicis apostolastris & Petro? Zythobibuli atque ventres, instar vtriculi, nunquam ad laudem Dei sunt aptiores, quàm vbi cereuisa tumescant. Crapulæ item edormitores, vigiliis ecclesiæ adeò sunt iniqui. Episcoporum nostratium socordia vigiliæ ecclesiæ sunt abolitæ. Paschatis & Christi natiuitatis peruigiliarum adhuc vmbra quædam supersest in ecclesia: sed nouorum euangelicastrorum peruersitas, etiam reliquias eas qualescunque

leſcunque, bona parte antiquauit. Dormitur in paſchatis ſacri, itidem in Chriſti natalis ſacratis vigiliis, tanquàm ſingulari & certa religione. Eſt enim nouis euangelicis vnica religio, omnia matricis eccleſiæ violare. Monachis item & ſanctimonialibus nocturnarum precum ritum non permittunt, nolunt æramentorum ſonitu quieti ſuæ remoram fieri. Digni qui in Cimeriis tenebris ferreo vrgeantur ſomno, qui bene operari nolunt, & aliis bono opere interdicunt. Apoſtolus noſter primò σωφρονεῖν orationi dicit eſſe commodum. Alij vertunt prudentiam: ſignificat enim tam corporis quàm mentis ſobrietatem. Veri adoratores ſic in ſpiritu, hoc eſt, mente ſobria orant & veritate, hoc eſt, ſobrio corpore. Quantùm ad corpus attinet, temulenti ſunt inſtar Sileni:

Orare ſpiritu eſt ſobriè orare, tã corpore quã mẽte.

Quem myſten pueri ſomno videre iacentem,
Inflatum heſterno venas, vt ſemper, hiacho.

Secundùm mentem rationabile obſequium habent, mediocre maiori non præferentes: quod, teſte Hieronymo, non mediocris eſt error. Vtrunque horum ſophroſyna dicitur, hoc eſt, ſobrietas corporis & animi. Nephron vigilantiam ſignificat, corporis putà & animi. Hoc corpus labori aſſueuit, atque ſtrenuum ſeſe gerit, mens eſt vegeta: atque hoc Nepſis vocatur Graiis. Hanc nepſin & illam ſophroſynam hic nobis ſpiritus ſanctus commendat. Diſcite hic fratres, quid ſit ſpiritu & veritate orare. Videte an ſola fide Chriſtianiſmo abſoluto ſatis fiat. Eià fratres, aduertite Chriſtum quoque ad ſedulam nos orationem inuitare, & nobis eius præmia maxima polliceri, Ioannis 16. Lucæ 11. Videamus, ne quà Chriſti hæc promiſſa contemnamus.

Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Audiant apoſtolum apoſtolaſtri noui. Fides non ſola iuſtificat, quia maior horum, puta fide & ſpe, eſt charitas. Ante omnia, idem eſt ac ſi dicat: Maior eſt charitas. Præcipuè charitatem, tanquàm perfectionem religionis, nobis vult commendatam. Soricis noui apoſtolaſtri concentum, quis huic euangelicæ buccinæ clangori præferat? Scripturam, Scripturam, Verbum Domini,

Fides ſola non iuſtificat.

Verbum Domini, noui euangelicastri identidèm succla mitant: cùm nihil sit quod æquè illi vellicent, lanient, & fugitent demùm, atque scripturam. Paulus ait: Maior horum charitas. Petrus ait: Ante omnia videte, vt charitatem in vobis mutuam habeatis. Ecce tibi duos prœcones euangelicos præcipuos, Petrum & Paulum, charitatem iustificationis & beatificationis summam statuentes. Charitatem noui prędicantes audent è iustificationis & salutis ratione reiicere. Pauliniſtæ Paulum non audiunt Galat. 5. vbi ait, Fidem per charitatem operantem iustificare, Item Rom. 13. dicit, Charitatem legem perficere. Quasi dicat, Charitatem esse mortem vitiorum, vitam virtutum. Audi euangelista noue. Eccè tibi scripturam. Scriptura non potest solui, vide nè tu hoc in tuum caput mediteris. Deus charitas est. Charitas est fructus spiritus sancti, Gala. 5. Maior ergò charitas in iustificationis sacramento. Et non poterit simpliciſsima ea solui scriptura. Audiatur ipsa sapientia Matt. 22. dicens, in prœcepto charitatis pendere totam legem & omnes prophetas. Quid vltrà requiris? Non facit ad stomachum tuum esca ista hæc cœlestis veritatis? Mirum non est. Nihil enim Christo & Beliali. Qui Christi est, sponsi vocem statim agnoscit. Ecclesia Christi nihil vnquàm charitate prius habuit. vndè non solùm fideles se mutuò chariſsimos appellare sunt soliti, verùm etiam Missæ sacrum, agapen vocare maluerunt. Agapeti, hoc est, chariſsimi. Ecce tibi etiam Missæ sacrum nomen fidelibus verè conuenire. Charitatis sacramentis, quantùm ad veram eius attinet prædicationem, putà merita, noui euangelicastri adeò sunt infensi, vt etiam oſculum pacis vnà cum toto charitatis officio aboleuerint. Catholicis concionatoribus ritus ille apostolicus, qui potiſsimùm Petro fuit familiaris, adhuc supereſt, quo auditores vocant chariſsimos: quod vtinàm eodem facerent spiritu, quo hoc Petrus apostolorum princeps fecit. Dicitur illi: Petre amas me? Iterùm, Petre amas me? atque idipsum iterùm. Respondit Petrus, Etiam Domine, Etiam Domine: denique, Tu scis quia amo te. Verè ergò fratres chariſsimos appellauit: quòd si & nostrates sic essent affecti, iam reformatiſsimam haberemus eccleſiam. Charitati apostolus

Charitas summum est in iustificatione.

Chariſsimos sese fideles vocare soliti.

Petrus hic aptissimum omnium dat epitheton, Continuam. ἐκτενῆς dictio, quam nos assiduam, perpetuam, continuam &c. reddere possumus, alias etiam orationi iungitur, quo admonemur sedulitatis atque strenuitatis. Nõ minùs etiá amor debet feruere. nisi enim ardeat, planè amor esse nõ potest. Ignis etiam metaphoricè dicitur amor sumpta metaphora ex assiduitate, qua verus amor discernitur. Fictus enim, citò perit, iuxta prouerbium:

Charitatis epitheton aptum, cõtinua.

Emptus amor, vultusque ruber, durare nequibunt.

Apostolus hic charitati pertinaci connectit scripturæ locum Prouer. 10. quod sic est apud Hebræos: *Al cal Pe sasim thecasse Ahaba*, hoc est, Charitas operiet multitudinem peccatorum. Septuaginta etiam in futuro loquuntur. Hic vides quare Apostolus dixerit, Ante omnia, siue præsertim. Maior charitas præcipuè nobis commendatur, quia operit atque tegit peccatorum immensitatem. Tegit autem peccata, quia facit (modò non sit ficta) vt nostri quoque misereatur Deus. Dimittit ille nobis nostra debita, si etiam debitoribus nostris ipsorum in nos commissa remittamus. Accedit huc verbum Christi Lu. 7. Dimissum est huic mulieri multum, quia dilexit multum. Similia vide Dan. 4. Pro. 16. & alibi frequenter, vbi vel de eleemosyna agitur, vel de pietate &c. Peccata tegere, in scriptura remittere, condonare, indulgere, &c. Psal 84. Omnia peccata eorum operuisti, Psal. 31. Beati quorum peccata sunt operta. Nehe. 4. Ne operueris peccata eorum. Hic simplicior atque adeò genuinus huius loci est sensus. Quòd Beda hanc apertionem peccatorũ intelligit de doctrina & exhortatione sacerdotum, qui charissimos suos ex summa dilectione arguunt identidem & increpant, animas ex inferno redimendo, præmisso sensui non derogat. Neque enim Beda charitatis merito vnquàm detraxit. Caue hic nouorum Euangelicorum næniis dementatus, Charitatis prętextu etiam confessionem, quam Vuicleffistæ auricularem vocant, tollere præsumas, contra Dauida Psal. 31. 50, &c. & aduersus Salomonem Prouer. 28. contra Ioannem 1. cap. 2. Quod si quis etiam hic tegere peccata, accipiat pro excusare, in meliorem partem interpretari, &c. cuius contrarium facit inuidia, quæ ex musca facit elephantum,

Charitas maior, quia tegit peccata.

Peccata tegere quid.

quiduis occulti continuò proferens palàm: hic ſenſus per me etiam ſteterit, modò prior ille natiuus & catholicus non negetur. Nunquàm enim apoſtolaſtri noui ſcripturæ locum inuenient, quo certum facere poſsint, fidem ſolam, charitate excluſa, iuſtificare, & per charitatem fratri remittentem, peccata non condonari. Cæterùm etiam charitas non diſsimulat conniuendo, ſed arguit, increpat & corripit &c. 1. Theſſ. 5. 1. Tim. 5. 2. Tim. 4. ſed ſpiritu lenitatis, Galat. 6. Quia ſecundùm Bedam, iſthæc caſtigatio, ipſiſsima eſt charitas.

Charitas etiam corripit & caſtigat.

Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Ne quis charitatem ſolam ex animo æſtimare poſsit, addit opera, vndè eius argumenta vera atque indubia ſumi poſsint. Sic & Ioannes vult, nos non verbis, ſed factis amare. Obſerua, philoxeniam (quo vocabulo hic vtitur) propriè referendum eſſe ad exteros, quos peregrinos vocamus. Aduenis etiam lex nos vult eſſe benignos, iuxta atque viduis noſtris & orphanis. Non hoſpitalitas hic ſaltem intelligenda, qua huiuſmodi exteros excipimus hoſpitio: ſed & omnis hic eleemoſynæ opus comprehenſum, nobis commendatur. Mutuò dandum, ope & conſilio iuuandum eſt, in omni neceſsitate exteris iuxtà atque indigenis, immò cumprimis, talibus eſt ſuccurrendum. Nec item neceſsitas extrema eſt expectanda, ſed cauenda. Commoditati enim exulum eſt proſpiciendum, quia amicus verus eſt alter idem. Sine murmuratione, ait. Dicat agapetus agapeto: Non defeciſcar vnquàm experirier, donec tibi hoc quod commodum erit, effecero. Non de tabernis meritorij hæc intellige. Aliud eſt hoſpitium, aliud diuerſorium. Caupones, quos excipiunt lucri cauſa, humaniter tractant: fidelis, gratis fratri benefacere debet. Sed eccè tibi quo loco iam reſpub. Chriſtiana conſtituta ſit. Etiam ipſi caupones aduenas ſpoliant, & inhumaniſsimè deprimunt. Legimus quoſdam tyrannos, etiam barbaras nationes, peregrinos macTaſſe, deuoraſſe, aut certè ſuis diis obtuliſſe. Parùm ab huiuſmodi † crudelitie hodiè abeſt ſtatus eccleſiæ. Nuſquàm enim hodie tuta eſt fides, non hoſpes ab hoſpite tutus. Viderit hæc hoſpitalitatis præſes, non Iupiter ethnicorum, ſed Ieſus Chriſtus, iudex viuorum & mortuo-

Aduenæ etiam nobis commẽdantur.

Hoſpitalitas in eccleſia prorſus euanuit.

rum. Hilarem ille diligit datorem. Non donum, sed eleemosynam ille æstimat, 1. Corin. 13. 2. Corin. 9. Philip. 2. Hospitalitatem iterùm Apostolus nobis commendat, Hebr. 13. vbi exemplo Abrahæ & Loth nos sanctè ad virtutem eam inuitat. De hospitalitate patriarcharum eorum habes Gen. 18. & 19. Sed hospitalitatem hic non intellige commessationes & conuiuia: commendatur enim nobis non gastrimargia, sed philoxenia, hoc est, officium misericordiæ erga exules & vagos, vt ait prophe ta. Gregorius in epistola corripit Natalem Episcopum eius hospitalitatis vitiosæ, qua contra Christi præscriptum, non miseris, sed diuitibus conuiuia opipara apparantur, qua carnes (vt propheta ait) conferuntur ad luxum. non ad agapen, Apostolus hic respicit in exempla Abrahæ, Loth, Iob, Tobiæ, &c.

Philoxenia nobis commẽdatur, non cõuiuandi insania.

Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Charismata gratiæ Dei, quæ accepimus citra omne nostrum meritum, & quæ ita subindè accipimus, verè multiformia & varia sunt. Vult hic diuus Petrus, vt charismata ea ritè expendamus. Nihil habemus quod non accepimus. Quæ verò accepimus, in corporis totius ædificationem accepimus. Sumus omnes vnum corpus in Christo, Rom. 12. 1. Cor. 12. In huius sui mystici corporis sustentationem, singulis singula dona distribuit idem Deus opt. max. Aliis dedit prophetiam, aliis scientiam, aliis spiritus, aliis dona: dein etiam corporis bona largitur, robur & salubritatem: postremò etiam fortunæ (vt vocant) bona largitur. Nihil enim habemus, quod non accepimus. Quorsum verò sunt nobis omnia hæc data? Si nescis quare data sint, consule Mosen, quare alius abundet, alius egeat. Item Sapientem, quare etiam egestas sit à Deo. Nónne vt diuites bene mereantur de pauperibus, vt redimant sibi mansiones æternas, & faciant sibi amicos de mammona iniquo? Vnum omnes in Christo sumus corpus. Nemo ergò sibi viuat. Quòd si in minimo infideles fuerimus, quis nobis maiora credet? Alter alterius onera portate, ait Apostolus, & sic legem complebitis Christi, nedùm Mosis. Doceant alij in doctrina: præsint alij in solicitudine: communicet, qui catechiza-

Varia dona vnitati donantur.

tur sermone, ei qui se catechizat, in omnibus bonis: cui debetur tributum, ei idipsum pendatur. omnes miserorum tangat penuria. simus omnes cum infirmis infirmi, cum captiuis captiui. amemus inter nos non verbo, sed facto: & sic tandèm probabimur Deo tanquàm boni administratores. Sic etiam angelis cæli grati erimus, nec erit vt accusemur, iuxta parabolam euangelicam. Apostolus Petrus hic gratiæ Dei dona varia appellat. Simili scribendi modo. Apostolus Paulus sapientiam Dei vocat polypœcilon, id est, multifariam siue multimodam, hoc est, immensam seu profundam &c. Verè multifaria est & ineffabilis. Quis enim eius inueniet profunditatem, Romanorum vndecimo: Diuitias bonitatis eius quis perscrutetur, Ephes. primo, secundo, tertio? Quis eius dona numeret aut eloquatur omnia, 2. Corinth. 9?

Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquàm ex virtute quam administrat Deus, vt omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum. Hic speciatim de Dei gratiæ loquitur donis variis. Duo præcipuè genera charismatòn diuinorum recenset. Alterum, docendi partes & donum: alterum sacramentorum dispensationem, & hoc genus aliam diaconiam. Donum docendi, quod & prophetia dicitur, sine omni controuersia maximum est. Cætera omnia sunt diaconorum. Hinc Paulus se negauit aliquem, nisi Stephanę familiam, baptizasse. Et Petrus cùm Cornelio euangelion denunciasset, baptizandi officium aliis permisit. O Iesu Christe pontifex verus, respice in ecclesiam tuam, vide omnia funditùs euersa. Nihil in Ecclesia contemptius verbi Dominici denunciatione. Sterilis cathedra, famelicum suggestum, cęterùm omnia altaria adipe & thure fumant. Prudentes & Dei timentes, quid dixerim, intelligant. Qui donum habent docendi, audiant Apostolum: Sic, inquit, doceant, tanquàm sermones Dei. Christus nihil, nisi quod ex patre audiuit, docuit. Gabriel angelus in conspectu Dei se ait stetisse, hoc est, nihil aliud nisi verbum Dei denunciauisse. Thessalonicæ Ecclesia nouit Paulum quoque nihil aliud, nisi merum & verum Dei docuisse verbum. Vndè etiam ipsum non vt apostolum modò, verùm etiam vt ipsum ex-

Charisma ton diuinorum duo potissimũ apostolus genera recenset.

Verbum Dei syncerè docendum.

cepit Christum, 1.cap.2. Idem & Galatæ fecerunt. Viderit ecclesiastes, in Christi stans cathedra, vt & Christi proferat pura eloquia. Deuteroſis, hoc est, lex secundarij, euangelicæ synceritati non adeo accedens, caueatur. Logia, oracula, certa verba Christi, nobis sufficiũt, quia salutaria ea sola. Nouerit catholicus doctor, quo loco habeat politicas traditiones & cæremoniales constitutiones: quæ si naturali & diuinæ legi consentiant, merito conseruantur: si vero in abusum abierint, quid vetarit quo minus corrigantur? Sed hæc res prudentem Domini seruum postulat. Atque hoc dictum est de primo. Alterum, œconomia ecclesiæ administrationis sacramentorum & eleemosynæ, etiam fide bona candide debet peragi. Nemo se indè efferat, nemo indè sibi aliquid tribuat. Vndè hæreses & schismata tot in ecclesia subindè nascuntur? Nónne ex dominationis eminentia? Lites & cõtentiones pariunt hæ voces, Nos absoluimus, Nos ligamus. Christus est baptismus. Christus transmutat dona altaris. Christo remissio peccati accepta ferenda, quippe agno qui abstulit peccata mundi. Christus noster Dominus omnia est in omnibus: ille omnia solus, ille vnicus omnium charismatôn author: ille agonotheta, siue choregus, hoc est, donorum dispensator non solum charismatôn spiritualium, sed & fortunæ bonorum. Omnis choregia, eius est: ex eius est penu, quod datur egeno. Illi honor & gloria per secula omnia, Amen.

Diaconatus etiam syncerè fiat.

EADEM DOMINICA EXAVDI, SEXTA à festo Paschæ, Euangelium, Ioannis 15. & 16.

CVm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, &c.

PRAEFATIO.

ET hic locus è prolixo eo sermone, quem Dominus cum suis discipulis pridiè eius diei quam pateretur, habuit, est acceptus. Obserua Dominum eum sermonem, iuxta atquè primum, quem in monte fecit, satis prolongasse: non tamen cõtra hoc quod propheta dicit,

Sermonem abbreuiatum faciet Dominus in terra. Summa ſiquidem omnium præceptorũ Chriſti, in vnico charitatis vocabulo comprehenditur. Noſtra vero craſſa illa obſcuritas, prolixa charitatis opus habet interpretatione, crebris inculcationibus & correptionibus. Expendatur ad amuſsim vterque ſermo, & charitatis præcepta videbis Chriſtum ſolũmodo tradidiſſe. Hoſtes ſunt pietatis, qui fidem ita docent, vt charitatem eleuent. Fruſtra item Chriſtiana profeſsione cenſentur, neque ex Deo ſunt, qui identidem verbum Dei audire grauãtur. Quod pulchrum eſt, ſemel atque bis. Cuperet anima fidelis vtrunque ſermonem, vtut prolixos, ſæpius audire; & ad verbum memoria retinere. Sed ad lectionem præſentem. *In* hac lectione præſenti, principio Dominus ſuis diſcipulis ſpiritum ſanctum paracletum promittit, & ſimul exprimit, quidnam in diſcipulis ſit flatus ille ſacer operaturus. Dein triſtia fata, quę theodidactos atque adeo opus hoc ſpirituſſancti, in hoc peſsimo ſeculo maneant, retexit. Spiritus immundus, pater mendacij, archihomicida, princeps huius ſeculi, opus ſpirituſſancti iuſtitiam & veritatem, à mundi exordio expugnare ſtuduit. Obſtinatus in malitia, ab inſtituto huiuſcemodi nũquam ceſſabit. Nunc verba Domini videamus.

Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: Doctores eccleſiaſtici, præcipuè Cyrillus, acriter inuehuntur in hæreticos, ſanctam ſanctæ Trinitatis profeſsionem impugnantes. Non ineptè cõfutationem eam hoc loco introducunt, cum ſtatim in primo verſu ſanctę Triadis nomen inuenias expreſsum, paracleti nimirum venientis, filij pneuma hoc ſacroſanctum à patre mittentis. Eccè tibi quam hic dilucidè S. Trias recenſeatur, idque talibus verbis, vt ex illis naturæ ſuæ eſſentiæ monas, & perſonalis diſcretionis atque proprietatis trias, ſinè negocio poſsit peruideri, modo catholicæ aures (vt Auguſtinus ait) audiant. Spiritus paracletus venit miſſus. Filius mittit à patre, & ab eodem flatus ille ſacer procedit. Atqui cum à patre quoque mittatur, conſequitur, eum à filio quoquè procedere: vt ſubſtantialis vnitas deprehendi queat. Sed hæc alias. Spiritus ille ſanctus hic

Trinitatis ſanctæ profeſsio.

ſępius promittitur, vt ea pollicitatione mens diſcipulorum, quæ triſtitiæ nube plane fuit obducta, ſerenior efficeretur. Veniet veniet, ait: nulla in eius aduentu erunt molimina. Spiritus enim eſt. Veniet conſolator, non conturbator. paracletus eſt enim ſpiritus. Veſtrum ſaltem eſt, omnem curam in illum reiicere, atque illum animis fortibus patienter expectare. Veniet ſiquidem ad releuandas veſtras mentes, quas poſt tantam mœſtitiam maximis, idque ſupra omnem ſpem, gaudiis replebit: adeo, vt porro nullis deprimi poſsint calamitatibus. De ſpiritu ſancto quænam catholica ſit profeſsio, ſuo quoque loco dicetur. Nunc ergo breuitatis cauſa de eius teſtimonio dicamus. Cõtextus habet: Ille teſtimonium perhibebit de me. O grande verbum. Quadriennio ferè apoſtoli in Iudæa multa audierunt, plurima viderunt: tamen adhuc illo teſtimonio opus habuerũt. Sed nunquid ſatis ſuperque audierunt & viderunt? Maximè. De Chriſto vero, qui in ſeruili forma docuit, virtutesque edidit, teſtimonio indigebant, non humanę eloquentię, ſed diuinæ potẽtiæ. Nihil, quod ad ſenſus humanos pertinere potuit, illis deerat: ſpiritualis doctoris, qui penitius inſtrueret, hoc eſt, qui ſuperna luce corda illuſtraret atque inflammaret, adhuc indigi erant. Vnctio illa ſpiritualis, adhuc eos debuit admonere, vt diſcerent, Ieſum per ſpiritum ſanctum conceptum, ex Maria virgine natum: Ieſum eſſe Meſsiam verum, puta Deum & hominem, tot prophetarum oraculis promiſſum, tot patrum viſionibus & geſtis myſticè deſignatum. Regnum eius eſſe ſpirituale, potentiam Dei aduerſus portas inferorum. Regnum eius eſſe virtutum omnigenum opus, patientiam & perſeuerantiam aduerſus inſultus tyrannorum & hęreticorum omnium. Chriſtũ eſſe filium Dei, vt in ſermone ſuperiori Ioan. 16. auditum eſt, diſcipuli aliqua ratione ſibi habuerunt perſuaſum. Et Mat. 16. dicunt: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Verum poſtquam paracletus teſtis & doctor ille toties promiſſus, diſcipulis illaberetur, quaſi ab integro illuminabantur, & contra tenebras omnes muniebantur, arrhabonem Dei gratiæ omnigenæ accipientes. Teſtimonium oris ſiue vocis ſuam habet efficaciam, ſuamq; energiam ſcripturę: ſed vtrunque ſupe-

Spiritus ſanctus docet, ſpiritualiter & efficaciter.

rat ſpirituale. Scripturam quoque de Chriſto teſtimonium ferre, vides Ioan. 5. Sed niſi vnctio interna erudiat, & lectio & auditus interpretationum perditur. Abraham hoc teſte certior factus, credidit verbum eſſe Dei: Tolle filium tuum vnigenitũ, quem diligis, Iſaac, & offer eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtraue ro tibi. Mulier Sareptana audiuit vocem prophetæ: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Hydriæ farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vſque in diem qua daturus eſt Dominus pluuiam ſuper facié terræ. Sidonis hæc verè beata vidua, hoc ipſum vndè vitam ſuam & filij, vel ad dies duos aut tres prorogare potuit, prophetæ dedit: quod hoc teſte, hoc magiſtro, interius certior facta eſſet, hoc quod propheta dixit, verbum eſſe Domini. Niſi enim credidiſſet, neque ſua dediſſet, neque dona cæleſtia recepiſſet. Summa: Quod ſomnium & viſio Pharaonis eſt ſinè interpretatione Ioſeph, hoc eſt vocis & literę teſtimonium citra teſtimonium Vnctionis. Hanc apoſtoli ſimulatquè acceperunt, non ſolum confutabant ſcribas & legis doctores, verum etiam gloriabantur in ſuppliciis & contumeliis propter nomen Ieſu ſuſceptis. Tale ac tantum dogma ſpirituſſancti, vocant plerophoriam ſiue certam perſuaſionem. Sed iuuat videre, quod extent de Chriſto teſtimonia. Ex multis nos decem in medium proferamus. Primum eſt vocis paternæ, Mat. 3. & 17. Secundum eſt ſpirituſſancti, ibidem & Ioan. 15. 1. Ioann. 5. Tertium eſt ſuiipſius, Ioan. 8. Quartum, eiuſdem miraculorum, Ioan. 10. Quintum, Moſis & prophetarum, Ioan. 5. Sextũ, Ioannis Baptiſtæ, Ioa. 5. Septimum, Simeonis & Annæ prophetiſſę, Lu. 2. Poterit & huc referri cultus & oblatio myſtica trium magorum, Mat. 2. Octauũ, cęcorum, claudorum, & aliorũ de quibus Chriſtus optimè eſt meritus. Vndè extat hoc Samaritidis & Samaritanorum, Ioan. 4. Iam non propter ſermonem tuum credimus. ipſi enim audiuimus, & ſcimus quod hic eſt verè ſeruator mundi Chriſtus. Et hoc cæci, Ioan. 9. dicentis: Credo Domine, ipſum ſaluatorem adorando. Nonũ apoſtolorum, Ioan. 15. præcipuè verò Ioan. euang. 19. & 21. Decimum, ſanguinis & aquæ, 1. Ioan. 5. In præmiſſis teſtimoniis verbum Domini inuenias: vndè ea præcipuè du-

Teſtimonia de Chriſto decem præcipua.

xi aſsignanda. Cæterum innumera ſunt de Chriſto teſtimonia, viuorum & mortuorum, angelorum & hominũ, cæli & terræ. Teſtimonium ſpirituſſancti, adhuc in ſcripturę lectione & doctrina durat. Nam (quod dictũ eſt) ſinè illo teſte & magiſtro teſtimonia prædicta fruſtra ſunt ſcripta: lectionis & auditus eorum omnis opera luditur. Per ſpiritum adoptionis clamamus, Abba pater. ipſe teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei: ipſe adiuuat infirmitatem noſtram, Rom. 8. Ille arra & pignus, quo obſignati confirmamur in omni intelligentia & conſtantia, 2. Cor. 1. & 5. Eph. 1. &c. hæc eſt ſacra illa vnctio & ignis, quo illuminamur & accendimur, 2. Cor. 1. 1. Ioan. 2. Heb. 6. Ex huius magiſtri inſpiratione theodidacti vocamur, Ioan. 6. Eſa. 54. Huic doctrinæ ſpirituali affinis eſt & germana ipſa teſtificatio, quam credentes habent in ſeipſis, 1. Ioan. 5. Teſtimonium hoc internum, arram, pignus & obſignationem ſentiunt fideles in ſuis cordibus. Indè gaudent pro nomine Ieſu omne calumniarum & tormentorum genus perpeti. De qua re alias. Sequitur:

Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Aliud teſtimonium, aliud trudit. Spirituſſanctus, vbi nobis teſtimonium de Ieſu filio Dei clementer inſpirauerit, nos continuò neque carni, neque ſanguini acquieſcendo, teſtimonium ipſum proferre incipiemus. Sic & Spirituſſanctus & nos vna teſtabimur. Ille (vt ait ſanctus Auguſtinus) inſpirando, nos ſonando. Credidi, propter quod locutus ſum, habes pſalm. 115. 2. Corinth. 4. Et nemo dixerit Dominum Ieſum, niſi per ſpiritum ſanctum, primæ Corinthiorum capite duodecimo. Spirituſſanctus ignis conſumens eſt. Eloquium & teſtimonium eius, ignitum: ſupprimi ergo non poterit. Dicit itaque Hieremias capit. 20. Dixi, non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine eius. Et factus eſt in corde meo qua ſi ignis exæſtuans, clauſusque in oſsibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Hoc eſt quod ait: Et vos de me teſtificabimini, quia duplex vos teſtimonium de me habetis: internum videlicet ſpirituſſancti, & externum doctrinæ meæ quam audiſtis, & operũ quę vidiſtis. Neque de parte aliqua doctrinæ & vitæ meæ teſtimonium perhibe-

Spiritus ſanctus facit noſtes Chriſti

bitis, sed totam simul doctrinam, vitamque vniuerso mundo pronunciabitis: idque ordine eo, quo omnia feci & docui: quia statim in exordio officij mei, vos mihi testes vocaui. Ad hoc spiritum sanctum vobis mittam. Vos iam pleraque non intelligitis, ille declarauerit. Vos iam meticulosi, ille nouo musto ebriatos, audaces faciet. Vobis iam imbecillibus, ille spiritu vehementia afflatis, & igni diuinæ fortitudinis accensis, robur dederit animorum. Ille oblita in memoriam reuocabit, ille omnem dubitationem eliminabit. De apostolorum testificatione dicitur Act. 1. Accepta virtute spiritus sancti, eritis mihi testes non solum Hierosolymis, verum etiam in vniuersa Iudæa Samariaque, denique vsque ad extrema terræ. De testificatione ea plura vides ibidem cap. 4. 8. 10. 18. 20. 23. Exemplo hoc apostolorum oportet episcopos & diaconos omnes ire in vniuersum mundum, & prædicare euangelion omni creaturę, hoc est, tam catholicis, quàm hæreticis: tam fidei domesticis, quàm extraneis Iudæis & Saracenis: illos erudiendo, admonendo, arguendo, &c. hos confutando, & errorum reuincendo. Quod qui non facit, re ipsa declarat, se spiritu sancto esse cassum. Nam spiritu qui prediti sunt sancto, etiam capitis sui periculo à professa veritate non stare non possunt, certi vel animam suam ab omni tyrannide hominum & cacodæmonum esse tutam. Atque hæc hactenus. Nunc porrò in secunda parte huius sermonis, videbimus crucem veritatis testimonio esse appendicem.

Episcoporũ & diaconorum munus.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia nõ nouerunt patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Admonemur hic martyrij, quod Origenes potissimum Christianis omnibus incumbere ostendit. Est enim martyr, qui vsque ad mortem, veritatem asserit: quod vtique veritati debet Christianus quisque. Omnibus itaque dictum est: Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Nec iam primũ nobis hoc præcinit: alias enim idem frequentissimè facit Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Non est, inquit, discipulus supra magistrum, neque seruus supra

Martyres christi nos vocat spiritus sancti.

dominum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos illius? Præmonuit nos, & rerum futurarum seriem ostendit, vt fortiores redderet, dicereque faciat:

Præbenda est gladio pulchra hæc & candida ceruix.

Philosophi prisci non dubitauerunt se omnibus mortis generibus exponere, pro humana ea, quam profitebantur, sapientia. Romani, Lacedæmones, Athenienses, & alij nobilium vrbium municipes, summo felicitatis loco duxerunt, pro patria mortem oppetere. Quarè ergò nos pro fide Christi cunctemur mori, cum certo sciamus, ita æternæ vitæ parari gloriam? Tragœdi subindè crepãt verba Iphigeniæ Agamemnonis filiæ hęc: *ὦ πάτερ πάρειμί σοι τόυμὸν δέμας τῆς ἐμῆς ὑπὲρ πατρὸς καὶ τῆς ἅπάσης Ἑλλάδος θύσαι δίδομ' ἑκοῦσα*, Hoc est, Pater præstò sum, corpus meum libenter impendam in sacrificium pro patria & pro omnibus graiugenis. Vult poëma, vt quisquis homo sic sit affectus, vt non dubitet pro patria mori, si hoc in patriæ liberationem & salutem facere videat. Iustius longe pro regno Dei & pro patria cœlesti homo se sacrificium voluntarium obtulerit. Hoc vt promptius præstemus, Christus nobis in apostolorum personis prædixit, sinè crucis supplicio & scandalo, ad æternæ vitæ gaudia & gloriam pertingere posse neminem. Est siquidem præcipua consolatio, necessitatis ipsius ineuitabilis cognitio. Aiunt ergo ferendum, quod mutari nequeat. Adde & hoc quod poëta dicit:

Prospice qui veniunt, hos casus esse ferendos:
Nam leuius lædit, quidquid præuideris antè.

De huius consolationis specie Cyrillus multa differit. nos paucis iis quę diximus, contenti, de ipsa cruce deinceps agamus. Crux ea, quam hic Dominus electis instare adumbrat, duplex est: pœnæ scilicet & calumniæ, nè supplicium sinè scandalo comite veniat. Pœna in bonorum temporalium confiscatione, in exilio, & in suppliciorum illatione, denique in vitæ siue animæ vitalis ereptione, sita est. Et certè hæc pœnæ species posterior, res parui momenti haudquaquam haberi potest. Hoc quod ipsi tentatori satis est perspectum. dicit ergo: Pellem pro pelle, & omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua.

Crux christianorum duplex.

Et Poëta ait:

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.

Altera pars crucis, etiam ipsa morte est acerbior. est autem calumnia, qua etiam huius seculi homines, tyranni & hypocritæ, bonum nomen electorum conantur denigrare. Impius est, qui famam negligit. Et nomen bonum melius est vnguentis pretiosis. Et ethnicus ait: Omnia cùm perdas, famam seruare memento. Huius itaque crucis partis siue speciei, tanquam grauissimæ omnium. Dominus cum primis meminit, dicens: Absque synagogis facient vos. Absque synagogis facere, est tanquam hominem impium & execrabilem igni & aqua interdicere: Nec publicis muniis solùm, verum etiam omnium honestorum consortio indignum designare atque censere. Eius rei partim similis est Romanorum proscriptio, partim ecclesiæ excommunicatio. Non est parua excommunicationis censuræ pœna, iustè irrogata. Satius esset homini, mille mortis genera subire, quàm suapte culpa in excommunicationis pœnam incidere. Verum si ab iniquo fuerit illata iudice, nihil est illa magis meritorium. Vndè ait Augustinus, Christi discipulos in hac excommunicationis pœna nihil esse degrauatos, cùm ipsi vltrò è pestilentissima ea synagoga fueraut exituri. Sed nihilo minus vides hic, quam nomen Christi fuerit inuisum Iudæis. Et quis benè sibi conscius, non fugiat aulam tyrannorum & huius mūdi amicitiam? Quis non fugiat cōciliabula hypocritarum & hæreticorum? Videmus tamen quo odio aulæ tyrannorum, hic mundus, hypocritarum & hæreticorum conciliabula, laborent in hoc, quod veritatis doctores nunquam non proscribant, conuiciisque proscindant. Christum solem iustitiæ, in sua venientem, sui non receperunt, Ioan. 1. Et propter veritatis testimonium nullum non prophetarum capitali odio prosequuti sunt Iudæi. Matth. V. XXIII. Lucæ XI. XIII. Aggrauat Apostolus odium, quod proprios prophetas, hoc est, filios suos, odio Christi occiderunt, 1. Thess. 2. Et ipse saluator, teste Chrysostomo, idem flagitium effusionis sanguinis exaggerat, quod Zachariam intra templum & altare occiderint,

Excōmunicatiōisce sura grauis.

Lucę XI. ¶Synagogam ecclesia accipit pro Iudæorum cum priscorum tum nouissimorum eorum, qui Christũ persequebantur, & etiamnum auersantur, corona. Hebræis dicitur *Mabbela*. Synagogam Latinè vertere possumus aductionem. Placet illa proprietas loquendi, vt inter noui & veteris testamenti fideles, nominalis quædam discretio habeatur. Realis diuersitas est inter veros Abrahę filios & carnales Israelitas: nè quis miretur, Christianis & Iudæis nihil conuenire. Propter hanc differentiam & proprietatem loquendi, sectarum conuenticula non merentur vocari ecclesia, sed magis conciliabula sunt appellanda. Synagoga carnalis illa, eos quos propter fidem Christi eiecit, vocat aposynagogos: quo vocabulo sanctus Ioannes etiam hoc loco vtitur. De eiectione hac vide Ioan. 9. 12. &c. Synagoga carnalis ea filios Dei protrudens, facta est synagoga & sedes diaboli, Apoc. 2. Ecclesia scortatores, prædones, homicidas, & quoscunque flagitiosos, maximè hæreticos, vitat: synagoga verè pios & professæ veritatis, quibus resistere nõ potuit, doctores repudiauit. Noluit synagoga tenebricosa nomen Iesu solis iustitiæ prędicari: sed homines spiritu Dei pleni, à prædicatione eius nominis non poterant desistere. Hinc illæ tragœdiæ. Hæc de altera crucis parte dicta sufficiant. Sequitur: Venit tempus, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se prę stare Deo. In synagogis suis fidelibus comminando, præcipiebant nè Christum prædicarent, Matth. X. Actor. 4. Constantes in fide, partim virgis cecidere, Matth. 23. partim lapidibus periêre, Acto. 7. partim gladio ceciderunt, Actor. 12. Deo gratificari se putant homicidio tali Iudæi, idque contra legem Exodi 20. Deut. 5. Sanguis Abel & aliorum occisorum clamat, & terra bruta interfectoribus hominum est infesta. Nam (quod Plinius ait) neque serpentem, postquàm hominem momorderit, iterum eum in sua viscera terra recipit. Mirum ergo est, terram parricidis illis sacrilegis non dehiscere. Attende, quo signo Dominus homicidas eos notauerit. Alij quicunque latrones plerunque conuertuntur exemplo eius, qui dixit: O Domine, cum veneris in regnum patris tui, memento mei. Sed homicidæ

Synagoga Iudæorũ quid.

Aposynagogi qui.

Homicidij crimin horror.

illi ſacrilegi, qui ad ſupprimendam veritatem Chriſtos Domini tangunt magis atque magis excæcantur: & tanquam profugi patriæ cœleſtis, aperto & craſsiſsimo ſigno declarantur. Facinus tale homicidij non ſolum bonum opus, verùm etiam cultum Dei, latriam nimirum & proſphoram, arbitrantur ἀνθροφονίαν, hoc eſt, homicidium putant ſacrificium. In tantam excęcationem, ſignũ reiectionis à facie Dei, exclamat S. Auguſtinus, dicens: O error horrendus: itáne, vt placeas Deo, percutis placentem Deo Iudæe, & templum Dei viui, te feriente, proſternitur, ne templum Dei lapideũ deferatur? O execrabilis cæcitas. Hæc ille. In execrabilem eam cæcitatem facis hoc quod ſequitur: Sed facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Beda hic dicit: Filius in patre, & pater in filio eſt: & qui videt filium, videt etiam patrem. Patet ergo, quod quicunque filij credulitati obſtinata mente reſiſtunt: nec patrem nôſſe. Hoc eſt ſignum illud, quod Cain profugus ſecum pertulit. Quis non cæcutiens homo, videat in hoc ſigno homicidas eos Iudæos, extorres eſſe cœleſtis patriæ, quippe qui neque patrẽ nôrint, neque filium? Moſes Exod. 32. dixit: Conſecrâſtis hodie manus veſtras Domino, vnuſquiſque in ſanguine filij & fratris ſui, vt detur vobis benedictio. Idem Deut. 13. præcipit pſeudoprophetas occidi ſinè omni miſericordia. His & ſimilibus locis Iudæi impingunt, non attendentes Chriſtum prophetam illum eſſe ſummum, quem idem Moſes præcepit audiri Deut. 18. Nec obſeruantes illũ eſſe magni conſilij angelon, Eſa. 9. Hac immedicabili cæcitate etiamnùm audent dicere, ſe nulla alia culpa in horrendum hoc & perpetuum exiliũ eſſe miſſos, niſi quod non omnes Chriſti apoſtolos & diſcipulos occiderint, antequam euangelion Chriſti in mundo vniuerſo prædicarent. Eccè qualis pœnitentia. Eccè quantum cæcitas & furor illis indiès ſuccreſcat. Satis de Iudæorum cæcitate. Nunc videndum, án ne nos quoque aliquid iſtiuſmodi cęcitatis in nobis habeamus. Primò hic æſtimanda Iudæorum ingratitudo, in quam eccleſia nomine ſaluatoris dicit: Populę meus, quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te? Ego plantaui te vineam electam, tu facta es mihi amara valdé. Ab huiuſmodi ingrati-

Cain ſignũ Iudæi referunt.

Cain ſignũ pſeudochriſtiani quoque referunt.

gratitudine nos parùm abeſſe quis neget? In quadrageſimali obſeruantia quid rogo polliciti ſunt ij, qui apoſtolicarum traditionum adhuc obſeruantes exiſtunt? Quare exomologeſin fecerunt? In die paraſceues religio renouata, altera Paſchæ prorſus euanuit, quaſi catholica religio triduana haberi debeat. O Bone Deus, quàm nõ poteſt, quod fictum eſt, durare? Altera ſtatim à reſurrectione, quamprimùm introitus Miſſę, Introduxit, eſt auditus, itur in Emaus, non cum Chriſto, ſed cum diabolo principe huius mundi. Non verbum Dei tractatur, ſed luditur, iocis & vanitatibus opera datur. Emaus non in hoſpitium Chriſti, ſed in popinam ganeonum & in lupanar conuertitur. Pro Chriſto Deus Venter & Libitina colitur, Emaus in montem Veneris conuertitur. Matrix eccleſia, hoc ſacro tempore ſolenniter baptizabat: recèns baptizatos, in albis crebris exhortationibus verbi Dei, canticiſque ſpiritualibus, euchariſtiæ denique participatione refouebat. [redacted] E regione illuminati illi euangelij neoterici fratres nouelli, qui quadrageſimalem abſtinentiam contemerarunt, certo Dei iudicio etiam paſchalibus gaudiis fruſtrati, proceſsiones feſtas, iuge ſacrificium, alleluia repetitum, cæteraque eccleſiæ cantica meloda, prorſus execrantur. Adeò verus cultus vtrobique iacet, vndique Dei ignorantia & ingratitudo, vndique odia, vndique pericula. Quis enim aut hic aut illic, abſque capitis ſui diſcrimine, abuſus & errores taxauerit? Vtraque pars in eos, qui citra abuſus & hæreſes ſyncerè fidem Chriſti docere ſatagunt, & ſine omni hypocriſi & ſchiſmate catholicam vitam viuere connituntur, mirum in modum intonant atque fulminant. Putat vtraque pars ſe Deo ſacrificium facere omnium gratiſsimum, ſi huiuſmodi homines

ſtrenuè perſequatur. Putant hunc eſſe verum zelum domus Dei: non vident æmulationem eam eſſe diabolicam. diabolus enim homicida eſt ab initio, atque adcò eius zeli author, Roma. 9. Iacobi 3. Quis alia ſi aliam dilacerare poſsit & deuorare, tunc etiam verus Chriſtianus Chriſtiano manus inferre debebat. Pſeudochriſtiani, iuxta ingenium maleuolorum lædunt, & ſe læſos vociferantur. Vides nihil differre à Iudæorum cæcitate noſtratium furorem. Lapidarunt Stephanum tanquàm Legis deſertorem Iudæi inuocantem nomen Chriſti, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum, Actor. 7. Coniurarunt in necem Pauli, ſynagogas omnes conſultantem, Actor. 23. Sed quo ore perſequuntur hæretici catholicos, veteris eccleſiæ maieſtatis ſtudioſos? Qua fronte abuſuum patroni, eccleſiæ ſimulatores, odio affi-ciunt eos, qui eccleſiam ab omnibus mendis ſuperſtitionum cupiunt expurgatam? Dominus Ieſus magis con-

Pſeudochriſtianorum tyrannis maxime culpæ.

[redacted] ethnicis veritatem impugnantibus, Matt. 23. dicens: Hierusalem, Hierusalem [redacted] ò qui Chriſti nomine [redacted] putatur flagitium, ſi innocentes & veritati ſtudentes [redacted] ſectatoribus. Si cognouiſſent, ait Apoſtolus, [redacted] nunquàm [redacted] cifixiſſ[redacted] grunt patrem, neque me. Pater & filius vnum ſunt, Ioan. 10. Nemo venit ad patrem niſi per filium, Matt. 11. Ego (ait) in patre, & pater in me, Ioan. 14. Non ſum ſolus ego, ſed pater mecum eſt, Ioan. 16. Nihil ergò patris habent, qui filium temnunt Iudæi & Agareni, vtcunque ſibi de Deo patre placeant. Sic & alieni ſunt à Chriſto, alieni ab eccleſia, qui eos infeſtant qui Chriſti gloriam & eccleſiæ certum decus quærunt. Eſt quidem ignorantia Dei omnium occaſio malorum, ſed maioris culpæ eſt pſeudochriſtianis, quàm ethnicis & Iudæis. Nam infideles peccant ignoranter, mali Chriſtiani volentes, vt dicitur, & videntes. Illi, fateor perduelliones ſunt Chriſti, hi verò ſub confeſsione nominis Chriſti in chriſtos ſæuientes, ſimiles ſunt illi, qui proditorio animo dixit, Aue Rabbi. Colli-

gere est & ex præmissis, persecutionum tyrannidem certum esse signum Cain, signum excæcationis obduratæ & immedicabilis, Iudæorum exterminium quam maneat. Sed tantum malum Dominus Iesus clementer auertere dignetur. Christus est mitissimus agnus Dei, Christus author pacis. Dicit ille: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Idem ait: Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est. Apostolus de agnitione Christi multa agit. Idem optat Iudæos omnes eandem agnitionem habere. Non est ergò & de nostratibus desperandum, sed magis obnixè pro illis orandum. Denique etiam ouibus in medio luporum degentibus, optanda est patientia & animi fortitudo. Robur hoc animi & longanimitas ea, potissimùm per verbum Dei datur. Vndè & hoc loco Dominus repetit quod dixit: Hæc locutus sum vobis priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Faxit Deus, vt miseræ tonsæ inter tot lupos vocem pastoris libenter audiamus, & ardenter custodiamus: ad suam ipsius gloriam, Qui vnus Deus in Trinitate viuit & regnat, per omnia secula seculorum, Amen.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Ioan. 15.

Cùm venerit paracletus, quem ego mit. &c.

¶ Sectio sensus literalis.

1 *Spiritum sanctum discipulis suis promittit, duplicitèr sibi testimonium daturum.*

2 *Persecutionem eos in terra magnam manere prædicit.*

3 *Aduersus scandalum crucis eos munit.*

¶ DECLARATIO.

1 *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Duplici ratione de Christo fert testimonium spiritus sanctus: Primò per inspirationem fidei, secundò per doctrinam euangelij. Nisi præcedat illa, hæc nihil proderit. De illa dictum est Matt. 10. Non vos estis qui loquimini. Roman. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro. Item obsignat verbum receptum, vt credamus quòd Deus sit verax. Facit huc, scire modum quo dicitur mitti spiritus sanctus. Quomodo mittitur qui est vbique? Missus filius ratione incarnationis. Exiui, ait à patre. Assumpsit quod non erat, manens quod erat. Relinquit mundum corpora-*

li conuersatione ea, cuius Baruch meminit. Sic & spiritus sanctus mittitur, cùm aliquid excellentius in mundo exequitur. Operatio nouæ dicitur missio. Opus tale est, de Christo mundum certiorem reddere.

2 *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini Qui culpa sua apte spiritum sanctum à se expellunt, eos quos spiritus sanctus replenit, diuersos sibi videntes, persequuntur, Sap. 2.*

3 *Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, &c. Verbi Dei spiritus sancti vnctio. Contra scandalum omne ecclesiam munit, Accipite armaturam, ait Apostolus Ephe. 6.*

¶ Mysterium.

1 *In ecclesia est paracleſis & veritas, quia eam non deserit spiritus sanctus paracletus, spiritus veritatis.*

2 *Hæresis veritati contraria, illi non potest non esse infensa.*

3 *Prædixit Christus hæreses fore, idē & apostoli fecere omnes, vt minùs noceant homines illi, in reprobum sensum traditi.*

¶ Morale.

1 *Non omnium testimonio veritas laudatur. Peccatori dicit: Quare tu testimonium meum accipis per os tuum? Spiritu Dei plenus Stephanus, dare testimonium efficax potuit. Non refert, lapidatus sit. moriens enim, testimonium spiritui sancto dedit impri mis efficax.*

2 *Qui crediderit, non festinet. Bonum semen in bonam terram iactum, fructum facit plurimum in patientia.*

3 *Aduersitates, patientiæ sunt occasio. Patientia aduersitatum & crumnarum habet maximum meritum in cælo. Hæreticorum martyrium vanum, quia causa facit martyrem, non pœna, vt ait Augustinus. Vide allegoriam de ludo Ismaelis & Isaac, in Ioan Tract. 11.*

IN DIE SANCTO PENTECOSTES, lectio Actuum 2.

DVm complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco.

PRAEFATIO.

NOn semel (quod charitas vestra nouit) Dominus Iesus promisit nobis paracletum alium, vtique sui similem, vnum cum ipso & patre, Ioan. 14.15.16. Veritas non mentitur, sapientia non hallucinatur, fidelis non implanat. Qui magnus est, nihil humile meditatur. Magnus Dominus Deus noster, & laudabilis in se-

cula. Promissus (vt diui Augustini verbis vtar) missus est spiritus. O quàm suauis est Domine ille tuus spiritus. O quàm potens est Domini spiritus, qui omnia replet & cõtinet. Gaudeamus omnes in Domino, iuxta hoc quod ait: Ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Spiritus Domini, Dominus Deus, Deus est: paracletus missus est nobis, venit nobis. gaudeamus, & per ipsum proferamus Alleluia. Deus omnium pater, pro tempore non modò Iudæis, sed & ethnicis visus est, aliter tamen atque aliter. Nouissimo tempore electo, visus est & filius instar patris, imago patris, gloria patris, Qui me (ait) videt, videt & patrem. Nihil itaque restabat, nisi vt & nos spiritus visitet sanctus. Trinitatis confessione totum mundum saluari oportuit. Ait ergò: Expedit vobis vt ego vadam. Scitum est hoc quod Ambrosius dicit sermone 61. Pulcher flos Iesus, è sepulcro in horto exurrexit in die paschæ. flos ille fructum suum protulit in hac luce, replens omne spiritu sancto, omnia replente. Videte scalam è cœlo, & angelos ascendentes & descendẽtes. Ascendit filius, descendit spiritus. Nolo anteloquio prolixiori vestras charitates diutiùs detinere, scio auidos audiendæ lectionis historiæ sacrę. Primò in lectione obseruabitis amplitudinem & largitatem datoris. Secundò, preciositatem muneris. Tertiò, argumentum preciositatis muneris eius, quod euidens fit in prodigiis tãtis & signis, toti orbi terrarum obstupescendis. Sequitur lectio:

Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Coniunctio Et, quam plerique addunt, importat, aliquid notatu dignum præcedere. Est autem id historia ascensionis Christi in cælum, sessionis ad dexteram Dei, angelicæ apocalypsios, denique item apostolorum reditus in vrbem sanctam. Præceptum fuit, ab Hierosolymis nè discederent, sed ibi expectarent virtutem diuinam: qua induti, efficaciter euangelizarent. Fuit item præceptum, vt tunc primum prædicarent. Vndè è monte Oliuarum Solymas reuertebantur, & fortè per Bethaniam. Solymis verò quotidiè descenderunt in templum de talibus & tantis mirabilibus Dei magnaliis Deo gratias agendo. Cæterùm è templo reuertentes, sese in ædes quasdam recipiebant, vbi tantæ coronę (quam di-

uus Augustinus super Ioannem Tract. 92. dicit fuisse centum & viginti hominum) commodum capaxque erat cœnaculum, Germanicè ein obergemach quod etiam reddi poterit, Solarium. Hoc in loco Matthias in Apostolorum numerum est receptus. hic frequens oratio & gratiarum actio, consolationesque fiebant. Denique & agape hîc quotidiana peragebatur. Maria virgo, & cæteræ Galilææ Christo deuotæ fœminæ, ab hoc sacro cœtu minimè abfuit. Hic præstituto die Pentecostes, promissus ille paracletus veniens, Christianissimum ipsum iuxta Christi verbum absoluit. Dies sacra, alboque signanda lapillo: dies, quam etiam lex in summa peragebat solennitate, ecclesiæ maiestatis vmbra exultans: vt videat quisque fidelis, diem illam solennem quoque esse oportere ecclesiæ. Iudæis vocatus erat Hebraicè *Hag Sabioth*, Latinè festum hebdomadarum, Germanicè vvochen fest oder der Siebender ex hebdomadibus septem, puta à Paschatis solennitate. Græci, numeratis diebus ab isto festo, vocant diem hunc festum, Pentecoste, hoc est, quinquagesima. Germani vocant Phingsten Græcos imitantes. Sic etiam vocant festum Paschæ ab Austro Ostern de quo alias. Festum Pentecostes in lege permaximum fuit, quod vides Deut. 16. De hoc item festo vides Act. 20. 1. Cor. 16. Non solùm Iudæi obstinati, sed & ad Christum conuersi, diem hunc sacrosanctum peragebant. Vndè & Apostolus (vt in præmissis locis videre est) eo die se libenter Hierosolymas recepit. Origo solennitatis, fuit legis Mosaicæ traditio, quam traditionē Dominus Deus populo Israeli solēnitate istac duxit quotannis repræsentandam, ne qua eius vnquàm populo ipsi obliuio obreperet. Simili etiam prouidentia festum Paschæ Israeli è memoria elabi noluit. Illic nomodidactes spiritussanctus, hic Seruator mundi, quemadmodùm etiam in festo natalis Christi, Deus pater exprimitur. Quátùm verò ad legis typum attinet, illa duo festa Paschatis & Pentecostes, sibi omnibus numeris consentiunt. Alterum redemptionem eam, qua Deus populum suum de graui Aegypti seruitute vindicauit, retulit: alterū, legis præscriptionem diuinæ repræsentauit. Assertio in libertatē, in Aegypto contigit: lex in eremo, in monte Sina

Pentecostes dies solennis.

Pentecostes diei origo.

est lata. Mansionum 42. populi Israelitici, quas S. Hieronymus diligenter prosequitur, omnium erat clarissima ea, de qua iam agimus, montis Sinai. Erat autem duodecima numero, proculdubio mysterium duodecim apostolorum præ se ferens. S. Augustin. multa, & ea sacrosancta, de hoc festo scribit in lib. quæst. vet. & noui test. nempe non sine sacramento Pentecosten, æquè atquè solennitatem Paschalem, in die peragi Dominico. Vterque dies bonam partem nostræ religionis complectitur. Dies item Dominica, nostræ salutis plena est mysteriis. Libr. 32. contra Faustum etiam præclarè de hoc festo loquitur. In Sina deserti, Iudæi suam receperunt legem: Solymis, atque adeo in Sion, data est intelligentia euangelij, quod tandem verum est euangelion. Hic obserua errorum hæresion omnium originem, ecclesiæ, quæ euangelion Christi recepit, hoc est, cui sensus scripturarum datus est, non credere, sed ex ratione siue authoritate (vt cum S. Augustino loquar) exponere velle: quod vtiquè omnium periculosissimum est. In deserto digitus Dei, hoc est, spiritus sanctus, sed in typo. In ecclesia præsentissimè, non in figuris & ænigmatis, sed in manifesta veritate. Illic tabulæ lapideæ, hic corda cerea: illic tonitru & fulgetræ, clangor buccinæ & terror: hic spûs vehemêtis sonus, inebriãs consolationis musto. Sic vides oraculum adimpletum: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusa. Esa. 2. Mi. 4. Illic interceserũt septem hebdomadę siue quinquaginta dies, puta ab eorũ Paschatis festo, totidem & intercedũt à nostro. Quadragesi. siquidẽ die à sua resurrectione, ascendit in cælum: 10. postea die, è cælo spiritum promissum paracletum misit. Hactenus de mysterio dierum quinquaginta & festo Pentecostes: nũc porro audiamus, quid in ea acciderit.

Manſio quæ in mõte Sinai duodecima erat numero, omnium præclariſſima.

Pentecoſte & paſcha in die dominico celebrãtur.

Hæreſion errorum caput.

Et factus est repentè de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & replenit totam domum vbi erant sedentes. Iam fratres, magnalia Dei nobis proferuntur, ad eorum cognitionem Deus sensus nostros illuminet, Amen. Factus, ait, est repentè de cælo sonus, & replenit totam domum. Quam, rogo, domum? Nunquid omnes ædes, atque ipsum quoquè templum? Haudquaquam. nam Euangelista vnius domus, vbi ecclesia erat, mentio-

Domum vnicã replenit ſpiritus ſanctus.

nem facit. Cęteras ædes magnificas, atria, porticus denique ipsum templum, non nouit Dei spiritus omnia replés. Stella sic orientalium saltem præstrinxit oculos Dei claritatis. Herodes nequidquam de tempore stellæ Magos est perscrutatus. Et Christus rediuiuus non omnibus apparuit, quanquam in eadem vrbe suis visus extiterit.

Ventus diei Pentecostes vehemẽs, sed non pestilens.

Flatus atque turbo, sed non nimbifer, neque vrens, neque tempestuosus atque adeo pernicioſus, sed vehemẽs, nullis philosophicis rationibus inuestigabilis. Sunt enim talia Dei magnalia, supra naturam. Sic tenebrę in Christi passione, non erant naturalis eclipsis & solis deliquium, quod etiam veli ruptura & petrarum arguit scissio, Matth. 27. Hic etiam accessit terræ commotio, tenebras eas Dei maiestatis singulare esse opus indicans. Talem & vides in Christi resurrectione, ibidem 28. Obserua, creaturæ testimonia passim de Christi præcipuis mysteriis, literis commendata, sibi mirè consentire. In natiui-

Sonitus diei Pentecostes su pernè venit.

tate, in passione, in resurrectione atque in spiritussancti emissione. Neque hoc silentio prætereundum censeo, quod litera habet, factum de cælo sonum: non elementorum strepitus, stridor, crepitus aut fremitus collisorum, non murmur populi, neque clamor, neque clangor, sed sonus, atque is de cælo, vtique Dei maiestatis & præ-

Ventus diei Pentecostes omnẽ agitabat eccle siam.

sentiæ, qualis antè nunquam auditus. Repleuit totam domum, hoc est, flabrum hocce supernum omnes, qui in domo erant, agitabat atque commutabat: non leniter stringebat, sed potenti quodam flamine concussit atque † pertentauit. Vitalis spiritus est, qui ferebatur superaquas, Gene. 1. Aquæ in Aegypto, hoc destitutæ flamine, computruerunt. Spiritussancti gratia excitat omnem veternum, & facit hominem ad opera bona facilem. O agitationem sanctam & præsentem. O vanos atque insanos hæreticos, solam fidem docentes, veritatis proditores, sancti flatus inficiatores. O felicem domum, cui nullam aulam Augustorum atque regum huius terræ, rectè cõtuleris. Verè terribilis locus ille erat, & porta cæli &

Domus Dei, ecclesia.

domus Dei, Genes. 28. Hanc vero domum, ipsam referre intellige ecclesiam: extra non operatur spiritussancti gratia, etiam si sectæ sibi mentiantur nomen vel cæli. Operatio & efficacia spiritussancti, non ab re vehemens

ſpiritus dicitur verius, quam *Ruah aza* Exod.14. quod Septuaginta, ſpiritum vehementem reddidere. Hic ſpiritus exiccauit mare, & tranſitum populo Iſrael præſtitit. Neque item citra huius venti nutum, ſpiritus vehemens ædes Iobi diſturbauit. ceſsit enim id ad Dei gloriam, capite primo. Heliæ tempore factum quoque flabrum memorabile, quod ſequebatur commotio terræ & ignis. Mirabilia hæc omnia, ſed nihil ad hęc Dei gloriæ ſpectacula. Neque enim illic Dei fuit præſentia. Hic Deus manifeſtè inſonuit. quemadmodum etiam Actor. 4. Hic igniuomus ventus, ſed ventus hic noſter non eſt preſter, ſed virtus gloriæ & gratiæ Dei. Ventus hic noſter, eſt ſpiritus ipſe ſanctus, & non aëris colliſio, non maris commoti atque turbati flamen. Spiritus ſanctus per venti & ignis ſpeciem & ingenium, nobis ſeſe inſinuandum dixit, noſtræ inſeruiens infirmitatis captui. Vndè etiam ſpiritus ſanctus à ventorum nomine ſpiritus dicitur. Sed de ſpiritu ſancto nunc plura audire eſt operæ precium.

Pentecoſtes diei vētus igniuomus.

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſediq; ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout ſpiritus dabat eloqui illis. Mirabilia quot & quanta hodiè & audita & viſa? Primo venti vehementis miraculum Euangeliſta conſcripſit. Alterum quod apparuerunt illis diffiſſæ linguæ. Tertium, quod diſpertitæ illis linguæ viſæ ſunt tanquam ignis. Quartum, quod Apoſtoli diſcipuliq́ue omnes loquebantur variis linguis, idq́ue repentè. In cuiuſque ore lingua videbatur quaſi diffiſſa atque ignita. Nota, Euangeliſtam non dixiſſe, diſcipulos diffiſſas habuiſſe linguas, ſed viſas tanquam diſpertitas & quaſi inflammatas. Cautè errores prævenit omnes. Supra dixit, ſonus tanquam vehementis ſpiritus, nè quis credere poſsit, Apoſtolum dicere, Deum eſſe ventum, qualis eſt aquilo, auſter, eteſiæ, &c. Simili modo, ne quis Deum elementalem ignem credat, dicit tanquam ignis. Non eſt creatura, qui eſt creaturæ ignis & ventorum author Geneſis primo. Viſæ ſunt linguæ diſcipulorum Chriſti, tanquam ignis ſorent: non ergo ignis erant. Eſſe, & videri ſiue apparere, plurimum differunt. Voluit ſe Deus hiſce ſpecibus inſi-

Pentecoſtes diei mirabilia.

Deus eſt ventus & ignis, ſed nō elemētalis.

nuare, vt ſuam vel ſic nobis declararet veritatem ſeu proprietatem. Exempli gratia, bonus eſt & bonitatis fons, maluit ergo in ſpecie apparere columbæ, Luc. 3. Matth. 3. Simili item ratione dicitur agnus Dei, &c. Non ergo columba eſt vel agnellus. Quod nè quis rudis ex verbis Apoſtoli colligere poſsit, ibi ſatis eſt cautum. dicitur enim: Vidit ſpiritum ſanctum deſcendentem de cælo tanquam columbam. Sic & hoc loco res ſe habet. Voluit Deus Optimus Maxim. totum mundum ad fidem filij (quod eſt æternum viuere, Ioann. 17.) venire. Non poterat hoc commodius fieri, quam per linguas, hoc eſt, per prædicationem euangelij. Elegit itaque Deus apoſtolos & diſcipulos tanquam Chriſti cooperarios & inſtrumentum ædificij eccleſiaſtici. voluit ipſis ſpiritus ſancti virtutem ſufficere. Optimè itaque eam ſanctiſpiritus virtutem prefignat. Prius vna omnium erat lingua, vernacula nimirum. Nonnè ait (amicus Malchi ad Petrum) tua te lingua prodit eſſe Galilæum? Mundus verò, variis ſibi diſsidentibus linguis, diſsidebat. diuerſitas ea, per diuerſas linguas erat concordanda. Variæ linguæ, vna lingua erant futuræ. Voluit ſapientia æterna, ex monoglottis repentè fieri polyglottos. Huic itaque ſuæ potentiæ operi, etiam in diffiſsione linguarum, præludendum duxit. Neque item diuiſio iſtæc ſine igne fieri potuit potentiæ & gratiæ, clementiæ & bonitatis, &c. vndè ignitas apoſtolicas linguas apparere voluit. Igne diuerſæ res, etiam metalla, ferruminantur. Ignis peruadit & perrumpit potentius, atque elementa alia. Sic enim nulla pax conciliatur, niſi prius omnem duritiem emolliat ſpiritus ſancti potentia. Igne eo liqueſcere habebant omnia idola aurea & argentea. ignis hic conſumere habuit omnem idololatriam & infidelitatem. omnis rubigo peccatorum, igne iſtoc erat expianda. Denique iſtius ignis Numen, omnium noſtrum erat futurum lumen, quod Dei amoris in nobis ignem accenderet, & cæleſtibus chariſmatibus corda fidelium impleret, atque adeo ad ſeruiendum Deo faceret ardentes, hoc eſt, decliues. Hoc ipſum Apoſtolus vocat, feruere ſpiritu Romanorum duodecimo. Sanctus Cyprianus oſtendit, peculiare Deo eſſe, in igne apparere, vt hoc loco, item Exod. 3. &

Variæ linguæ cuius rei præluſerint.

Ignitæ linguæ cuius rei præludium exiterint.

19. &c. libro tertio ad Quirinum. Satan quoquè mentiri solet speciem ignis, æmulus spiritus sancti vt circumeat & imponat. Syrus itaque ille magus quoties loquebatur, apparuit in eius ore flamma, vt crederetur vel sic missus esse deæ Siciliæ cuiusdam. Flammam, ait Florus, inter verba fundebat. Et Maro fingit tale quid de Iulo, dicens:

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Spiritus sanctus itaque ipse, verus ignis, ferebatur supra singulos eorum. Hæc quoque eius est proprietas. Ferebatur super aquas, ferebatur supra Christum in Iordane, Genes. 1. Ioann. 1. Sequitur de fructu spiritus sancti. Repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, iuxta hoc quod illis dabatur eloqui. Idiotæ repetè omnium linguarum peritiam inuenti sunt habere, quemadmodum etiam vides factum Actorum quarto. Oraculo miraculum hoc antè quoquè est designatum. Esaias ait: *Belaschon Ahereth*, hoc est linguis alienis. Cap. 28. prophetæ verbis vtitur Euangelista, quia vtrinque vnus spiritus. Ille futura, hic præterita commemorat. Christus quoquè tanquam rem magni ponderis prædicit, Marc. 16. Apostolus quoquè pluribus de linguarum agit donis, primæ Corinthiorum capite decimoquarto. Ibidem etiam oraculum adducit Esaię iam citatum. Linguæ datæ sunt in signum, ait, non fidelibus sed infidelibus. Infideles per hoc signum ad cognitionem dei erant attrahendi, vndè non sinè certo portento apostolis dabatur repentina linguarum intelligentia & loquendi copia. Daniel olim in Babylone multa cura linguarum didicit proprietates, Daniel. 1. Sed nihil ad apostolos, qui non Chaldaicæ solius, sed omnium sinè omni studio suo consecuti sunt intelligentiam. Ethnicus quidam rex, omnium suorum populorum linguas calluit. Ennius tres linguas callens, aiebat se habere tria corda. Sed quid hæc ad nostros Galilæos viros, qui omnium totius mundi linguarum idiomata intellexerunt, & exprimere potuerunt, qui diuersitatem (de qua dicitur Genesis vndecimo) in pristinam vnitatem restituerunt? Rex ille ethni-

Linguarũ omnium peritia apostolis repentè contigit.

cus ſuorum populorum linguis loquens, quid aliud loquebatur, quàm vanitatem? Ennius quid aliud, quam rancida pangebat carmina? Apoſtoli noſtrates magnalia loquebantur Dei, quæ multi reges & prophetæ, quantumuis hoc cuperent, non ſunt conſecuti. Hic Dauidis ſtylus Pſalm. 44. Hic lingua auro præſtans & argento Salomonis, Prouerbiorum 10. Hic docta lingua Eſaiæ 50. Hic multi loquũtur rectè, Marc. VII. Habent ethnici ſua apophthegmata, nos habemus Dei magnalia. Hic quod ethnicorum apophthegmatôn facio mentionem, in cauſa eſt contextus Græcus, qui ſequitur:

Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt. Facta autem hac voce, conuenit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Tanta Dei magnalia, tot & tãtos teſtes poſtulabant. Regum arcana tegenda, magnalia Dei paſsim proferenda atque prædicanda. Lucas teſtes vocat vim atque manũ eam, quæ tum Solymas propter feſtum diem venerat. Hoc ipſum lex voluit Exod. 23. Deut. 16. Certum eſt tunc etiam multos illuc veniſſe ethnicorum: qualis fuit regina Sabæorum, & eunuchus reginæ Candaces, & hoc genus alij, religionis & ſapientię ſtudioſi. Tantæ æſtimationis erant *Sanhedrin*, hoc eſt, *Rabim* & templi ſacerdotes, vt totum orbem proſelytis implerent. Denique item fama Chriſti miraculorum, reſurrectionis item & aſſcenſionis, regiones confines commouit omnes. Quis ergo dubitet, etiam huius rei veritatis pernoſcendę optimos quoſcunque viros vndecunque illuc conuolitaſſe? Neſcias, an tunc cum Titus vrbem plenam hoſpitibus peregrinis obſidione cinxit, copioſior fuerit hominum frequentia, quàm ea de qua iam agitur. O feſtiuam & beatam celebritatem ciuitatis ſanctæ non pœnituit aliquem illuc mouiſſe pedem. Nunquam talia ibi viſa ſunt anteà & audita. Quid autem? Viros Galilæos in hac ſancta die vident partim adhuc ſedere in triclinio, partim in populi conuentibus & cœtibus, diſpertitis linguis, & iis ignitis, audiunt eoſdem repente omnium linguis loqui non vanas philoſophorum opiniones, ſed oracula exponere prophetarum, & om-

Hieruſalẽ quando miracula plurima vidit.

nia oracula proferre diuina. Hic theoreticis relinquo considerandum, quod S. Gregorius commemorat de puero in cœlum rapto, & ibi linguarum dono repentè exornato: sic vt in hunc mundum remissso, cum Græcis Græcè, cum Bulgaricis Bulgaricè, perfectè, loqueretur, &c. quanuis antèa quam in cœlum raperetur, nullam, nisi Italicam calleret linguam. Sed nos ad sequentia porrò abeamus.

Stupebant autẽ omnes & mirabãtur, adinuicem dicentes: Nõ nè eccè omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram in qua nati sumus?

Excitare Hierusalem, & vigila tibi. Eccè tibi sonitus spiritus vehementis insonuit. Vide linguas diffissas, & eas igneas: audi & ęstima, linguarum omnium dialectos loqui viros Galilęos: audi quid loquantur, an gerras Siculas, nécne, Considera, quanta Dei sit misericordia, ad pœnitentiam te excitans. Sacrilegium patricidale tu cõmisisti, repentinum interitum merita es: sed eccè contra tuum meritum, maximo omnium miraculo, ad pœnitentiam te inuitat Deus. Verum si nolueris, linguæ dispertitæ & flammantes illæ, grandia tibi minitantur. Te Dominus, reiectis omnibus nationibus, ad regnum Christi sui conuocauit. Cõuoca ergo cœtum, coi, & super hoc grandi consulta miraculo. Consule tuos prophetas: caue, sis, in æternam mortem dormias. Attende & considera, quale commiseris piaculum. possunt hoc, modò velis, expiare linguæ Christi discipulorum igneæ. Verum si pertinax perstiteris, ignis tibi excidium & grande minatur supplicium. Ignis est, diuinus est, resistere non poteris. Tota vrbs est stupefacta & mente confusa: coitur, consultatur. Nõnè, aiunt, hi qui loquuntur, Galilæi sunt, piscatores & rudes laici atque idiotæ? Vndè illis tanta omnium linguarum experientia? vndè tanta rerum diuinarum scientia? Matth. 13. Scimus eos literas nunquam didicisse, Ioan. 8. Quam quisque linguam, vbi natus est, didicit: eam Galilæi hic perfectè exprimunt, Dei magnalia proferendo. Quidnam hoc sibi vult? Portendit aliquid Dei potentiæ instans ter maximum. Talia sinè dubio inter sese Iudęi colloquia miscuere, & nihil hac in re errauere. Euangelion regni cœlorum, in vniuerso,

Ignis cõsolatorius si malè et minabũdus.

mundo erat prædicandum: ad hoc datæ linguę. Qui Dei est, Christo adducetur: reprobi cæteri omnes, per Christum condemnabuntur. Legis finis, templi finis, sacrificiorum instat finis: eccè noua iam fient omnia.

Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudeam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & proselyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Fac esse, ex singulis nationibus non admodum multos Solymis fuisse testes. Fieri enim non potest, quin ex aliis regionibus plures, ex aliis pauciores, ad diem festum cõ fluxerint. Non tamen reticendum, ex tot regionibus ibi tunc homines religiosos plures fuisse, tanti miraculi testes & propagatores vocatos. Tanti miraculi fame, euãgelicę prędicationis præparatio fuit non parua.

Parthi. Parti, erant Iudæi ex Parthia, quæ est regio maioris Asiæ prope Persidem & Hyrcaniam. Fortè Psophis rex Persarum, eam iam sibi habet subditam, Olim eius regionis reges, vocabantur Arsaces. Marcus † Antonius huius gentis in bello virtutem est satis expertus. Parthos hosce vnà cũ aliis hic subscriptis populis, Magnus Pompeius subactos Romanorum subdidit Imperio. Vide Plinium lib. 7. cap. 26.

Medi. Medi dicuntur hic, Iudæi in Media nati: etiam est regio Asiæ, haud procul à Parthia. Habuerunt olim suos reges, * quos Babylonicum regnum * extinxit, atque regnum hoc sibi † incorporauit: vt videre est apud Hie. 51. Esther 1.

Elamitæ. Elamitæ, Iudæi qui ex Elamide erant, significatur. Elamidis ad Mediam & Persiam recensebatur. Natio erat, trahens nomen ab Elam filio Sem. De populo istoc legitur Gen. 14. Esa. 11. Hier. 49.

Mesopotamia. Mesopotamia, regia maxima est in Asia vltra Syriam. Poteris hanc nationẽ etiam vocare Assyriam siue Chaldæam. Sic dicta est indè, quod media duobus fluuiis Euphrate & Tigri clauditur. Hebræi vocant *Aram Naharim*, ab amnibus hisce, non secus atque Græcis dicitur Mesopotamia. Sunt qui vertant Latinè Interamma, Germanicè zvviſſenvvaſſern.

Iudæa. Iudæa, nota est regio. Vult Euangelista, ex omnibus Iudææ partibus aduenas tunc Solymis fuisse.

Cappadocia. Cappadocia est regio Asiæ iuxta Armeniam, dicta à nomine fluuij sui Cappadox. Alias verò dicitur Leucosyria, Germanicé Vveisʒyrien. Olim habuit ciuitates Christi nominis insignes, & grauissimos Christi confessores. Eius regionis mentio fit 1. Pet. 1.

Pontus. Pontus est ingens pars Asiæ ad mare Ponticum siue Euxinum: complectitur Cappadociam, de qua iam dictum est. Mithridates rex pręclarus ille, hac regione prę potens rex erat. Trapezuntum ciuitas nobilis, quam hodiè Turca sibi subditam possidet, in hac sita est natione. Hinc Aquila, qui indè quoque dictus est Ponticus, erat ortus.

Asia. Asia non regio solum est siue natio, sed tertia pars orbis: quarum aliæ vocantur Aphrica & Europa. hodiè quartam adiiciunt, Americam insulam hisce temporibus inuentam. Asia diuiditur in magnam & minorem. Olim ibi floruit fides Christi, * quem fere suppressit diabolica secta Mahumetica. Huius Asiæ frequens fit mentio in nouo testamento.

* for. quã

Phrygia. Phrygia est regio minoris Asiæ, & ea distincta erat in minorem & magnam. Mysia & Bithynia etiam in Phrygiæ nomine exprimebantur. Troia fabulosa sita erat in minori Phrygia. Vtranque apostolus Paulus euangelizando peragrauit, Act. 16.

Pamphylia. Pamphylia item regio Asiæ, primò à rege Mopso dicta Mopsopia, cõfinis Ciliciæ & Lyciæ. Apostoli nostri huic & aliis regionibus exteris satis erant cogniti, vt videre est Act. 13.

Aegypt. Aegyptus, regio est non minus fidelibus nota, quam Iudæa. Nilus nobilis amnis, nationem eam fœcundat. Eius reges olim vocabantur Pharaones & Ptolemęi, nõ modo Israeli, sed & Romanis cogniti. Sultanus iamdudũ eam suæ tyrannidi coniunxit. Hebræi vocant *Mitzraim*, à filio † Ham. Nulla natio tantis vrbibus & memorabilibus est nobilis, atque Aegyptus. Christi quoque nomen ibi prædicatum esse, religionem nostram ibi prę cipue floruisse, vel inde liquet, quod potissimum ibi anachoretæ & monachi vitam degisse leguntur.

Libya. Libya iuxta Cyrenen, Aegyptum habet ab Occidente: aliâs etiam dicitur Aphrica, quanquam Aphrica plures complectatur nationes. Ferunt duas esse Libyas. Ad differentiam alterius, euangelista hic signanter loquitur, vocans eam, Libyam eam quæ est circa Cyrenen. De Cyrenensi synagoga legis Act. 6. Altera Libya Aethiopiæ adscribitur.

Romani. Romani hic dicuntur, Iudæi qui ibi erant orti, atque indè ad solemnitatem venere. Apostolus quoque Paulus, Romam appellando, vtique sese Romanum causabatur.

Proselyti. Proselyti dicebantur, qui iudaismum vltrò suscipiebant: qualis fuit pius ille Achior, de quo legis in lib. Iudith. item impius Herodes. Proselytus Germanicè dicitur Ein zukomling, aduena Latinè. Hebræi vocât *Gerim* vt vides Ezech. 14.

Cretes. Cretes, Iudæi ex Creta insula Græciæ. Ea centũ habuit ciuitates, vndé etiam dicebatur Hecatompolis, ad quod alludit hoc virgilij:

Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna,

Aeneid. 3. Et Ouidius 13. Metamorph. Cretam te, centumque relictis Vrbibus. Hodie dicitur Candia. Veneri eam suæ ditioni subiecere. Cretensium qualiscunque mentio fit Tit. 1.

Arabes. Arabes Iudæi in Arabia nati, hic dicuntur. Inter Iudæam & Aegyptum hæc regio est sita. Trifaria est: Petrosa, Deserti, & Opulenta. In ea est situs mons Sinai, in ea est mare rubrum, item populi Moabitæ, Ammonitæ, & Edomitæ. Hodiè omnes vocantur Saraceni. Arabs fuit, venenata, & infernalis radix Mahumetus. Mecha, eius regionis est metropolis, vbi pestis ea & draco infernalis sepultus est.

Aduerte frater, aut Turcicam, aut alias Mahometisticam tyrannidem, omnes has regiones occupare, procul dubio culpa nostratium, qui reformare abusus pompæ, superstitionumque variarum supersedere. Viderit de nobis Deus. Nationes præmissæ omnes, audierunt apostolos suis linguis loquentes, & obstupuerunt. Verisimile non est, nec item receptum, quod aliqui dicunt, Hebraicè apostolos fuisse locutos, & eam linguam omnes intel-

nes intellexisse. Quod contra textum est euangelistæ. Non contigit donum hoc spiritussancti nationibus hisce iam recensitis, sed apostolis: qui non vna, sed variis linguis dicuntur esse locuti. Quid verò? *Rabreban ha Elohim*, hoc est, magnalia Dei. Deo pleni apostoli, magnalia Dei non potuerunt non eructare. Tanta, quæ eloquebantur, Dei arcana, Iudæi vocant aut *Gedoloth*, hoc est magnifica, aut *Niphlaoth*, id est, mirabilia: aut *Noraoth*, hoc est, terribilia. Sunt autem, Creatio, Diluuium, Abrahami progenici exaltatio, Pharaonis submersio, Legis latio, Terrę Chanaan collatio, Dauidi facta promissio. Omnium verò maximum fuit hoc, quod omnia hæc designauerunt, quod prophetarum oracula omnia præcinerunt, Emanuelis aduentus in carnem, qui erexit nobis salutis cornu, Luc. 1. O cornu eius virtutem agnoscentes, ad eius iustar nos reformemus. Virtus spiritussancti hoc ipsum in nobis efficiat, hoc ipsum in nobis inspiret, ad suam solius gloriam, qui cum patre & filio vnus est Deus per æterna secula. Dicat omnis ecclesia, *Ieamen*, hoc est, Amen. *Magnalia Dei.*

IN EODEM DIE SANCTO PENtecostes, Euang. Ioan. 14.

SI quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

PRAEFATIO

LEctio quoque presens ad copiosam orationem, consolationibus exuberãtem, quam sub passionem suã sacrosanctam Christus noster saluator habuit, pertinet. Sermo, qui singulari affectu colatur, dignissimus: quippe diuinum spiritum & vitam æternam præsentissimè spirans. A festo Paschę vsque in hanc festam lucem, aliquot lectiones ex illo sermone sumptas', charitas vestra audiuit. Videtis itaque, quàm inuigilet ecclesia illũ sermonem omnibus facere commendatissimum. Conatum eum suum hodiè præsenti lectione absoluit, nihil ex sermone eo nũc porrò in ecclesia legens: reliqua quæ supersunt, cuiusque domesticæ lectioni legenda relinquendo. Sex sunt præcipuè, quæ præsenti nobis lectione exhibet. Primò, Dominus nos ad sui amorem prouocat.

Secundò, Amorem eum suum promissionibus certis exornat. Tertiò, Loquitur de spiritu sancto, & de officio eius, quod illi in ecclesia Christi intercedit. Quartò, pacem suis pollicetur. Quintò, Corda suorum tristitia planè oppleta releuat. Sextò, certiores suos reddit, principem huius mundi sibi nequidquàm insidias moliri. De secundo & primo:

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Audite charissimi, audite qua diligentia Christus nobis sui amorem credat. Principio, ne quis hic erret, qui sui verus amor existat, tradit: Dein eius ignis vsum docet. Primò ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. O sedulitatem optimi magistri, O crassam & damnabilem cęcitatem eorum, qui hęc tam clara verba sibi-ipsis obscurant. Christum amare, est eius verbum seruare. Quid sibi ergò nouus euangelista vult, qui renatum hodie, quasi ab integro blaterat euangelion? Rectè de nouo euangelio, quod nemo vnquàm sanctorum habuit, gloriaris. Est autem tale euangelion nouum, quòd neque amorem ex præceptorum Dei obseruatione, neque iustificationem ex hoc amore & præceptorum Dei cultu, æstimas. Vetus euangelium, nostrum euangelion, verum euangelion, quod traduce sacra, serie succedentium sibi sanctorum accepimus, hoc loco fulcitur. Docemus siquidem charitatem, fidei iustitiam exornantem & complentem, Iac. 2. Vides quòd fides adiumento fuerit factis illius, & ex factis fides perfecta fuerit? cap. 3. Fructus iustitiæ in pace seminatur faciẽtibus pacem. 1. Ioan. 3. Qui facit iustitiam, iustus est. Hanc nostram doctrinam alibi ex locis Rom. 13. Gal. 5. adstruximus. Viderint noui euangelistæ, cui nitantur fundamento, Ecclesiam temnunt, scripturam misèrè lacerant, Christum quoque ipsum dissoluunt: neque enim docentem plenè recipiunt, exempla penitùs negligunt. Vetus euangelion certum & firmum habet fundamentum, Christum facientem & docentem, charitati absolutam iustitiam tribuens, 1. Cor. 13. Iacobi 2. Hæc est sapientia illa, de qua saluator ait: Omnis qui audit sermones hos, & facit eos, assimilabo eũ viro prudenti, qui ædificauit domum suam sũper firmam petrã.

Amorẽ sui Christus nobis maxima credit diligentia.

De hoc veteri euangelio dicit ſanctus Auguſtinus: Dilectio ſanctos diſcernit à mundo, quę facit vnanimes habitare in domo: in qua facit pater & filius manſionem, qui donant & ipſam dilectionem, quibus donant in fine etiam ipſam ſuam manifeſtationem. Sed ne noui euangeliſtæ, veteres Philiſtini, hic cœno noſtrum laborem obſtruant, dicẽtes Chriſtũ hic non loqui de obſeruãtia præceptorũ Dei, ſed de verbo ſuo: nouerint, Chriſtũ ſeſe ipſum declarare, pauloantè, vbi obiectionẽ hanc Iouinianiſticã præoccupat, dicens: Qui habet præcepta mea, & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit. Accedit, quòd & verbũ Dei, paſsim in ſcriptura pro præceptis accipitur. Et friuolum penitùs eſt, quod dicunt, ſermonẽ Dei ſeruare, eſſe fidẽ per verbũ in corde retinere. Sed Ioan. 8. hæ nęniæ prorſus cõfutantur, quod alibi craſsiori Minerua docuimus: nunc breuitatis cauſa, ſaltem vnũ Chriſti exemplum adiiciemus. Chriſti vnicũ exemplũ, quod hodiè in præſenti loco proponitur, quod archiexemplum dicendum & habendum cenſeo, adducendum puto: Vt agnoſcat mundus, ait, quia diligo patrem, propterea quemadmodùm mihi præſcriptum eſt à patre, ſic facio. Eccè tibi, quicunque pius catholicus es fundamentum certum & firmũ: fac ergò veritati acquieſcẽs, ad Sirenarum voces obſurdeſcas. Qui charitate pditus eſt, qui igne diuino flagrat, haudquaquàm onere præceptorũ Dei grauabitur. *Hic ipſum vt Chriſtus toti mundo teſtaretur, ad confutationem nouorum euangelicorum, prouinciam non modò docendi, ſed & faciendi ſubiit. Euangeliũ catholicorum eſt, in Chriſtum baptizari, & facere quæcunque ille nobis præcepit: lex perfectæ libertatis, ne regnet peccatum in mortali noſtro corpore. Neque obſeruantiam Dei præceptorum, Chriſti merito & ſpiritu ſancto editam, peccaminoſam & damnationis æternæ meritoriam eſſe, ſed Deo patri ſupra omne ſacrificium legis Moſaicæ gratam, iuxta hoc quod ait: Et pater meus diliget eum. Quem verò diliget? Iniuſtum? Abſit, ſed iuſtificatũ. Quę verò conſummatio iuſtificationis? Si quis, inquit, diligit me, mandata mea ſeruat. Amat pater natura omnes, opuſque manuum ſuarum agnoſcit: obſeruantes verò ſui, pietate pollentes, propriè & ſpecialiſsimè tanquàm

Euangelicorum fratrũ cauillis diluũtur.

*for. *Hoc*

amicos ſuos amat, & cum Abrahamo aliiſque patriarchis, amicos ſuos vocare non erubeſcit. Quid hac promiſsione maius? quid iucundius? Promiſsionem hanc ſi quis verè credenti corde receperit, nihil ille amicitiam huius mundi & eius dominorum, nihili gloriam faciet omnis carnis. Ignis ille dius ita ſcintillat, vt eius ſplendore, omnis ſplendor totius mundi protinùs euaneſcat. Sed hactenùs promiſsio ſe non ſaltem arctat, latiùs enim exerit. Sequitur ergò: Et ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Attende verba, ſigna myſteria. Venire, & facere. O profunda verba. Verbum veniendi, importat ſingulare aliquod donum. Vbique Deus, ſed non vbique æquè glorioſus. Venit itaque maioribus chariſmatibus. Habenti dabitur, vndè ignis hic diuinus linum fumigans non extinguet, Eſaiæ 42. Matthæi 12. Si quem operoſum inuenerit amicum, illi ſe viciſsim (quod cum venia nouorum euangeliſtarum dixero) operoſum exhibebit. Qui hoc? Manſionem cõſtruet ſibi ſancta Trias apud eum. O maieſtatem, O pondus verborum. Manſionem, inquit, faciemus apud eum. Vult ergò vt faciat homo: ſic enim fiet, vt & ipſe operetur. Qui dicit: Hoc fac, & viues: idem dicit: Ad eum veniemus, & manſionem apud illum faciemus. O apparatum, ô opus. Dic noue Euangelizaſter, poſsit ne Deus veniens habitationem ſibi in homine perficere iniuſto? Obſerua catholice, verba Chriſti eſſe certiſsima. Caue igitur, Vitiligatores nouos euangelicos perpetiaris ea peruertere, & quoquouerſum torquere. Homo cuſtodiens mandatorum Dei, vtique iuſtus, cùm ex fide, tum ex ea Dei præceptorum cuſtodia, templum & habitatio Dei fit. Faciunt ſibi manſionem pater, filius, & ſpiritus ſanctus, hoc eſt, hominẽ ſanctum ſanctificant adhuc, iuſtum iuſtificant adhuc, amorem perpetuant, & fidem informant, exornant, maioribuſque ſubindè charismatibus beant. Ornata domus, ornatiſsimi Domini argumentum exiſtit. Hoc loco diſce ſenſum genuinum verborum ſancti Pauli 1. Cor. 3. 6. 2. Corint. 6. Ephe. 2. vbi dicit, nos eſſe templum Dei viuentis, etiam ſecundùm corpus. Idque dicit iuxta ſcripturam Leuiti 26. Eſaiæ 52. Habitabo in eis, ponam tabernaculum meum in medio eorum, non eiiciet eos a-

Venire Dei quid.

Templum Dei eſt homo.

nima mea, sed ambulabo inter eos, & ero Deus eorum, & erunt ipsi populus meus. Sed qui erunt populus eius, templum & habitatio eius? Natura filij Abraham, dicentes, Domine Domine? atque baptizati, opera bona negligentes? Haud quaquàm, sed fidem viuidam operosamque Abrahæ referentes. Vndè ibidem Leuitici. 26. ait, & paulò antè: Si mandata mea custodierint, si in præceptis meis ambulauerint, & fecerint ea. Hæc constructio, hic apparatus & ornatus domus Dei, est donum Dei, ne quis glorietur. Neque enim nos illum (vt in præcedenti dictum est sermone) amauimus. Sinè me, ait, nihil potestis. Pater est agricola, palmitem fœcundum purgans, vt copiosiores fructus edat. Hæc est illa habitatio Dei in nobis, 2. Corin. 6. Huius ædificationis spiritus sanctus est architectus, non Moses & alius quicunque homo. Atque hęc de charitatis vsu: nunc de iis qui charitate sunt vacui, dicamus.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Maius dicit, & minus vnà complectitur. Non facit Dei voluntatem, non custodit legem. Sequitur ergò, quòd neque eloquia oris Dei diligit super aurum & topazion. Non meditatur in lege Dei die ac nocte. Non credit Salomoni Prouer. 3. dicenti, conquisitiones sapientiæ diuinæ præstare auro & argento. Non obaudit spiritui sancto, dicenti ibidem cap. 8. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis quàm aurum eligite. Villam & iuga boum quina emere, vxorem ducere animum induxit. His in rebus acuti sunt filij huius seculi. Ex fructibus arborem æstimat diuina sapientia. Sermones meos non seruat, inquit: ergò & me non amat, ergò & iustitiæ non est esuriens & sitiens. Obserua diligentiam magistri, & te diligentem præbe discipulum. Quod Christus suprà adfirmatiuè asseruit, idem nunc negatiuè adstruit. Audistis, omnem thesaurum nihil esse collatum verbo Dei: rogas ergò, vndè ista preciositas verbo Dei contingat? Audi Christum hoc in sequentibus docentem:

Verbum humanũ vndè dicatur. Verbum Dei quid sit.

Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, patris. Non est meus, hoc est, non est humanus. Sic suprà eodem dicitur: Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

Verbum humanum, verberans aërem vox est. vndè etiam, teste Bernardo, verbum dicitur. Verbum Dei est ipsa potentia Dei. Dixit siquidē Deus, & omnia facta sunt. Sed quid est, quod iam audiuimus eum dicentem: Qui non diligit me, sermones meos non seruat? Attēde Christum verum Deum esse & verum hominem. Quod dicit, Sermones meos: se verum Deum, consubstantialem patri & spiritui sancto, adfirmat: quod dicit, Non est meus, se verum hominem declarat. Augustinus facit differentiam inter sermones, & sermonem: per sermonē, accipiens verbū hoc, quod erat in principio apud Deū, hoc nimirùm quod Deus ipse erat, Ioan. 1. Et hęc interpretatio facit ad verbi Dei prædicationem. Verbum potens, immò omnipotens est, quia Deus est. Certum est, quia ipsa existit veritas. Vide canonem 1. q. 1. Interrogo.

Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

Verbum Dei Deus sine Deo non capitur.

Verbum Dei, ipse est Deus. Non est ergò humanarum virium, verbum hoc citra spiritum sanctum, id est, sinè Dei gratia capere. Infrà ergò cap. 16. ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modò. Quē cæli cælorum capere non possunt, quomodò eum dignè pro re compræhenderit angustia mentis humanæ? Nunc postquàm spiritus sanctus capaces nos verbi facit, liquescit, & eum verum esse Deum, vnum cum patre & verbo esse numen.

DE SPIRITV SANCTO.

HIc vt etiam de Spiritus sancti numine dicamus, locus est. Sed quem cæli cęlorum capere non possunt, quomodò illum humana exploret lingua? Verùm quoniam dignè prædicare non possumus, non ergò tacebimus. Sol, luna, stellæ, volucres, pisces, bestię, ignis, aqua, terra, aër, & omnia quæ creata sunt, ipsum spiritum sanctum prædicant, suumque fatentur & venerantur plasten. Vndè & homo meritò quibuscunq; modis poterit, ipsum paracletum extollit & fatetur, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benesonantibus & iubilationis. Paruitatem nostri ser-

monis ipſe ſpiritusſanctus in cordibus veſtris dignetur facere ampliſsimã. Fidem nobis largiatur cum ſimplicẽ tum puram, vt iam in ſpeculo fidei cõtemplemur, poſtea facie ad faciem viſuri. Interim ſcripturæ adhærebimus ſacræ. Scriptura vtriuſque teſtamenti euincit. Spiritum ſanctũ cum patre & filio vnũ eſſe numen, tres perſonas, vnã eſſentiã. Hoc eccleſia catholica fide orthodoxa ſemper credidit. Pneumatomachi hac in fide aberrantes, etiam vniuerſalem eccleſiam (vt hæreſis carcinoma eſt) vitiare conabantur. Arrianus, Macedonius, diabolicus ille hæreticus, huius erroris præcipuus extitit author. Sed vicit veritatis columna eccleſia. Paracletus ipſe ſpiritus, ex hæreticorum ea adſpergine efficacem aduerſus omnem hæreticorum tabem medicamentum præſentiſſimum effecit. Extant inter alia eccleſiaſtica monumenta, tres libri diui Ambroſij de ſpirituſancto ad Gratianum Cæſarem. Extant & totidem libri Didymi Alexandrini, quos Latinè reddidit ſanctus Hieronymus. Hi duo columnæ eccleſiæ, ex vtroque teſtamento tantum aceruum ſcripturæ coaceruauerunt, vt tanto theſauro etiamnum ſe gaudeat eccleſia locupletatam. Vides catholice quid debeas patribus, vides quarè diabolus hæreticos inſtiget ad detrahendum columnis eccleſiæ. Spiritusſanctus qui olim per prophetas eſt locutus, qui & per ſapientes, Salomonem, Ieſum Sirac, Philonem & alios, ſua myſteria huic mundo protulit, nunquid ille in nouo teſtamento ab apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra tempora obmutuit? Nunquid eccleſiam, cui propriè eſt promiſſus, hactenus dereliquit? Non dereliquiſſe, ſed prophetas, doctores & rectores, iuxta atquè apoſtolos & euangeliſtas eccleſiæ ſemper abundè præfeciſſe, Apoſtolus Epheſiorum quarto, teſtis eſt. Faceſſant ergo & abeant in malam rem nouitij Euangelicaſtri, qui ſe ita hodiè de genuino ſcripturæ ſenſu oſtentant, quaſi ſpiritusſanctus hactenus Endymionis ſomnium dormierit. Hęreſis antiqua nouum euãgelium, ſi patrũ gloriam omninò ſuppreſſerit, quid aliud ſperare poſſumus, quam Arrium, Eunomium, Macedonium, & omnes denique hęreticos emerſuros? Dibaphi noſtrates & Sacramentarij, eius rei vt clarum, ita & horridum exemplum exiſtunt.

Spiritusſanctus cũ patre & filio vnum eſt numẽ.

Credit ecclesia catholica atque orthodoxa, spiritum sanctum à patre & filio, non factum nec creatum, sed procedentem, vnum numen esse cum patre & filio, hoc est, Deo patri & filio esse consubstantiale. Hic spiritus consolatorius in die Pentecostes sacra, discipulis quidem illapsus est, iuxta sacram historiam Actor. 2. sed non tunc incepit esse. Neque enim instar aliorum ventorum ex aëre agitato atque commoto (sic enim de ventis ratiocinantur) formatus est, sed plastes ipse è cælo venit. Plastes, inquam, ipse: quia in principio & ipse creaturæ opifex erat. Genes. 1. siquidem dicitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Non auster, non aquilo, qui necdum erant, sed qui est æternus & immensus, spiritus qui Deus est ipse, Ioann. 4. Pios ab illo tempore spiritus ille semper rexit, & tãquam peculium possedit, impios auersatus, Gen. 6. Quod verò piis semper sit moderatus, habes in exemplo Iosephi Gen. 41. Quod omnigenis donis, etiam artibus, donauerit mortales spiritus almus, vides exemplum Bezaleel Exod. 31. Dominus pacis & vnitatis author, præclarum typon sacræ ecclesiæ traducis præsignauit, Nume. 11. accipiens de spiritu Mosis, & de eo tribuens septuaginta viris ad hoc electis, non Mosis spiritum extenuans, sed vt ecclesiæ traducis figuram præmitteret. Cæterum quemadmodum neque fonti aliquid detrahitur, si quis ex eo bibat: neque funalis flammæ, si quis candelã ex ea accendat: sic Mosis spiritui nihil dempsit, quum eo septuaginta viros adimpleret Deus. Gene. 41. clarè dicitur Ioseph in Aegypto, *Ruah Elohim*, id est, spiritum Dei habuisse. Iosue quoquè spiritu Dei præditum fuisse, habes Num. 27. De Gedeone, Samsone, & de aliis ducibus, quos scriptura spiritum Dei habuisse commemorat, tacebimus. De prophetis hoc saltem adducemus, Helisæum Heliæ spiritum sortitum, sed duplicatum, secundum mensuram donationis spiritus sancti, 4. Reg. 2. Spiritu sancto alios quoque prophetas locutos esse, vides 1. Petr. 1. 2 Petr. 1. Denique in sancto sanctorum Christo Iesu plenissimè est declaratus. Christus siquidem per spiritum sanctum est conceptus, Luc. 1. Mat. 1. Hæc est prima vnctio Christi regis Iudæorum & pontificis summi. Dein statim à partu succreuit puer, corro-

Spiritus sancti opera ab æterno ostendi possunt.

boratusque in spiritu, Luc. 2. In baptismo innitebatur illi, Matth. 3. Posteà statim à spiritu ductus est in desertum, & in omnibus illi adfulsit plena lampade: neque enim ad mensuram dedit Deus fideli seruo suo Dauid, Ioan. 3. Et hæc est alia vnctio, de qua dicitur Esa. 61. Luc. 4. Caue vnctum verbum intelligas, quia è verbo procedit pneuma. Secundum humanitatem Christus dicitur plenus spiritu, Ioan. 1. Psal. 40. 132. ¶ Neque silentio prætereundum est, etiam in veteri testamento nomen spiritus sancti celebre fuisse. Psal. 50. Spiritum sanctum tuum nè auferas à me. Sap. 9. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum de altissimis? Eccl. 1. Disciplina sapientiæ cui reuelata est & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Vnus est altissimus, &c. sequitur: Ipse creauit eam in spiritu sancto. Denique Esaias ait cap. 63. Afflixit spiritum sancti eius. In hunc locum proculdubio respexit Apostolus, Ephe. 4. dicens: Spiritum sanctum nolite contristare. Item propheta idem eodem cap. dicit: *Ruah Kados*, Vbi dicit, Deum spiritum sancti sui in medio populi sui posuisse. Et Didymus citat hunc locum libro secundo. ¶ Nunc porro spiritum sanctum verum Deum esse, ab effectu, opere, proprietate & officio perdiscamus. Effectum verò siue virtutem spiritus sancti, nomina, quę illi scriptura tribuit canonica, satis superque exprimunt. Spiritum sanctum nos Germani vocamus, Den heiligen Geist: nec satis constat, quid sibi vocabulum Geist velit. Neque enim conuenit Hebraico *Ruah*, neque Græcanico πνεῦμα: quod verti potest flatus, flamen, spiritus, &c. Germanicè V Vind. Verisimile, hoc vocabulum Germanicum Geist, alludere ad canticum ecclesiæ, Dulcis hospes animæ: vt sit Geist quasi gast. Spiritum sanctum hospitem esse animæ, vides Rom. 8. 1. Cor. 3. Gal. 4. &c. Flatus dicitur, quia spirat vbi vult, & nescias vndè veniat, aut quò vadat, nec sit qui illi poterit resistere, quamuis hoc Psylli in Aphrica aliquando attentauerint. Poëtæ aptum epitheton vento tribuunt, dicentes rapidum. Dicitur & aura ventus, quia haud secus, atque zephyrus, corda lassa recreat, & ad labores subeundos animat. Cephali fabula, eius rei non obscurum exemplum habet.

Spiritus sancti nomẽ etiam in veteri testamẽto celebre.

Spiritus sanctus ex suorum operũ effectu Deus declaratur

Spiritus sancti nomina.

Quidquid id est solaminis, quod aura corpori humano confert, hoc animæ præstat flatus supernus. Et quoniam spiritussanctus secundū nobilissimas linguas, Hebræam & Græcanicam, nomine venti præcipuè exprimitur, ipse spiritussanctus in die Pentecostes tanquam impetus venientis flatus aduenire maluit, Act. 2. φερομένης πνοῆς, hoc est, aduenientis flatus. πνοὴ flatus. Huc pertinet quod insufflauit Dominus in discipulos, dicēs: Accipite spiritum sanctum. Ioan. 20. Nec abludit quod dicitur Gene. 2. Insufflauit, quia & idem verbum est apud Ioannem & in Genesi, ἐνεφύσησεν. In Genesi autem inspirauit homini spiraculum vitæ corporalis, nunc spirituali vita gratia reformat hominem, quod ita in sermone S. Cyprianus submonet verè diuino. Philosophi spiritūsanctum vocant animam mundi, Deum quoquè vocant mētem vniuersitatis, diuinæ potentię assignando, quod Luna, mare, aër, terra, vigeant atque regantur. Aura hęc olim audita Heliæ, 3. Reg. 19. Potestas hæc spiritus, olim suscitabit nos, iuxta hoc Eze. 37. Scietis quia ego sum Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, & eduxero vos è tumulis vestris, populeus, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis. Atque hæc de nomine spiritus. Vocatur & Dei digitus. Hoc scripta lex in tabulas lapideas Exod. 31. hoc & cordibus nostris ea quotidiè inscribitur, Hie. 31. Hoc ita vides Mat. 12. & Luc. 11. Dicitur & arra, quia pignus est certum: ἀρραβών, hoc est, signum & arrhabo, quo obsignamur, hoc est, certificamur de beatitudine ęterna, deq; hęreditate paterna, Eph. 1. 2. Cor. 1. Dicitur & chrisma, id est, vnctio interior, qua vngimur vnctione vtriusque dignitatis, sacerdotalis nimirum & regiæ, fortitudinis puta & omnigeni boni, 2. co. 1 Hoc chrismate vnctus est & ipse Christus, Psa. 44. Heb. 1. Act. 10. De hoc chrismate dicitur 1. Ioa. 2. Vnctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis. Item ibidem: Ipsa vnctio docet vos de omnibus. Existhac vnctione nos quoquè Christiani dicimur. Prætereà & paracletus dicitur. hoc est, exhortator & consolator. Aptissima duorum nominum copula. Nam qui nos solatur in anxietate, idem & admonet in tranquillitate. In cruce & afflictione lenit, suggerens tot promissiones gratiæ & gloriæ, dilatat in tribulatione.

Spiritum sanctū etiā norūt philosophi

Spiritussanctus aptè & verè dicitur paracletus

Psa.4.Ille item inclinat cor nostrum in testimonia Dei, auertens nos ab omni auaritia: cantabiles facit nobis iustificationes Dei in loco peregrinationis nostræ. Viam mandatorum Dei currimus, illo dilatante corda nostra, Psa.118.Hoc est gaudium spiritus,de quo Rom. 14. Hic ducit volentes,Rom.8.ducit filios Dei,Ga.3. Dicitur ergo & spiritus libertatis,& adoptionis filiorũ Dei, Ro.8. 2.Cor.3.Adeo tã exhortatio,quam cõsolatio,necessãria. Nisi enim ille nos admoneat,nosq; volentes ducat,tranquillitas iners & vitiosa erit. 1.Ioan.2.dictio Græca paracletos,à catholicis legitur aduocatus reddita.Hilarius etiam sic in multis locis vertit. Aduocatus vero noster creditur,quod in nobis ingemiscit ad Deum gemitibus inenarrabilibus. Breuiter: quidquid in nobis boni est, hoc operatur bonus ille spiritus:vndè pro variis effectibus bonitatis eius in nobis,varia adhuc nomina habet: sed nos breuitatis gratia adhuc vnum adiiciemus, nempe hoc,quod & δύναμις,id est,virtus dicitur, Luc.1.virtus putà altissimi.Et idem euangelista cap.24:ait:Sedete in ciuitate quoadusquè induamini virtute ex alto.Iuxta promissionem eam hodiè spiritu potenti,virtute altissimi repleti apostoli. Nemo ergo spiritui illi, qui in ipsis erat,resistere potuit, Act.3.6.Luc.21.Dynamis ea,etiamnum in fidelibus fortior spiritu huius seculi, per hanc triumphat & stat, quicunque triumphat & stat. Porro quia omnia ita operatur,vt nescias vndè veniat,aut quò vadat,magis in scriptura spiritus dicitur.Sap.7. subtilis & penetrabilis. Cæterum vt videas consubstãtialem esse patri & filio,nunc vocatur spiritus Christi,Rom.8.nunc spiritus filij,Gal.4.nunc spiritus patris,Mat.10.Hæc de nominibus:nunc quoquè eius virtutem ex epithetis colligamus.Epithetum præcipuũ est,sanctus, de quo supra ex Esaia & Dauide nonnihil diximus.Nunc quoque hoc adiiciendum puto Leuitic.11.Estote sancti, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus. Dicitur ergo spiritus-sanctus,quasi sanctificator.Rom.1.dicitur spiritus sanctificationis.Hic quoque Deum natura esse vides spiritum-sanctum:quoniam (quod dixi) Deus solus sanctus & sanctificator,Ezech.37.Diximus paulo antè, ethnicos philosophos nonnullam persuasionem de spiritusancto

Spiritus-sanctus notus ethnicis.

habuisse: id nunc adfirmandum censeo: neque enim solum animam mundi, sed & spiritum sanctũ nomine agnouerunt. Valerius Max. lib. 4. ca. 7. dicit: atque vt illarum *illà harũ ædes sacra domicilia, * harum fida hominum pectora, quasi quodam spiritu sancto referta templa sunt. Hæc ille. Atque id de præcipuo epitheto. Dicitur & rectus Psalm. 50. *Ruah Nachon:* Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Et statim *Ruah Nediba* dicitur spiritus liber, sic dictus, quia eius gratia recti corde, atque adeò liberi efficimur. De hac re suprà dictum est. Dicitur & spiritus bonus, *Ruah Tobah* Nehe. 9. Psalm. 142. Luc. 11. sic dictus, quia fons bonitatis & benignitatis, Sap. 1. 12. Insuper etiam dicitur *Ruah Hadasa*, hoc est, spiritus nouus, Psalm. 1. 4. 2. Exechielis vndecimo, decimo octauo, sic dictus, quia omnia renouat. Psalm. 103. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Non dicitur nouus, quasi recens, atque adeò in S. Trinitate iunior & posterior, sed ab effectu, quia homines nouos facit, veteresque exuit, 2. Corint. 5. Galat. 6. Ephe. 4. Colos. 3. Tit. 3. Simili ratione (quod & suprà dictũ est) dicitur spiritus adoptionis, per quem clamamus, abba pater Rom. 8. Galat. 4. Spiritus effectus apud Esaiam septem charismatibus exprimitur. Apostolus denario numero eadem enumerat. Vtrinque perfectus numerus, sed hic perfectissimus. In ecclesia siquidem verissimè peccata remittit, & verè ingemiscere facit. Dator dicitur, quia cum patre & filio operatur. Donum dicitur, quia à patre & filio procedit, & quia omnia eius dona sunt gratuita. Quod datur, habes testimonia Psalm. 103. Iohe. 3. Zachar. 12. Lucæ 11. Ioann. 3. Quod operatur & dat, vides Genes. 1. Psalm. 142. 147. Esa. 11. Matth. 4. Luc. 4. Non puto iam, ex vobis qui hæc auditis, aliquem cum Ephesiis illis Act. 19. dubitare, sit ne spiritus Dei, nec ne. Digressionem hanc benè longuam Cyrilli claudam oratione, quę habet: Veni sancte spiritus, illabere è cœlo in eos qui tuam consolationem expectant. Sanctifica templum corporis nostri, & consecra habitationem tuam. Amen.

Spiritus sancti effectus.

¶ Sed post ecbasin tantam, nunc demum reuertamur ad textum. Paracletus spiritus sanctus ille, quem pater in

nomine meo mittet. Hoc est dicere: Paracletum eam ego vobis peperi: merito natiuitatis & passionis meæ mittetur ille consolator à patre. Adeò meum incarnari, nasci, viuere & mori, sacramentum est vestræ salutis. Vobis puer sum natus, vobis filius datus: propter vos vado mori, & resurgam, vt spiritum eum vobis merear. Item in nomine meo mittetur, hoc est, in gloriam (vt Theophylactus vult) nominis mei Q.d. Ille me glorificabit. Glorificabit autem, quia contraria non docebit. Nam si quid noui & meæ doctrinæ diuersum vobis suggereret, me obliteraret, nomen meum vobis sordere faceret, atque adeò dedecoraret: quod cum non faciet, me glorificaturus veniet, in nomine meo, vel in mei nominis gloriam veniet. Vel secundum eundem Theophylactum, In nomine meo, quasi loco meo, vice mea, pro me. Vndè & Apostolus Rom. 8. Spiritum sanctum, Christum vocat. Dicit autem: Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus, autem vita est propter iustificationem. Vides (ait ille) quomodo suprà dicens spiritum Dei habitare in eis, deindè subdit: Christus in vobis, Christum scilicet Spiritum nominans? In nomine itaque Christi mittetur, hoc est, in vicem Christi. Paracletus quidem, alius erit personali proprietate, sed idem essentiali vnitate. Vult dicere: De eius consolatione nihil est quod dubitetis, leniet animos vestros præsentissimè, quod ne omnes quidem angelorum præstare possent exercitus. Virtus Dei est vnctio illa consolatoria. Liti itaq; atq; delibuti per spiritum sanctũ paracletum, fortissimi euadetis athletæ, tam mundi blanditias, quam minas, contempturi. Morti ipsi vnà cum inferorum portis insultabitis, non stupidi Stoici, sed spiritus diuini charismatibus imbuti. Hęc est illa diuina atque adeò spiritualis paraclesis, qua corde concepta, non eritis meticulosi adeò, vt ad vocem ostiariæ cuiusdam me negetis, qui ne Annam quidem, Caipham, omnemque synagogam formidabitis. Et quo iam vestra afflictio est maior, hoc amplior erit & ipsa consolatio. Cæterùm ipsa consolatio tunc primum suis numeris absoluetur, si veritate misceatur. Sic enim verè fortes eritis, vbi veritatem ritè didiceritis. Veritate omni mente concepta, non

Spiritus sanctus mittitur in nomine Iesu.

ſynagogę templum,non Areopagum Athenienſium Sophorum,non Capitolium ſiue prætorium conſulũ Romanorum, non gymnaſia & Lycea abſterrebunt philoſophorum. Fortis mulier,forte vinũ,fortis rex,ſed fortior omnium veritas. Veritate ergo vos imbuet,vt perfectè leniat. Ille vos docebit. Ille,emphaticôs intelligendum. Q.d. Ego officio meo ſum defunctus, ſupereſt vt & illo nunc doctore vtamini,vt S. Triadis perfectam fidem aſſequamini. Neque angelorum quiſpiã vos ità docere poterit. Ille meus ſpiritus omnia, quę vobis,pro tẽporis ratione adhuc obliuioſis,exciderunt,in memoriã reuocabit. Ille vobis adhuc rudibus,ea quæ necdum capere poteſtis,inſpirabit. Ille,inquam, ſpiritus patris mei & meus,hæc faciet. Immò etiam ipſe, qui vos hactenus voce & ore inſtitui,nunc porrò ſpiritu meo,id eſt,ſpiritualiter informabo. Intellige, hoc quod Domini ſpiritus facit,hoc ipſum etiam facere Dominum. Nam ſi Apoſtolus ſe dicere potuit præſentem Corinthiis,cũ fuiſſet abſens: verius hoc ille dicere poteſt,qui ſua maieſtate omnia replet,nec vſpiam abeſt. Hypomneſis ſiue admonitio iſthæc,admodum eſt neceſſaria. Antidotũ quippe præſens eſt aduerſus omnes diaboli ſuggeſtiones. Spiritus ſanctus,ait,non vos,diuina ſolum virtute docebit, ſed in memoriam reduxerit ea, quæ vobis dixi, omnia: eiuſque monita ità accipiatis,tanquam ſi ex ore meo ea audiſſetis. Hac hypomneſi, chariſsimi, certiores efficimur,euãgeliſtarũ libros veriſsimum eſſe verbum Chriſti, nec de doctrina Chriſti verbum vnicum, immò ne apiculum quidem aut iota aliquod præteriiſſe Apoſtolos & Euangeliſtas: nihil variatum,nihil immutatum,nihil additum,nihil demptum. Denique videmus euangeliſtas & apoſtolos nihil aliud docuiſſe,quam id quod ſcriptum eſt. Ea quæ literis commendarunt, ea etiam prædicarunt: vtrunque per ſpiritum ſanctum. Regius propheta auſus fuit dicere: Spiritus Domini per me locutus eſt, & ſermo eius ſub lingua mea, 2. Reg. 23. Quid ergo vetet, quo minus apoſtolos, quibus pneuma peculiariter erat promiſſum,per eundẽ locutos credamus? Adeò ſermo apoſtolorum,ſpiritui ſancto referendus acceptus: & linguæ eorum, lingua Chriſti accipiendæ. Dicis, ho-

Euangeliſtarũ libri verũ verbum Dei.

mines fuerunt apoſtoli. Quaſi non idem fuerint & prophetæ. Sequitur ſectio huius lectionis quarta:

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Pacem omnem ſenſum exuperantem, Phil. 4. Chriſtus ſuis diſcipulis reliquit. Pacem quoque ſibi ſoli vendicat. Vides itaque ſpiritumſanctum à ſchiſmatôn authoribus plurimum diſſidere, & ſchiſmata Chriſto cumprimis pugnare. Vndè ait apoſtolis: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Et nato ſaluatore angeli pacem mundo annunciauerunt. Rurſus & hoc peculiare eſt Chriſto rediuiuo, vt poſt reſurrectionem ad ſuos veniens, identidem dicat: Pax vobis. Pax illa, vera eſt euthymia, hoc eſt, animi tranquillitas, à philoſophis tantoperè quæſita, ſed non inuenta. Solicitè omnium quæſiuit eam Plutarchus, ſed nequidquam. Stoici, ſeduli huius extitêre indagatores: ſed quia ſpiritumſanctum ducem non habuerunt, ſedulitas eorum ſuperſtitioſa euanuit. Apoſtolis non ſita, reperta eſt. Miſertus illorum Deus, in tanta calamitate deſtitutorum. Illi in hoc mundo pacem habentes, Dei pacis expertes permanſerunt: hi in hoc mundo depreſsi, Dei releuationem meruerunt. Pax huius mundi, violentia, conſpiratio, gaudium in rebus peſsimis, diſcipulis Chriſti planè luctans, eos ad Deum ingemiſcere fecit. Hęc pax dicitur fructus ſpiritus, gaudium ſpiritus, Gal. 5. Huius & meminit Col. 3. Et pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris, in quam vocati eſtis in vno corpore. Qui huius mundi minas experti ſunt, & in cordibus ſuis patientiæ ſenſum habent, nôrunt de qua pace loquar. Hæc eſt fidei iuſtitia, Roman. 5. Hæc eſt electorum gloria, Sap. 1. Hier. 6. 9. Galat. 6. Epheſ. 2. Huc concordia & vnanimitas pertinet eccleſiæ, primę Corinth. 1. 2. Corinth. 11. 2. Theſſal. 2. Huius pacis Deus, cœli Deus eſt, 1. Corinth. 14. Carnalis ſapientia inflat, & ſchiſmata mouet, 1. Corinth. 8. Pro hac potiſsimum orandum pace. De hac potiſsimum accipiendum, quod cãtat Eccleſia: Da pacẽ Domine in diebus noſtris. Huius pacis ſymbolon eſt oſculum pacis, quod datur in ſacris myſteriis, quæ liturgiam Græci nos Miſſam vo-

Pax chriſtique.

Oſculũ pacis in Miſſa hæretici abrogant.

camus. Hæretici Miſſam abrogant, turba grauis paci, placidęque inimica quieti. Oſculi ſacramenta antiquât ſchiſmatici, quia linguæ eorum, quæ gladius eſt acutus, non ſapit nectar illud. Noſtrorum temporum anteſignanus, à ſuis etiam dictus eſt æramentum ſiue campana lethalis, die mordklock. Sic hæreticorum conciliabulum, etiam ipſis hæreticis horrendum. In eccleſiam quadrat hoc Eſaiæ: Apud me vmbraculum ab æſtu.

Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Quinta pars huius lectionis, eſt amplificata & adaucta conſolatio, immò etiam vehemens exhortatio, qua Chriſtus in æternum benedictus, pauida ſuorum corda recreat & animat. Séſus eſt: Quid turbamini de abitu meo reditus mei immemores? Rectè triſtaremini, ſi abitum ſaltem audiretis: nunc cũ vtrunque ex me audiatis, mœrorem ponere, vel ſaltem temperare deberetis. Deindè ſi diligeretis me, magis gauderetis. Auditis enim me ad patrem reditum maturare. Gloria huius ſeculi, nihil eſt niſi vapor: ſimilis eſt flori occidenti: apud patrem certa eſt & ſolida gloria: par eſt ergò, vt poſt tot labores & contumelias, tandem ad gloriam partam aſſumar. Deindè & pater maior me eſt: æquum ergo eſt, vt & illi me ſubiiciam: quod denique vobis maximum meritorum pariet cumulum. Patrem me maiorem eſſe, vos non latet ſed patri me parem eſſe neſcitis. Infirmitas enim carnis meæ oculos mentis veſtræ, nè in deitatis meæ gloriam intendere poſſitis, detinet: quod ſi non eſſet, gauderetis me gloriam meam reſumere, vt etiam carne aſſumpta, omnibus patri coæqualis conſpicer. Vanè item perturbat vos æſtimatio humanitatis, qua mihi timetis, tanquam mors me ſit abſorptura. Vanus, inquam, ille eſt metus, præſertim vobis, quibus patris potentia aliquantò eſt cognita. Hic ſenſus magis Chryſoſtomo celebratur. Theophylactus hunc ſequens, dicit: Dixit hoc, putà, Pater maior me eſt, iuxta illorum ſententiam, credentium ipſum quidem eſſe infirmum, parem autem poſſe in tempore afflictionis ſufficere. Breuiter, humanitatis vox eſt,

pater

Pater maior me est. De diuinitate accipe, quod dicitur *Christus par patri.* Ioan.10. Ego & pater vnum sumus. Item 14. Qui videt me videt & patrem meum. Sanctus Bernardus scripturam sanctè tractat, dicens: Vnum sumus, non vnus: quia vnum significat substantiæ vnitatem, vnus verò personarum proprietatem. Christus verus Deus & homo, vnus est, non duo Christi: Vnus omninò non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Vnus inquàm, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Si ergò in Christo offendit crux, id est, præsepe, vita ærumnosa, & mors acerba: ædificet lux quæ pastores circunfulsit, & quæ magos ab oriente vsque ad stabulum Christi perduxit. Si offendit vox, *Heloi Heloi lamma zabatham*: excitet magna vox, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Cyrillus hic acerrimè in Trinitarios hæreticos inuehitur. Quis verò neget, hæreticos esse oculatissimos ad ea, quę pro se facere videntur, inuestiganda? putant se rem habere factã, cùm repererint, Pater maior me est. Malo hoc etiamnùm laborant, qui pro suis opinionibus statuendis, sylvas scripturæ locorum coaceruant. Sanctus Augustinus etiam hoc loco eluit hæreticos cauillos, dicens: Christus cùm in forma Dei esset, sicut Apostolus loquitur, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Quomodò enim rapina posset esse natura, quæ non erat vsurpata, sed nata? Semetipsum autem exinaniuit, formã serui accipiens. non ergò amittens illam, sed accipiens istam: eo modo se exinaniens, quo hic minor apparebat, quàm apud patrem manebat. Forma quippe serui accessit, sed forma Dei non recessit. Hæc est assumpta, illa non consumpta. Sequitur: Hoc attendat Arrianus, & hac attentione sit sanus: neque contentione sit vanus, aut (quod peius est) insanus. Hęc ille. Hilarius item hunc locum lib. 7. & 8. fusissimè tractat. Sed nos ad textum. Et nunc dixi vobis, priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Dixi abitum meum magnæ vobis fore commoditatis, quod iam non capitis, non tamen ego superuacuè effutio. Nam quod iam minùs intelligitis, id posteà, simulatque à morte resurrexero, vestræ fidei neruus fiet.

Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Quasi dicat, Iam instat

hora, qua subducar à vobis. Tempus adest: modicũ adhuc, & non videbitis me. Hoc prædico, vt videatis me omnia nosse, atque adeò vltrò mortem subire. Hostis humani generis antiquus, mortem mihi intentat innocenti: sed non videt, me ità id, quod non rapui, exoluturum: neque item animaduertit, quantum indè sibi malum excitet. In mundi statim exordio obloquebatur mihi cum suo Nequaquàm. In eodem tenore mihi luctari pergit: sed tandèm, quidquid id est mali, mihi iudici soluet. Tantum abest vt aliquid in me habeat, quòd ego multa habeam aduersus eum. Iam quidem iudicatus est, sed superest adhuc dies horrendi iudicij, quem & ille nouit, qui dixit: Iesu Nazarene, venisti ante tempus torquere nos? Obserua hic & infrà 16. Item suprà 12. Princeps huius mundi dicitur, non quòd aliquid iuris in creaturam, quæ Dei est, habeat. Vendicat quidem sibi indè aliquid: vndè dicit, Hæc omnia dabo tibi, si procidens, adoraueris me. Sed dicitur propriè princeps huius mundi, quòd hic mũdus totus in maligno sit positus, maximè eo tempore, quòd potestas tenebrarum remissis debaccharetur habenis, Lucæ 22. Vndè nusquàm, nisi hic in tribus præmissis locis sub passionem Dominicam, princeps huius mundi dicitur. Facit huc, quod Ephes. 6. dicitur: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi dominos, * rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cælestibus. Hæc ex Augustino, qui de creatura, quæ Dei est, & diabolo nihil debet, dicit: Mundus hic est subditus creatori, non desertori: redemptori, non interemptori. Sequitur:

Diabolus dicitur princeps huius mũdi. for. quo*

for. aduersus rectores.*

Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. Nihil habet in me diabolus calumniator ille: verùm ego non sum immemor mei officij. Scio qua via omnis iustitia sit adimplenda. Vndè qui in forma Dei eram, formam serui mihi assumpsi, vt humilitatis atque adeò salutis exemplum & sacramentum mundo præberem. Philip. 2. Voluntas patris est, vt calicem illum bibam, Mat. 26. Obedientem itaque me, vel vsque ad mortem, mortem autem crucis, exhibebo. Sic salutare Dei huic mundo, etiam ante faciem omnium populorum, sum paratus. Natiuitatis &

percontationem rerum diuinarum, grauissimis sententiis, Lib. 2. 47. S. Cyprianus ait: Credendus Deus est, non discutiendus.

Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Si Apostolus vsquam Periclem fando æquat, (humano modo loquor) hoc loco ipsum hoc præstat. Quid vehementius & compendiosius potuit vnquam dici? An interrogationem Apostoli quisque facile respondere poterit atque dicere: Neminem Dei vnquam consilia nouisse, nec illi aliquem vnquam à consiliis extitisse, credidisse Deo quicquam neminem, &c. Prophetæ & apostoli nôrunt aliquid de Dei mysteriis, sed non ex se: supernè siquidem nôrunt, denique & ex parte cognouerunt. Apostolus dicit se nihil scire, nisi crucifixum Christum, Christum nosse, est nosse Christi merito nos esse & habere, quicquid scientiæ & religionis habemus. Accedit huc, quod Apostolus 1 Corinth. 2. spiritussancti illustrationi omnia refert accepta. Item, spiritussancti illustrationem, saltem ex sensu Christi argui posse. Apostolus hoc loco loquitur verbis Esai. 40. Quis adiuuit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium? & quis instruxit eum? Enochus & Helias assumpti quidem sunt in cælum: sed non ad hoc, vt Domino existant consiliarij: neque enim ad dexteram Dei exaltati leguntur. Abraham & Moses in terra cum Deo colloquia miscuere: non ergo Dei symbuli atque confessores, eiús ve consiliorum consortes sunt constituti. Inops consilij non est, qui ipsa est sapientia, Alpha & Ω, quę omnia scit & gubernat. Nos eius sumus nomina omnes, solus ille numen. Si quid nobis boni contigit, gratiæ eius adscribendum: si ad supplicia nos rapit, nostra hoc nobis culpa euenit. Hoc credere oportet. cæterum nos omnium rerum perscrutari causam, piaculum est. Sequitur:

Christum nosse quid

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen. Secundum sensum literarum continuatio est disputationis [illegible] creaturæ est ordinem, per ipsum regitur,

In ipso compræhenditur, ipse verò à nemine detinetur. Theophylactus ferè eadem scribit. Ambrosius & Sedulius de S. Trinitate intelligunt, neque id ineptè, quanquam mysticè. Præclarè S. Hieronymus ait: Ex Deo est creaturarum origo: Per Deum conseruantur, in Deo cõcluduntur, ipse verò à nemine detinetur. Theophylactus ferè eadem dicit. Ecclesia itaque hunc locum potissimum hodie legit, ad fidem S. Trinitatis declarandam.

Mysteria Dei inuestigare, durum est.

Tam Glosa ordinaria quam interlinealis, mysticum hic sensum eliciunt. Sensus itaque mysticus est: Ex patre filius, per filium omnia, in spiritusancto omnia: quia sola dilectione creauit omnia, & sola dilectione omnia conseruat. Vide hic, si literam sequeris, tutum non esse, mysteria inuestigare prædestinationis & hoc genus alia. sequitur ergo, longe esse periculosius, mysteria S. Trinitatis velle ratione complecti. Sequentia Ecclesiæ, Benedicta sancta semper sit Trinitas, symbolon Athanasij, & hoc genus, sufficiunt rudibus. Viderint docti, nè in mirabilibus ambulent supra se. Quantum attinet ad gubernationis & iudiciorũ Dei arcana, benedicendus Dominus atque iustus prædicandus est in operibus suis omnibus, siue percutiat, siue sanet, siue damnet, siue seruet: vndiq; aut iustus est, aut indulgens. Parcit vbi vult, punit vbi oportet. Omnes laudare habemus, carpere potest nemo. Quantum ad S. Trinitatis confessionem attinet, Ecclesiæ accedendum catholicæ. Viderint noui euangelistæ, quo agitentur spiritu, ecclesiam adeò suspectam errorũ reddentes. Ecclesiæ authoritate eleuata, poterit quis sibi comminisci quaternitatem, poterit etiam vndeuis suo errori suffragia arripere. Ecclesia nobis fidem tradidit S. Trinitatis, substantiæ vnitatem, personarum proprietatem. Huc scripturæ infinita loca docuit referenda. Si in cæteris omnibus ecclesiæ doctrinam in dubium vocauerimus, quomodo constabit hic articulus? Audiat catholicũ sensum communẽ, videat quomodo scriptura sensui illi inseruiat. Dictũ est: Ex ipso, per ipsum, & in ipso. T[illegible]

Fidem S. Trinitatis ecclesiæ cãtica simpliciter & affatim cõplectũtur.

Ecclesiæ authoritate in dubiũ vocata, hæresib⁹ vãgis est via facta.

[redacted]

DOMINICA SANCTISSIMAE Trinitatis, Epistola, Romano. 11.

O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor & gloria in secula seculorum, Amen.

PRAEFATIO.

PRæcedentibus tribus capitulis, 9. 10. & 11. Apostolus maximam & omnium profundissimam quæstionem prędestinationis, & authoritate prophetica & rationibus expediuit. Tandem exclamatione perplexam istam claudit, dicens: O altitudo, &c. Quæstionis occasio nata est ex reiectione populi Israelitici, qui excellentissima omnium ęstimatione, in omnium fœdissimam datus est, contumeliam, vel humanæ creaturæ omni obstupescendam. Nihil sinè causa. nulla in Deo iniquitas. iustus iudex. vincit, cum iudicatus fuerit. Summa: Qui prædestinatus non est, faciat vt prædestinetur. Lex Dei fuit Iudæis data, vt prophetam illum recipiant Mosis loco. Hoc quia facere supersederunt, sua culpa sunt abiecti. Viderit quisque, vt Iudæorum exemplo cautior factus, conditionem legis, qua prædestinatio est ratificanda, fideliter conseruet. Sectio huius lectionis est duplex. Primo arduum clauditur prædestinationis mysterium. Secundo, Trinitatis subiicitur adumbratio. Vtrunque sacramentum profundum, saltem fide comprehendēdum. Sequitur textus:

O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Quasi dicat, Quod supra te est, noli percontari, Eccl. 3. Qui perscrutator est maiestatis, supprimetur ab ea, Prouerb. 25. quamuis tam Hebraica, quam Græcanica, veritas alia sit. Prouerbium non reiiciendum est: Quæ supra nos, nihil ad nos. Quem cæli cælorum non continent, maior est, quam vt humanæ rationis concludatur angustiis. Citius cochleariolo mare totum effusum exhaurias, quod sic per puerulum S. Augustinus didicit, quam diuinæ maiestatis amplitudinem perscrutando inuestigaueris. Memineri-

Altiora nobis non exquirenda.

mus hic ethnicorum fabulæ de Icaro, de Prometheo & aliis: quos ergo damnãt potissimum etiam ethnici, quod mysteriorum diuinorum perscrutatores extiterint. Nihil ethnici miseri de veris nouerunt diuinis mysteriis, tamen ea supra humanum captum esse non ignorauerunt: quæ ergo, malum, nostra superbia, qui ambulare conamur in mirabilibus supra nos? Potentia Dei tanta est, vt supprimat nostram infirmitatem: sapientia eius tanta est, vt superet mentis nostræ exiguitatem. Potuit potens ille Adamum è paradiso eiicere, vniuersum orbem diluuio delere, gigantes extinguere, Pharaonem submergere, Enachim progeniem imbelli populo subdere, &c. Nouit sapiens ille, ex casu Adę, ex tyrannide Esau, Ex Enachim idololatria, aliquid boni conficere, ex malis moribus optimam legem inferre. Denique & tam bonus est, vt miseros tandem respiciat, & superbos despiciat. Omnia fecit, Gen. 1. Marc. 7 Nemini facit iniuriam, Beati omnes qui confidunt in eo.

Mysteria dei inscrutabilia nouũt etiam ethnici.

Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Metaphoris aptissimis Apostolus diuinam maiestatem nobis insinuat: profunditas, altitudo, sapientia, scientia, expiscari, vię, &c. Sapientia Dei altior atque profundior est, quam vt ad eam aliquis pertingere possit. Iudicia Dei ampliora & latiora sunt, quam vt ad nostram angustiam faciant. Non viæ nauis in mari, non alitis volantis in cælo, non reptantis anguis in rupibus, non adolescentium viæ adeo sunt cæcæ, vt sunt viæ operum & consiliorum Dei. Creauit omnia ex nihilo. solem suum facit oriri tam bonis quam malis, immo etiam in hoc seculo malos quoscunque florere facit. Stultitia, immo impietas est, tanta mysteria velle indagare. Sic etiam piaculum est, velle inquirere vtriusque testamenti rationem, quarè prius abrogatum, & subrogatum nouum. Nemo, inquam, hæc vel diligentissima inquisitione indagauerit, quod viæ & cogitationes eius longè aliæ sint quam nostræ, Esa. 55. Iudicia eius abyssus multa, Psal. 35. Sapiẽtiam eius nemo deprehendet, Esa 40. Eccl 8. Scitum est hoc Gregorij: Immensa profundaque iudicia debemus perhorrescere: nec ea ratione discutere, sed venerari nos conuenit admiratione, Moral. 25. Diuus Irenæus carpit

Mysteria Dei immensa nõ debent à nobis perscrutari.

passionis meæ sacramento, Abraham olim non cunctabatur dilectum filium suum Deo offerre. Virtute eius sacramenti, patriarchæ & prophetę tot aduersitates huius seculi pertulerunt, tot virtutes exercuerunt. Maior in nouo testamento patientiæ & virtutum cumulus excrescet. Hæc omnia cùm videam, superesse video, vt huic religioni & exemplum & sacramentum subministrem. Mundus olim vniuersus videbit, quis fructus meæ natiuitatis & mortis insit. Surgite ergò, atque eamus hinc. Iudas cum ministris sacerdotum & cohorte militum in hortum montis oliuarum veniet. In horto, mortis occasio est nata: mysterium poscit, vt & in horto, mortis medicinam dare incipiam. Surgite, iuxta consuetudinem meam, quam hactenùs habui, & in locum proditori cognitum, in locum mysterio congruum concedamus. Iesu bone, cui nostra salus tantæ erat curæ, eius sacramenta tanta excita, spiritumque tuum alterum paracletum, in tuo nomine nobis mitte, vt te in sancta Triade ritè diligamus, & laudemus nunc & in æternum, Amen.

IN DIE SANCTO PENTECOstes, Ioan. 14.

Si quis diligit me, sermones meos ser. &c.

¶ Sectio literalis sensus atque moralis.

1 *Ostendit amoris argumentum.*

2 *Declarat amoris præmium, nempe hoc, quod complexus sum distichо:*

Diligit atque manet pater, ipse docet paracletus:
Pacem dat duplicem, non mundi, filius ipse.

3 *Lenit turbationem, de sua passione discipulis instantem.*

4 *Extollit suam assensionem.*

5 *Prædicit propter fidem*

6 *Contemnit huius mundi principem.*

7 *Seipsum dat in exemplum argumenti Dei amoris.*

Distichon textum complectens:

Sermo, paracletus, pax pax, turbatio, dixi:
Post non multa loquar, princeps mundi venit huius.

Versiculi habent sectionem.

1 2
Quid sit amor docet, Et declarat præmium amoris:
3 4
Solatur, Monet & sit quanta assensio cæli.
5 6
Indè fidem sulcit, Sextò cacodæmona temnit:
7 *Ipsum se præbet postremò periculum amoris.*

¶ DECLARATIO.

1 *Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Argumentum amoris, est obseruatio sermonis.*

2 *Et pater meus diligit eum. Omnia sunt satis clara, nisi hoc quòd repetit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Pacem Christi attende duplicem esse, internam putà & externam. Interna est tranquillitas conscientiæ: externa est, non moueri perturbationibus huius seculi. Ad primam facit hoc quod est apud Apostolum Roman. 5. Iustificati per fidem, pacem habemus ad Deum, Ephe. 2. Ipse enim est pax nostra. De secunda accipiendum hoc Roman. 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Heb. 12. Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Psal. 75. In pace factus est locus eius. Esa. 26. Dabo illis solatium verum pacem super pacem. Gregorius in pœniten. Psal. citat hunc locum sic versum: Vetus error abiit, seruabis pacem, pacem quoniam in te sperauimus: dicens, Duplex est homo. Leu. 24, Homo homo filiorum Israel. Duplex ergò & pax, coram Deo & cum proximo. 1. Par. 12. Pax pax tibi o Dauid. Hæc de pace Christi. Alia verò est pax mundi, qualis fuit inter Pilatum & Herodem. atque hæc pax est duplex: Altera simulata, ad quam facit hoc:*

Odero si potero: si non inuitus amabo.

*Exemplum huius pacis est Ioab, qui dixit ad *Abner: Salue mi frater, 2. Reg. 20. Altera pax est externa, sed quasi in exhibitione officiosa politica, qua infideles inter sese fidem seruant sibi ratione pacis conseruandæ publicæ. Facit ad hanc pacem illud Matt. 5 Beati mites, quoniam ipsi terram possidebunt. Item contrarium: Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur. Matt. 12.*

3 *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Discipuli audita mentione passionis Christi, plurimùm fuerunt contristati. tristitiã eam hic eximit ab illis, verbis non obscuris dicens: Non turbetur cor vestrum. Audistis quia vado, &c.*

4 *Si diligeretis me, gauderetis vtique. Extollit sacramentum assensionis ad maiorem vim consolationis. Si diligeretis me, ait gauderetis vtique.*

5 *Et nunc dixi vobis. Prædicit ad fidei excitationẽ, dicens: Et nunc dixi vobis priusquàm fiat &c Oracula prophetica euentum suum sortita, fidem plurimùm adeficant. Ait itaque Samaritis illa: Incidi in prophetam, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.*

6 *Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps &c. Principem huius mundi vilipendit. Sic ait & Pilato: Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi data esset desuper. Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.*

7 *Sed vt cognoscat mundus quia ego diligo patrem. Se dat exemplum dilectionis Dei, iuxta caput huius lectionis: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit. Probatio charitatis, obseruatio est præcepti. Non ore solo amatur, sed & opere & veritate.*

¶ De mysterio obseruandum.

Roget quis, quare in hoc festo, in quo de persona ea quæ trium in sancta Trinitate est vna, lectio euangelica præsens, charitatem tam in capite, quàm in medio atque fine complectens, legatur? Respondeo, Spiritum sanctum esse charitatem ipsissimam, 1. dist. 10. & 17. Item Augustinus de Trinit. lib. 15. cap. 19. Deus est charitas quidem secundùm Ioannem, tum quòd Deus est spiritus, tũ quòd Deus quoque est sanctus. Spiritussanctus verò magis proprie dicitur charitas: quia spiritussanctus etiam donum dicitur. Dicitur autem donum, quia gratis omnia donat. Vnctio quoque eadem dicitur ratione. Dein etiã charitas dicitur, quia patris & filij communitas maximè in ipso appáret. Vide Sententiarũ lib. Charitatis quoque isthæc copula & nexus, arguit spiritũ sanctum esse vnum numen cũ patre & filio, coæternum nimirùm, conglorioſum, atque per omnia esse idem, hoc est, consubstantialem.

De morali sensu & hoc obseruandum.

Nihil habent spiritus Dei hæretici, pacem ecclesiæ perturbantes. Nihil enim æquè diuersum à spiritu pacis, atque est spiritus controuersiarum & disceptationum. Denique spiritus ille, qui rationem iustificandi & sanctitatis aufert bonis operibus, atque adeò propterea quòd alij iustificandi sanctificandi ve ratione iuxta bonis operibus tribuunt atque fidei, tantos tumultus in ecclesia Christi excitant, omnium est prophanissimus, atque hs hæreticus Dominus Deus spiritu oris sui infernalem illum lemurem interficiat extemplo, Amen.

DE ECCLES. PENTEC. SOLENNI.

CArnalis ille & ſpurius Iſrael, vetus feſtum nouarũ celebret frugũ phariſaico ferméto corruptiſsimũ. Cæci in vmbra talpizent & palpitent, quid ſibi frugum nouitas velit, ignorantes: quid pentecoſte ſignifi. cet, neſcientes. Immoriatur Verpus in ſua vetuſtate. nos gratia ſpirituſſancti renouati, nouarum frugum nouum feſtum celebremus, qui ſpirituſſancti fructus ſint, haud dubitantes. In hac ſacroſancta die adimpletum eſt, quod propheta Eſaias cap. 1. ait: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalé. Lex perfectæ libertatis, lex regalis, verbum virtutis Dei, verbum ſalutis. Hodiè incepit in terra regni Dei maieſtas. Hodiè apertum eſt cælum, vndè ignis prodiit, quo Apoſtoli ſunt baptizati: hodiè corda humana ſunt innouata: hodie vmbra veteris teſtamenti euanuit: hodie buccina euangelica primò glorioſè inſonuit: hodiè eccleſiæ fundamentum eſt poſitum: hodie omnia ſacramenta ſuum effectum ſunt ſortita. Ab iſtoc die vſq; in hunc præſentẽ fuerunt, & ab hoc præſente vſq; ad ſupremũ veri & cõſtantes Chriſtiani eſſe cœperunt, & in hoc mũdo permanebũt. Eia ergò fortes Chriſtiani, Chriſti p̃cioſo ſanguine redẽpti, ſpirituſſancti chariſmatib⁹ Deo patri inveros filios deſignati, agite in hac ſacra ſolẽnitate ſpiritibus in ſpiritu ſancto paracle to exultate, S. Victoris carmen inter cętera decãtantes & (dicẽtes:

1 Lux iucunda, lux inſignis,
Qua de throno miſſus ignis
In Chriſti diſcipulos:

2 Corda replet, linguas ditat,
Ad concordes nos inuitat
Linguæ cordis modulos.

3 Chriſtus miſit, quod promiſit,
Pignus ſponſæ, quam reuiſit
Die quinquageſima.

4 Poſt dulcorem melleum,
Petra fudit oleum,
Petra iam firmiſsima.

5 In tabellis ſaxeis,
Non in linguis igneis,
Lex de monte populo.

tulorum cùm res agitur, magiſtellorum myrmecias ſcatentes videas. Sic & heroas ſtrenuitate nulli Hectori cedentes inuenias, ſi de ſtemmate Inachi & de genere Codri contendas: ſed qui pro focis & aris ſe deuouere auſit, nullus erit. Interim in mundi tenebris Therſites & Aegiſthi, nycticoraces lucifugę, ſibiipſis ſplendidi ſupra Ioues ipſos videntur. Prodeant tandem, & ſolem iuſtitiæ Chriſtum cum Nicodemo quærant, vt dici filij atq; adeò verè clari euadant. Nicodemus hic noſter verè nobilis factus, vtpote qui ter in hoc euangelio celebretur, primo nimirum hic cap. 3. & poſteà 7. & 19. Noctis Nicodemicæ Euangeliſta ter mentionem faciens, phariſaiſmum notat, lucem in tenebram conuertentem, Mammonem Chriſto commiſcentē, duobus dominis vnà ſeruire ſatagentem. Tandem vero eundem Nicodemum non lucifugā nycticoracem, ſed Aquilinum, hoc eſt, lucis amātem, Iudæorū inuidentię contemptorem ſtrenuum ſubinfert, eius erga Chriſti ſepulturam pium officium prædicando. Noſtrates quoque, niſi hoc exemplo illuſtres efficiantur, exēplo anonymi lurconis, perpetuæ noctis mācipia peribunt, pereūnte eorum memoria cum ſonitu. Quod noſtrates magiſtelli & dynaſtæ in Cimeriis tenebris perpetuò deliteſcunt, bis rei ſunt. Nicodemus in vmbra legis, Chriſti gloriam conſpicabatur, atque illi ſe attemperauit: quantę ergo noſtratium tenebrę, quanta culpa, qui in clara die cæcutientes, Chriſtum faſtidiunt? Sed Nicodemum audiamus.

Nicodemus verè nobilis.

Et dixit ei: Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Magnifica præfatio, tanto doctore digna: nē dicas eum manum ferulæ necdum ſubduxiſſe. Sed ſapientia patris Chriſtus noſter Dominus, prędicationem eam imperfectam & planè inertem vidit atque caſtigauit. Appāret, eum ſermonem Nicodemi interloquendo decidiſſe, nec hoc mirum. Quis enim, mediocriter fidelis, cocles & deſioculus non videat, ſermonem Nicodemi ad tantę lucis maieſtatem nihil planè feciſſe? Rabbi primo vocat Meſsiam noſtrum, vocabulo communi legis doctoribus omnibus. Quid ergo hoc nomen ad veritatem diuinam? A Deo venerunt omnes prophetæ, etiam ipſe

Baptiſtes. Et magiſtri nomen non adeò honorificum, cum & coqui, equites, agaſones & paſtores, ſuos magiſtros habeant, curiaque ſuos. Nemo poteſt hæc ſigna edere, quæ tu facis, niſi præſentem ſibi Deum habeat: neque hoc præclarum. Nam & Moſes, & Ioſue, Helias, Heliſæus & alij prophetæ miraculis claruerunt. Atqui phariſæus hic, non laborans vitio collegarum ſuorum, verba hæc effutiuit malignè, quemadmodum illi qui Matth. 22. dixerunt: Magiſter ſcimus quia verax es. Non ſic captioſe Nicodemus cum Chriſto egit: ſed quantum credidit, tantum fatebatur. Adfuit ſynceritas, ſed laborauit veritas. vndè & meticuloſus, noctu ad Ieſum ſe cõtulit. Aberat impietas, ſed aderat infirmitas. Benigniſſimus ergo Ieſus, abſolutæ ſcientiæ doctor, magiſtellum vacillantem corrigit. Et ipſum audiamus:

Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amèn amèn dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Reſponſio hæc Chriſti, ad orationem laudatoriam Nicodemi non ſatis accedere appáret. Simile ferè eſt quod Dominus reſpondit Iudæ Thaddęo Ioan. 14. roganti: Domine, quid factum eſt quod manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? Reſpondit Ieſus & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Si verba inſpicias, videtur Chriſtus aliud reddidiſſe, aliud Iudam petiiſſe: ſi ſenſum ritè diſcutias, omnium aptiſsimam reſponſionem videbis. Senſus eſt: Mi Iuda, ego me ſaltem verbi mei cuſtodientibus amicis meis declarare habeo: nihil mihi cum mundo, penitùs in malo poſito, nullas non nugas veritati prę ferenti: vobis itaque meis amicis, ex ore meo pendentibus, meipſum declarauero ſpirituali aduentu hic in hoc ſeculo, & in futuro facie ad faciem contemplandum & fruendum exhibebo. Sic & ſe reſponſio habet Nicodemo data. Senſus eius eſt: Tu Nicodeme noctis es auicula, ſolaris claritatis in conſueta: oportet ergo te renaſci & fieri lucis alitem, hoc eſt, veritatis ſupernæ capacem theodidactum. Signa mea (quæ Iudæi ſemper quærunt) te mouent, vt mihi aliquid tribuas, Rabbi magiſtrum à Deo veniſſe fatendo. Nunc poſtquam te catechumenum mihi exhibes, libens catecheto tibi meo nouello meæ doctrinæ incunabula oſtendam. Dicam equidem, nec te ſuſpen-

Nicodemꝰ primò noctis auis.

EADEM DOMINI. SS. TRINITATIS

Euangelium Ioan. 3.

Erat homo ex phariſeis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, &c.

PRAEFATIO.

PEſsimum mortalium genus, phariſei: hoc tamen tantum bonum, quod præſens nobis lectio proponit, pepererunt. Infenſi cũprimis Chriſto extitere, quod illis & vita & doctrina contrarius eſſet: hoc eſt, quod ſynceram vitam degeret, veritatemque docens, mores eorum ſubindè carperet. Matthæi potiſsimum 23. eius loci habes exemplum. Qui locus ſi quem pungit, cum Nicodemo & cum apoſtolo Paulo, qui & ipſe phariſæus fuit, ad Dominum Ieſum conuertatur. Tanta erat phariſęorum iſtorum inſolẽtia, vt eorum timore, etiam ipſi optimates plebis, Chriſtum recipere vererentur, Ioan. 12. Et ex phariſęorum ſecta qui Chriſti euangelion audiens, ipſam eſſe veritatem intellexit, non tamen ſyncera fide Chriſto adhæſit, vt vides Luc. 7. Act. 15. Nicodemum quoque hic vides fermentum phariſaicum perdiſcere. Chriſti doctrinam non improbauit quidem ſed nec eam liberè aſſeruit. Verum & ſui acceſſus ſunt virtuti, cuius ſi quis veram eſuriem & ſitim conceperit, paulatim ſatiabitur. Nam quod Chryſoſtomus ait, Nemo, repentè bonus valdè, nemo repentè valdè malus. Vndè & Nicodemus, cum hic patienter Chriſti correptionem ſuſtineret, meruit qui poſteà Iudæorum maledicentiis exerceretur, Ioan. 7. & qui tandem viuificum corpus exanime vnà cũ Ioſepho ab Arimathia, de cruce deponeret & ſepeliret, Ioan. decimo nono, Nicodemus hic, an indiuiduus comes apoſtoli diui Pauli extiterit nec ne, incertus ſum. Euangelij præſentis lectio propter quæſtiones eas, quas inter ſeſe habuerunt, dialogi habet ſpeciem. Ipſam lectionem ſacroſanctam audiamus.

Sitientes, iuſtitiã ſaturabũtur

Erat homo ex phariſeis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte. Euangeliſta hic, hiſtoricorum more, Nicodemum diligenter deſcribit, à ſecta nimirum, & à nomine, & à ſtatu. Phariſæum primò dicit eum fuiſſe, quæ ſecta vulgari opinione ipſiſsima religio

habebatur. veritatis ſedes penès eam credebatur. ſed vulgi opinio à veritate longè aberat. Noſtratium doctorum pompæ & inſignia, à phariſaiſmo non multum diſſident. Ad quodcunque tertium verbum, ſeſe noſtri *rabini iuratos ſanctæ paginę Doctores & Magiſtros Noſtros proclamant. Obſtupeſcunt pię aures ad iactantiam noſtratium, maximè euangelicaſtrorum, qui papiſticos huius pompæ arguunt, & ipſi centies hoc in crimine exiſtunt culpabiliores. Nicodemus ſignificat victorem populi, iuxta thema Græcum. Idem ferè eſt Nicolaus. Si ad Hebraicam analogiam reduxeris, ſanguinem innocentem ſonabit, à *Neki Dam*. Vtraque interpretatio congruit perſonæ, maximè ad fidem Chriſti conuerſæ. Homo Chriſtianus, innocenter & ſanguinum purus viuat: gloriæ huius ſeculi fugitans, probam (vt cum poëta loquar) pauperiem ſine dote quærat. Se vincat, & totum mundum vicerit: in bono malum vincat, & populum vicerit vniuerſum. Principatus Nicodemi, magiſtratui noſtrati non multum abſimilis eſt, maximè verò municipiorum, quorum ſenatores monarchæ Romano ſubditi, leges ſacras colunt, libertati patriæ vnicè ſtudent. Vulgus equitum, quod bona parte hodie viuit ex raptu, quod ſe violentię & inſolentiæ natum arbitratur, parum Nicodemi habet, Nemrothicam vero ferociam ſpirat, & Deo & hominibus grauem. Nicodemus hic natalibus fuit Iudæus, potiſsimum in hoc præclarus, quod natus phariſęus. Aliis donis Alcibiadi Platonico par: nam vt Socrates in illo quod carperet, reperit: ità & Chriſtus quod in Nicodemo caſtigaret, vidit. Illa ſapientia humana pollens, virtute erat immunis: hic diuinæ ſapientiæ laborabat penuria, dein & fortitudine animi non adeò erat felix. Venit noctu, idque propter metum Iudæorum: nouerat ſui ordinis viros ad vnum omnes, Ieſu Nazareno veritatis doctori, viro innocenti inſidiari, ſed aperto Marte iniquitati non fuit auſus reſiſtere. Dein & Magiſter in Iſrael, verecundabatur ab illo diſcere, qui ſibi in literaturę gradu inſigniis & titulo eſſet inferior. Bone Deus, quando tandem phariſaiſmus ille ceſſabit? Magiſtrum fortem animo, patronum veritatis, vbi aliquem hodie certum inuenies? De gloria ti-

*rabini.

Nicodemi nomen interpretatur.

6 Paucis cordis nouitas, Et linguarum vnitas
Datur in cœnaculo.
7 O quam felix, quam festiua
Dies, in qua primitiua
Fundatur ecclesia.
8 Viuæ sunt primitiæ
Nascentis ecclesiæ
Tria primum millia.
9 Panes legis primitiui,
Sub vna sunt adoptiui
Fide duo populi.
10 Se duobus interiecit,
Sicq; duos vnum fecit
Lapis, caput anguli.
11 Vtres noui, non vetusti,
Sunt capaces noui musti:
Vasa para vidua.
12 Liquorem dat Helisæus,
Nobis sacrum morem Deus,
Si corda sint congrua.
13 Non hoc musto vel liquore,
Non hoc sumus digni rore,
Si discordes moribus.
14 In obscuris vel diuisis
Non potest hæc paraclesis.
Habitare cordibus.
15 Consolator alme veni,
Linguas rege, corda leni:
Nil fellis aut veneni
Sub tua præsentia.
16 Nil iucundum, nil amœnum,
Nil salubre, nil serenum,
Nil dulce, nil plenum,
Nisi tua gratia.
17 Tu lumen es & vnguentum,
Tu cœleste condimentum,
Aquę ditans elementum
Virtute mysterij.
18 Noua facti creatura,
Te laudamus mente pura,

Gratiæ nunc, ſed natura Prius iræ filij.

19 Tu qui dator es & donum,
Tu qui condis omne bonum,
Cor ad laudem redde pronum,
Noſtræ linguæ formans ſonum
In tua præconia.

20 Tu purga nos à peccatis,
Author ipſe puritatis,
Et in Chriſto renouatis
Da perfectæ nouitatis
Plena nobis gaudia, Amen.

Cõſiderate fratres, in quo ſtatu iam Eccleſia ſit catholica: quod hoſtes intra, quot extra habeat, attendite. Hic pompa, auaritia, vana gloria, luxus, & hoc genus regnat abuſus: Illic hæreſes dominantur. Hic Simon Magus gratiam Dei precio æſtimat, illic pompoſi & ambitioſi ſpiritũ ſanctum contriſtant, Eph. 4. dum eos qui veritatem conſuetudini præferendam docent, ſpernunt, 1. Timo. 4. dum illic ſpiritus ſancti ſacroſanctum opus, ſacramẽta & diſciplinæ eccleſiæ cum ſanctis ſolennitatibus & cæromoniis, ad ordinem & decorum eccleſiæ conſeruandum ſummè neceſſariis, abrogantur, & ſacrum laudis ſacrificium, efficax illa Chriſti meritorum repræſentatio, quaſi abominatio damnatur. Vndique nihil niſi liuor & æmulatio feruet. Spiritus pacis & charitatis friget vndiquè. Hic abuſus tot execrabiles pſeudocatholici egregiè diſſimulãt: illic prætextu abuſuum ſchiſmatici omnia ſacra prophanant: atque per hoc tam hic quam illic, in ſpiritum ſanctum peccatur. Quarè pij & religioſi fideles, recolite quo in ſtatu res eccleſiæ verſetur. Peccatum in ſpiritum ſanctum, quanti criminis ſit, perpendite. Tali conſideratione ardentem orãdi affectum procul dubio conſequemini. Quis enim non ingemiſcat & illachrymetur, videns iram Dei ſuper vniuerſum terrarum orbem exaſperatam? Orate ergo, & flagellum multifarium, quod nobis omnibus, tam pſeudocatholicis quam ſchiſmaticis imminet, deprecemini. Spiritum pacis & charitatis precemini, Antiphonam eccleſiæ ſanctam identidem ingeminantes & dicentes: Veni ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fidelium, &c.

ſuſpenſum chare tenebo. Senſibus hæc imis, res non eſt parua, reponas. Si quis conſors regni cælorum eſſe cupiat, ante omnia illi opùs eſt, vt ἄνωθεν hoc eſt, ab integro & è ſupernis renaſcatur. Sacramentum ſiquidem renaſcentiæ, illuminatorium eſt, & aliorum myſteriorum ſalutis ianua. Grande itaque donum illuminationis, quippe quod porta eſt ſacramentorum diuinorum omnium, tabula prima, naufragos è peccatorum abyſſo ad portum ſalutis perferens. Per hoc ſacramentum niſi quis regeneretur, meritorum meorum immunis, ſpiritusſancti chariſmatôn particeps eſſe non merebitur, nec fidei oculis patrem luminum vnquàm cõtuebitur. Nulla enim comparatio lucis & tenebrarum, non mortis & vitę. Ad hæc ille:

Baptiſmus eſt porta ſacramentorum omnium.

Dixit ad eum Nicodemus: Quomodò poteſt homo renaſci, cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Sermo Domini quanquàm in lege eſſet fundatiſsimus, tamen Nicodemus legis conſultiſsimus, eum non intellexit, quòd eo tempore clauis Dauid ab Iſrael eſſet ablata. Chriſtum itaque interrogare neutiquàm erubuit. Dictio *Mimaal*, quam Euangeliſta ἄνωθεν reddidit, hominem prorſus conturbauit, vt Theophylactus arbitratur. Renaſcendi vox dura quidem eſt, ſed quod Seruator addidit, è ſupernis, omnem difficultatẽ auferr. Nicodemus verò dictionem *Mimaal* non ſatis diligenter attendens, errauit, & ſtultè atque ſubruſticè interrogauit: Nunquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Sic ſtultè neutiquàm interrogaſſet, ſi dictionem *Mimaal* diligentiùs conſideraſſet. Hebraicum *Mimaal*, atque Græcum ἄνωθεν, ſignificat, ab integro atque è ſupernis naſci. Eſt quidem renaſcendi vel regenerandi vocabulum, in veteri teſt. rariſsimum: ſed ſenſus, infrequens non eſt. Spiritualis ſiquidem circunciſio cordis, oculorum & aurium, huic renaſcentiæ planè eſt germana: diluuium, nubes, mare rubrum, & hoc genus alia ſacramenta, huius miſterij verus typus extitêre: ſed nouitas vocabuli, nouum muſtum, lagenulam vetuſtam non ſatis vietam, penitùs perrupit. Non reſpexit Nicodemus in verbum Moſis: Dominus circũcidet cor tuum, & cor ſeminis tui: huc ſi acumen rationis intendiſ

Renaſcentiæ vocabulum reçès nõ eſt.

set, spiritualis circunciſionis ei ſtatim ſubiiſſet. Verùm ſimulac citra ſcripturæ teſtimonium carnaliter Chriſti verbum accepit, magnam abſurditatem mente concepit. Simile ferè eſt reſponſum Nicodemi, verbo mulierum Perſarum, quę (vt apud Iuſtinum eſt) cùm viderent aciem maritorum filiorumque ſuorum pulſam, & paulatim terga hoſti dantem: obuiam exercitui occurrentes, ſublata veſte, obſcœna corporis oſtendunt, rogantes, num in vteros matrum & vxorum velint confugere. Ab obſcœno hoc dicto & facto, Nicodemi cogitatio non longè aberat. Phariſæo excidit verbum propheticum Pſal. 2. *Beni atha Ani haiom Ielidthicha*, hoc eſt, filius meus es tu, ego hodiè genui te. Hoc in loco pſalmi Deus pater dicit ſe Meſsiam genuiſſe, vtique ſine muliebri ſexu. Modus ille loquendi cùm in veteri, tum in nouo teſt. eſt detritus, Pſalm. 109. Ante luciferum genui te. Sic & ſapientia generare dicitur Pro. 8. Sap. 4. Eccle. 24. Eſa. 66. Ego qui generationem cęteris tribuo, ſterilis ero? & alia hoc genus plura. Similiter & in nouo teſt. 1. Cor. 4. Gal. 4. Tit. 3. 1. Pet. 1. Hic etiam obiter hoc obſeruandum, quod diuus Auguſtinus hoc loco dicit, verba Nicodemi veſaniam anabaptiſtarum potentiſsimè conuellere. Nam quemadmodùm homo ſecundùm corpus non poteſt ex materna renaſci aluo, ſic etiam non poteſt ſecundùm animam ſemel ex eccleſiæ matris vtero fuſus, iterùm fundi. Sed error tantus non potuit conuenientiori tempore naſci, atque in hoc, in quo omnis eccleſię profeſsio ferè eſt antiquata. Sic etiam ex Arrianis nati Donatiſtæ, vel ex Anabaptiſtarum errore viderent noui euangeliſtæ, quem iguem in eccleſia ſuccenderint. Sequitur:

Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Senſus eſt: Homo natus ſemel ex muliere corporaliter, denuò habet renaſci ex aqua & pneumate ſpiritualiter, ſiue ſit infans, ſiue capularis ſenex: alioqui regni cælorũ conſors non fiet. Duo elementa ſatis nota, ſed ſacramenti ſignificatio arcana: ſed in ſcriptura vtrunque receptiſſimum. De aqua baptiſmi tot figuræ, tot oracula extant Vidientium: ſimiliter & de flamine & ſpiritu ſancto abundè ſcriptura teſtatur. Aqua ea ſacramentum baptiſmi per verbum efficitur aquæ ſacramentum hoc, noui &

Renaſci habemus ex aqua & ſpiritu.

æterni teſtamenti eſt ſymbolon : huius ego Dominus & author. flamen ipſe eſt ſpiritusſanctus, quem pater mittit & dat in nomine meo, & prę ſentiſsimè in tantis operatur myſteriis. Per hæc duo regenerat pater meus hominem ſemel genitum, renouando eum non ſecundùm corpus, ſed animam. Natiuitatis carnalis immundities, hac regeneratione expiatur. Priori illic carnis, ſi eſſet ſancta, alia regeneratione opùs non eſſet: nunc verò cùm Iob, Dauid & prophetæ omnes peccaminoſam eam teſtentur & defleant, hominem ex aqua & ſpiritu ſancto oportet renaſci, vt eo ſacramento prioris natiuitatis eluatur impuritas. Prima natiuitas (vt S. Chryſoſtomus ait) vaſa profert inutilia, gratiæ reformanda. Exempli gratia: Primus homo Adam formatus ex terra, ſecundus †Heua ex coſta Adæ conditus, tertius Abel ex ſemine vtriuſque natus. In duabus formationibus, creatio Dei æſtimanda: in tertia, natura corrupta. Hęc, quia immunda, prorſus morti nos generat, vel æternæ. Actum eſt de nobis, niſi prædicta ratione renaſcamur ad vitam æternam. Iob natiuitatem carnis deplorat immundiſsimam, Dauid dicit nos naſci filios iræ. Apoſtolus omne quod in nobis eſt mali, natiuitati illi aſsignat. Adeò nos morti generant carnales parentes: opùs ergò habemus parentibus aliis, quibus vitam referamus acceptam: ſunt autem Deus & eccleſia. Porrò Chriſtus vult dicere: Si non miraris Nicodeme, carnales parentes corruptioni & morti edere proles: quare miraris, tales parentes regenerare ad vitam? Rogas (ait Theophylactus) vti aqua generare poſsit? Interrogabo & ego, quomodo ſemen, & ipſum aquoſum exiſtens, poteſt in hominem transformari? Rogas (ait Cyrillus) vt ex aqua? ego viciſsim rogo, qui ex terra? Sed hic alius partus & excellentior editio, nihil terrenæ cõmunicans generationi. Vndè hic non ratiocinatione, ſed fide eſt opùs. Nihil enim (vt ait Chryſoſtomus) æquè eſt pernicioſum, atque humanæ rationi ſpiritualia ſubiicere. Dicis te tale nihil vidiſſe? Et animam tuam quam non vides, te credis habere. Quid vis? Homines non genuerunt homines: Chriſtus filius Dei, chriſtos & filios Dei nos regenerat verbo ſuo, ſacramẽto ſuo matre*, hoc eſt, miniſterio eccleſię. Prima natiui-

Carnis natiuitas innatum habet renaſcẽtiæ ſpiritualis

* *for. eccleſia, hoc.*

tas (ait B. Augustinus) est ex terra, secunda è cælo: prima est carnis, secunda spiritus: illa ex mortalitate & corruptione, hæc ex æternitate & puritate. Illinc sumus peccatores, filij condemnationis, præda diaboli: hinc iusti filij gratiæ, hęredes Dei. Illinc carnales, hinc affectus sortimur spirituales: Illinc vetus, hinc noua creatura. Per hanc sacram renascentiam recepimus pristinam innocentiam: & qui priùs nihil nisi filij Adæ eramus, hoc sacramento filij Dei adoptamur. Vetus homo ex duobus, anima nimirùm & corpore, constat. Vndè & in hac natiuitate duo requiruntur, aqua nimirùm & spiritus: Aqua (ait Cyrillus) sanctificando corpori, animę spiritus. S. Irenæus hac de re scitu dignissima scribit mysteria. Inter cætera dicit, aqua nos & spiritu regenerari oportere ad proferendum bonos fructus, quatenus nec terra sinè pluuiis fructus edat. Vide lib. 3. cap. 18. Vide & Clementem lib. 8. vbi ostendit, omnia aqua & aëre conseruari. Lib. 9. natiuitatem spiritualem dignissimè prosequitur. Neque hic puto silentio premendum, quod S. Augustinus dicit: Haud secus atque nascitur quisque ex carnalis matris suæ visceribus hæres paternorum bonorum, sic etiam renascimur ex visceribus ecclesiæ hæredes patris cælestis. Aeternæ itaque damnationis mancipia sunt, non solùm Iudæi & Agareni omnes baptismum ignorantes, sed & hæretici & schismatici quicunque extra ecclesiam baptizantes. Viderint hęretici, quod patrimonium extra matrimonium expectent. Admonendi hic catholici, vt gratiam baptismi ritè æstimando, Deo patri dignam vitam viuere pergant. Admonendi item, vt negligentiam abusuum multorum, verisimam hæresion & schismaton occasionem, corrigant. Hanc rem quòd hodiè nemo curat, neque Helias, neque Ionas satis deflere poterit.

Aqua facit ad sanctificationem corporis: spiritus, ad animæ.

Renascimur ex visceribus ecclesiæ.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Hac particula Christus omnia, quæ dixit, declarat. Gnome est, quam quotidiè veram experimur. Talis quæque creatura, qualis est nata. Ex carnali generatione carnales, bestiales, ferales, bruti & mortales sumus: ex spirituali, spirituales efficimur. Quid enim caro aliud, quàm carnalia gignat? Bestia bestiã gignat neces-

sum est,& putredinem putredo. Malus coruus, malum ouum.Spina non profert vuas, nec tribulus ficus. Fieri itaque non potest, vt homo sine renascentia ea spiritua-
li,ea quæ Dei sunt,intelligat & quærat. Vndè ait: Quod natum est ex spiritu,spiritus est:& quod ex carne fusum est,caro est. Ex spiritu natus est qui ait: Omnia possum per eum qui me confortat. Item:Iam neminem agnosco secundùm carnem. Attende potentiam & virtutem spiritus. Quod natum est ex spiritu, spiritus est, ait Beda: Non solùm spiritualis,sed & spiritus vocatur: quia sicut substantia spiritus inuisibilis nostris adspectibus, ità is qui per gratiam Dei innouatur inuisibiliter,fit spiritualis & Dei filius, cùm visibiliter omnibus caro & filius hominis appareat.Ingenium mutat, non conditionem: affectus nouos induit,carnem non exuit.Spiritus est virtus inuisibilis,quæ nos ex se,secundùm suam similitudinem transformat,hoc est, spiritu principali confirmat. Apostoli hoc ipsum,pneumaticos,solent appellare. Vndè Theophylactus spiritus spiritum accipit pro spirituali homine. Neque enim spiritus diuinus fit,baptizatus:sed quum adoptionem filiorum in spiritu,& gratiam & honorem susceperit,spiritualis esse meretur. Apostoli vocãt pneumaticos.Spiritus carnẽ & ossa nõ habet,Lu. 24.Spiritus itaq; sunt,baptizati,sed affectu,non natura.

Spiritualia intelligimꝰ, quatenus spirituales sumus.

Spirituales efficimur non substãtia, sed affectu.

Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult,spirat: & vocem eius audis,sed nescis vndè veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Christus in æternum benedictus,videns Nicodemũ planè stupescentem,gnomen prædictam exemplo siue similitudine naturali omnium perspectissimo,suffulsit.Baptizati,atque adeò illuminati,tantorum mysteriorum sensum consequi possunt,nec porrò talibus similitudinibus opùs habent. Nicodemo verò & catechumenis opùs est exempli huius expositione.Spiritus inquit,vltrò citroque spirat,vbi & vt libet:hoc est, naturali proprietate à Deo creata,quò visum est,fertur.Personat vniuersum orbem: nõ vides illum:flatus eius strepitum saltem audis. Tantum abest vt nostro arbitrio possit cohiberi, vt nesciamus quidem vndè veniat,aut quò tendat. Nõrunt matheseos experientes,ventorum proprietates, humidi sint an ca-

lidi &c. sed thesaurum Dei (nisi Aeolium antrum aliquod fingant) vndè proficiscuntur, nunquàm ostendent. Dein & periodum locumque, quò se recipiant, nullius vnquàm mens est assecuta. Sic & spiritus sanctus ineffabilis maiestatis suæ potentia operatur. Audis illum in verbo scripturæ venientem, procedentemque à patre & filio, mitti in nomine Iesu: tempus verò & locum, modum & terminum non vides. Sentis & afflatum, quoties consolationem accipis: essentiæ effectum sentis, quoties consolationes eius sentis: sed essentiæ eius maiestatem non percipis, quia neque venti naturalis rationem ratione assequeris. Hactenùs habet ventus naturalis spiritussancti similitudinem. Nam vt ille incorporeus, subtilis & penetrabilis est, ita & hic omnia virtute agit inuisibili: ille verò, quia creatura est, omnia corporaliter: hic, quia creator, spiritualiter agit omnia. Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, Cyrillus, spiritum ventum saltem accipiunt. Augustinus & Beda, ad spiritum sanctũ hunc locum referunt. Item in homilia de festiuitate Pẽtecostes illa Act. 2. & Ioan. 14. Sequitur:

Ventus, spiritussancti habet instar.

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Deest Nicodemo hoc ipsum, de quo hoc loco agitur. Sine spiritu ea quæ spiritussancti sunt, velle sapere, est in tenebris sinè funaliũ lumine velle videre. Quomodò possunt hæc fieri? Da gloriam Deo: crede, & intelliges. Nisi enim credideris, non intelliges. Sed heus tu doctor legis, nũ maiestatẽ immensi Dei ratione concludes humana? Quòd si tu qui doctor es ineruditorũ, oculus cæcorũ, lux in tenebris ambulantium, ita caligas & hallucinaris: heu mihi, quantis erroribus reliquus grex inuolutus credendus? Quomodò possunt hæc fieri? Hoc nihil aliud est dicere, quàm quomodò creatus est mundus ex nihilo? quo consilio formatus homo? quomodò natus est Isaac ex promissione? qua ratione & via signa edita in Aegypto, mare diuisum, Iordanis retrò lapsus? quomodò prophetæ reliquiæ corpus exanimũ redanimauerunt? quomodò aqua Iordanis lepram alienigenæ eluit? Et quomodò, iuxta prophetam, concipere poterit Alma? Nónne hæc omnia in *Esra* vel *Arbim* legis? Tu

scripturam mysteriorum Dei, rationibus humanæ angustiæ concludes? Cyrillus ait: Quantam putabimus cęterorum Iudæorum fuisse obscuritatem, cum Rabbi eorum adeo fuit inscius? Fungum, non hominem, Christus hominem sciolum esse ostendit. Fastum supercilium-que pharisaicum (vt ait Augustinus) tollit, vt hominem spirituali regenerationi præparet, Nicodemo tanquam indocto insultando. Vtinam & nostrates fastuosos pharisæos spiritus Dei insolentiæ arguat. Pacem ecclesiæ iam haberemus reconciliatam, abusus haberemus correctos, nisi Elymasitæ vtrinquè spiritui Dei obsistant. Noui euangelici, egregij simulatores, ecclesiam nulli vel semicatholico non execrabilem comminiscuntur. Superstitiosuli catholici, dissimulatores insignes, abusus & superstitiones omnes fouent. Vtrinque simili pertinacia & sua asserunt, & ea quæ sanæ doctrinæ sunt, insectantur. Dominus cum Elyma mago illo Actor. 13. iudicet omnes, qui certa obstinatia aliquid veritati catholicæ contrarium vel simulando vel dissimulando, vias Domini rectas inuertere non verentur. Idem cum Nicodemo illuminare dignetur, se in vera simplicitate quærentes.

Nicodemus præparatur spiritualis regenerationi.

Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. Quasi dicat, Non hæc ex meipso loquor. Verba hæc, mea non sunt. Patris est, quidquid audis. Pater ipse per me loquitur. Pater de se testimonium profert: hoc illi licet, quia nihil est illo maius. Dein & Amen testis fidelis & verus, initium creaturæ Dei, oculatus testis adest, hoc quod vidit & nouit, edisserens. Tu Nicodeme ipse dixisti me à Deo venisse, superuacuè itaque verborum meorum rationem postulas. Prophetæ afflati Deo, qui saltem audierunt, sola fide, citra omnem ratiocinandi respectum, sunt recepti: nemo oraculorum eorundem orationem requisiuit: & tu mihi discredis, qui visa & comperta mihi profero mysteria? Creditis homini Mosi, & sanctæ Trinitati fidem adhibere recusatis? Hæc dicens Dominus, verbum Nicodemi vrget, quod dixit: scimus quod à Deo venisti magister. Tanquam dicat: Non vèni simili ratione atq; Moses, sed vèni Dominus.

Deo sinè omni ratiocinatione credendum.

Vę qui Domino ſeruum præfert. Ego ſum, ait, qui teſtimonium fero eorum quæ ſcio & vidi: & teſtimonium fert de me, qui me miſit. Ego ſi teſtimonium feram de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio vndè veni, & quò vado. Sed eccè tibi, teſtimonia abundant, teſtium ſum feliciſsimus. Felix qui teſtimonia noſtra non contemnit. Vide Ioan. 8. Apoc. 3.

Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Hic in perſona Nicodemi ipſam tangit ſynagogam. Idem fecit & ſuperiori verbo, quoniam etiam pluraliter dixit: Et teſtimonium noſtrum non accipitis. Non creditis, ait. Quaſi dicat, Infidelibus & perfidis Iudæis, non credentibus & non credituris conteſtor, quod ſuapte perfidia credere recuſant. Aquæ naturam expiabilem, venti ſpirabilem eſſe ſcitis: apta planè ſacramenta regenerationi cognoſcitis, nec tamen etiam ſi tale ſacramentũ cognoſcere vultis. Non conſequimini, quia conſequi non vultis. Et ſi ea quæ humanæ rationi ſubiacent, non capitis: quomodo conſequamini, ſi ea quæ mentes humanas ſuperãt, dicerem? Rogas enim, quomodo poſſunt hæc fieri? In cælum aſcendere conaris, & videre quæ homini non licent cernere. Mane, mane, inquam, in terra puluis & vmbra. Expurgare, vt tandem poſsis ritè in cęlum euolare. Terrena dixi de generatione ſpirituali, quæ generatio terrena quoquè eſt, quia ex elementis cõſtat, quanuis ſecundum virtutem gratiæ & honorem ſit cæleſtis. baptizatur homo hominũ miniſterio: aqua corpus abluitur, abluitur etiam in hoc ſeculo. Ventus deniquè ſpirando & recreat, & animat. Signa ea ad rem ſignatam quam proximè accedunt. Hoc dono eſto contentus: crede euangelio, & regenerare, & ſufficit tibi. Verum ſi lactis hunc cibum faſtidias, ſolidum nunquam guſtabis. Qui ſacramentalem regenerationem intelligere non poterant, quomodo potuiſſent diuinam eam qua pater filium generat, intelligere? quomodo proceſsionem & miſsionem ſpiritus ſancti ratione aſſequi potuiſſent? Iudæi (quæ eorum eſt pertinacia) de cæleſtibus rebus teſtimonium petebant humanum: nec vno teſte contenti, (habuerũt enim Ioannem eius rei teſtem non pœnitendum) Chriſtus plures adduxit, patrem nimirum,

Aqua & ventus apta ſacramenta regenerationis.

Terrena quæ Chriſtus dixerit.

verbum & ſpiritum: plures adducere non potuit. hominem aliquem præter Meſsiam ipſum proferre non potuit, quia præter illum nullus vnquam in cælum aſſcendit. In hunc modum Cyrillus ea quæ ſequuntur, ſuperioribus annectit.

Et nemo aſſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Tu Phariſæe *Ha Paruſch*, in exordio orationis tuę dixiſti: Scimus quia à Deo veniſti magiſter. Oportuit ergo & meis verbis te fidem adhibuiſſe. Sed non adhibes, quia non credis, qualis & quantus è cælo deſcenderim, demonſtrationem petis & rationem rerum cæleſtium. carnem & ſanguinem è ſupernis vis delabi. Sed nihil eius rei vnquã illuc peruenit. Ego vnigenitus dei, verbum æternũ, ſapientia patris, Emanuel, &c. ſolus illinc deſcendi: illinc, inquam, quò neque Enoch, neque Helias, neque Moſes vnquam peruenerunt. Miſsi dicuntur & à Deo veniſſe prophetæ, non quod in cælum vnquam pertigerint, ſed quia electi ad prophetandi miniſterium extiterunt, & quia vocem Dei audierunt. Verbum venit è regalibus ſedibus omnipotens, Sapien. 18. Verbum venit in hunc mundum, ſed nunquam deſeruit cælum. Hic pie catholice obſerua, quam procliue ſit homini ex ſcriptura errorem comminiſci. Filius hominis hic dicitur deſcendiſſe de cælo. Apollinarius hic, inſtar puerorum, hilo in faba reperto, Io Io ſucclamitans, eccleſiæ inſultare, præ ſe omnes contemen re, ſe vnicè illuminatum iactare. Qui autem? Audiamus nouum euangeliſtam: Chriſtum longè excellentius prædicat, nempe talem Chriſtum, qui habuerit corpus è cælo, qui tanquam per canalem per virginem in hunc mundum venerit. Non abeſt ſcriptura. Sic enim ait Ioannes: Nemo aſſcendit in cælum, niſi filius hominis qui eſt in cælo. Adeſt & ratio, quia honorifica de Deo talis eſt prædicatio. Humilius & propemodum abſurdum eſt, Deum hominem fieri. Nouum euangeliſtam non audiuit eccleſia. alienum non audiuit grex Dominicus: ſed quod à traduce ſancta didicit, Mariæ filium in vna hypoſtaſi verum Deum & hominem adorare pergit. Nam & ſic habet idem Euangeliſta: Verbum caro factum eſt. Hic Apollinariſta ſuos profert tropos, ſed traducis eccleſię albus,

Miſsi dicũtur prophetæ, ſed nõ è cælo.

Procliue eſt homini ex ſcriptura errores cõminiſci.

intelligit verbum ex Maria virgine verum hominem natum. Vndè & ipſam glorioſiſsimam virginem theotocam prædicat, eiusque filium verum Deum & hominem adorat. Neque enim Euangeliſta dicit, Verbum fuit caro: ſed, factum eſt. Fieri & fuiſſe, eccleſiæ differunt. Sic vincit veritas, & immobilis permanet columna veritatis eccleſia. Nunc poſtquam audias in vna hypoſtaſi, hoc eſt, in vna perſona ex duabus naturis Chriſtum tradi: obſerua ſcripturam eam, quæ ſic Chriſtum docet, nunc quoquè omnia quæ ſunt hominis filij virginis, attribuere verbo filio patris: rurſus eandem, verbi quæ ſunt, aſſcribere homini. Vndè & hoc loco, filius (vt Theophylactus dicit) hominis dicitur deſcendere de cælo, eò quod [illegible] vna perſona & vna hypoſtaſis: dein, vt nè, quum audieris, qui deſcendit, putes quod non ſit in cælo, dicit: Is qui in cælo eſt. Noli enim ſuſpicari, me propterea (ait) non eſſe illic, quia deſcendi: ſed & hic ſum corporaliter, & illic ſedeo cũ patre vti Deus. Hęc Theophylactus. Sed catholicus hic quis poſsit dubitare, cum ethnicus dicat:

Vna Chriſti perſona ex duabus naturis.

A Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena?

Et hoc quod iam dictum eſt, poterit credi eſſe cæleſte illud, de quo dixit: Si cæleſtia dixero vobis, quomodo credituri ſitis? Iterum, Quod dicit, Nemo aſſcendit in cælum, niſi filius hominis: non intellige, quaſi ſuis amicis, fratribus, ſororibus & proximis, præcepta Dei cuſtodientibus, cælum neget. ἀναβέβηκεν præteriti temporis, non poteſt de futura aſſcenſione intelligi. Illud ſaltem agit, ſe ideo ſolum loqui de ſuperna renaſcentia, quod vnus omnium è cælo deſcenderit. Adde quod & author eius ſacramenti vnicus exiſtat. Non ergo hic locus claudit cælum fidelibus, immo aperit. Aſſcenſuri enim ſumus illuc, vndè caput noſtrum deſcendit. Peruenturi proculdubio (vt ſanctus Auguſtinus ait) in cælum, quia membra Chriſti, qui indè deſcendit, ſumus. Sed nemo ante ipſum caput aſſcendet. aſſcendemus autem poſt omnes. Nos ſiquidem corpus, ille caput: nos decimæ, ille primitiæ. Ille hæres, nos cohæredes & conciues angelorum. Noſtra conuerſatio eſt in cælo. Solus item filius hominis aſſcendit, ſed ſolus eſt cum

Chriſtus ſolus de ſpirituali renaſcentia loqui potuit.

corpore, quod vtiquè non relinquet. Aſſcendet vnus, putà in vnitate, niſi vnam agnoſcens ſponſam: non aſſcendet cum ſponſa & concubinis hæreticis & ſchiſmaticis variis.

Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ex ſuperiori ſermone verbum cognoſci poteſt Chriſtus. Nunc ergo & ſeruili forma ſe hominem oſtendit, & ſimul aduerſus crucis ſcandalon nos ſalutari præmuniuit antidoto. Immo etiam crucis ſacramenta vna declarat. Dixerat de ſacramento baptiſmi, oſtendit donum baptiſmi ineffabile. Homo puluis & vmbra, putredo, filius iræ, in baptiſmo fit hæres regni cælorum & filius Dei. Maxima iſtæc eſt gratia. Patres veteris teſtamenti, dicti populus Dei: nunc qui olim ne populus quidem erant, dicuntur & ſunt filij. Sed vndè hoc? Cuius hoc beneficio? cuius merito? Cui id referemus acceptum? Nemini, niſi crucifixo, regi gloriæ. Dicit ergò: Ita exaltari oportet filium hominis, iuſtitiæ Dei ſic ſatisfiet, ſic oracula Videntium complebuntur, ſic viſiones typicæ effectum ſortientur ſuum. Moſes (in manſione triceſimaquinta & ſexta Zalmona & Phumon) *Saraph* in palo exaltauit ſignum, vt omnes quos igniti preſteres mordicus arripuiſſent, viſo eo curarentur: qui adhuc illæſi fuiſſent, eo die ſecuri permanerent, Numeri vigeſimoprimo. Quid ſibi figura velit, ſcitu perquam neceſſarium eſt. Virtus fuit ſua typo, & ea non parua: quis ergo non videat, maiorem efficiam ineſſe veritati & rei ſignatæ? Populus Iſrael, offenſo patre cæleſti, adiudicatus eſt morſibus preſterum. Totus mundus peccauit: eadem ergo iuſtitia traditus eſt peccatis ad aliam atque aliam iniquitatem. Peccata præſteres ſunt, hoc eſt, ſerpentes igniti. Peccatum eſt hæmorrhois ſerpens, qui ſuo morſu ſanguinem omnem effluere facit: dipſas, ſitim æternam faciens: ſeps vulnificus, hominem planè putreſcere faciens. Hic eſt fructus arboris eius, quam mulier ſerpentis ſuaſu tetigit: vt videas peccatũ ritè per cæcilias, colubros, angues & omne genus ignitorum ſerpentium, ſignificari. Nunc vt remedium cõſentiat morbo, ſtatuit pater per auguſtiorem

Sacramẽtorũ virtus vndè.

Peccata ſunt ſerpentes.

Peccata per serpẽ ẽ curantur.

serpentem *Saraph* quendam (hoc est, per eum qui sinè peccato, peccatorum, atque per hoc sinè veneno serpentium, speciẽ velaturus est) vniuersum genus hominum à peccatis suis liberare. *Saraph* siquidem & hoc ipsum, q̃ similitudinẽ serpẽtis igniti retulit, erat. Huius serpẽtis mysteriũ explicat Saluator, dicẽs: Ego ipse ille sum, qui speciẽ peccatorũ in meipsum transtuli, circunciſionẽ in corpore meo circunferens, legi, quę peccati omnes insimulat, subiect⁹. Ex altabor itaq; vt omnis qui viderit me oculis fidei, seruetur: non vitæ deciduæ, quemadmodum in deserto, sed æternæ beatitudini. Aduerte illic exaltatam effigiem chersydri. non erat tamen chersydrus, siue iaculus, siue scytale siue cenchris, siue ceraſtes, siue aliud quodcunque genus serpentiũ aut vermium venenatorum. Sic quemadmodum ille serpens istic exaltatus, nihil minus fuit quàm anguis: sic & Christus nihil minus est, quàm peccator. Atque hæc hactenus. Huc facit Roma. 8. Quod lex prestare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnẽ: hoc Deus, proprio filio misſo sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnẽ versamur, sed secundum spiritum. Item hoc: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, &c. ipse peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, 1. Pet. 2. Pro nobis factus peccatum, 2. Cor. 5. Execratio, Gal. 3. Quia alioqui reuerà est augustissimus ille sacerdos, cuius typum vides Gen. 22. Item hic obseruandum, neque in Mose, neque in Ioanne haberi æneum serpentem, nẽque item id legi apud septuaginta: sed ad illustriorem sensum, iuxta historiæ veritatem, ab interprete sic positum. Cæterum fuisse æneum, vides 4. Reg. 19. vbi Hebraicè legis, *Nebas Ha Nehoseth*, hoc est, serpens æneus. Moses neque serpentem neque æneum habet, sed tantum vocat signum exaltatum *Saraph*, quoniam serpentes igniti illi, quos nos presteres vocamus, illi *Saraphim* appellauere. Euãgelista vocat serpentem secundum formam, non secũdum proprietatem naturalem. Serpentes igniti, secundum Augustinum & Cyrillum, quos nos sequuti sumus, significant

Serpẽs in eremo exaltat⁹, nihil min⁹ quã serpẽs fuit

De serpẽte aheno vbi legatur.

Peccata. Sed ſerpens exaltatus, ſecundum Bedam, ſignificat paſsionem Chriſti, in cuius ſolùm fide regnum (vt ille ait) peccati & mortis ſuperatur. Viſio ſignificat fidem donum ſpiritus ſancti. Vtriuſque baptiſmus eſt ſacramentum, fidei nimirum & mortificationis. Vndè & infantes per fidei ſacramentum, cum baptizantur, eccleſiæ fidei fiunt conſortes, eamque ſibi propriè atque ſuo iure vendicant, De conſ. diſt. 4. Quis autem. Quis autem neſciat, credere, eſſe infantibus baptizari: non credere autem, non baptizari? De fide habes Roman. 6. Ibidem habes, in Chriſti mortem nos baptizari. De ſpiritu habes Galat. 5. Nouam vitam eam gratiam requirere vides Tit. 3. Inanis eſt fides & ficta mortificatio, niſi ſequatur boni operis exercitatio. Arborem bonam, quę tales fructus bonos edat, nos efficiat, qui eſt optimus maximus, ad ſuam ipſius laudem & gloriam. Qui viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Videte ſer pentẽ quid ſit.

DE SANCTA TRINITATE.

POſtquàm certum ſit, cultus diuini maiorem partem in prædicandi officio eſſe ſitam, par eſt, vt etiam in hac ſancta ſolennitate, quę S. Triadis commemorationi dedicata eſt, ſanctæ indiuiduę Trinitatis fides tradatur, & eiuſdem numinis ſimplicis gloria prædicetur. Hæreticos qui aut ſubſtãtiam S. Trinitatis diſcreuerunt, aut perſonas confuderunt, hic non ducimus dignos, vt in S. Trinitatis prædicatione nomina eorum introducamus, memores verbi pſalmiſtæ, dicentis: Non memor ero nominum eorum per labia mea, Pſal. 15. Hęreticos peritos fuiſſe, certum eſt: ſed quo peritiores fuerunt, hoc etiam peruerſiores. Fidutia ſuæ experientię decepit eos. Nobis ergo illorum periculo † cautiores factis ſola fides ſufficiat. Nam ſi non crediderimus, nunquam intelligemus. Orientalibus dictio Homouſion habebatur deliramentum, quòd in ſcriptura canonica non inueniretur. teſtis hiſtor. Tripart. lib. 2. cap. 7. Hæretici peſsimi neque ὁμοούσιον, id eſt, eiuſdem ſubſtantię, neque ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ perferentes, etiam ἀνόμοιον ſubſtituêre. Dictio ἀνόμοιον ſignificat, ſanctam Trinitatem per omnia ſibi eſſe inæqualem. hiſt. Tripart. lib. 5. ca. 34. Adeò difficilis hęreſis eſt res, etiam ſibiipſi pugnans. Sed

mirabile hoc omninò eſt, quod etiam ſic hominum mentes dementat. Mirum quod & quantos viros hæreſis illa deceperit, in quãtam ſubitò accreuerit vim. Mirũ eccleſiam catholicã tam repentè decreuiſſe, atque quodammodò defeciſſe. Hæretici catholicos Homouſiaſtas quaſi propudioſo nomine appellantes deridebant. Triomachorum etiam quidam, filium Dei κτισμὸν appellare auſus fuit, hoc eſt, creaturam ſiue aliquid creatum. Sed puſillo huic ſuo gregi bonus animarum Epiſcopus tandem exoratus, aſſertores miſit inuictos: qui Triomachos eos non ſolum potentiſsimo confutarent ſpiritu, ſed & ipſam S. Trinitatis fidem mactè illuſtrarent. S. Ignatius ſiquidem in Epiſtola ad Philippenſes præclarè de S. Trinitate ſcripſit. S. Hilarius duodecim libros maximè maieſtatis contra hæreticos, S. Trinitatis inficiatores, edidit. Idacius Epiſcopus Hiſpanus contra Varimandum Arrianum de Vnitate & Trinitate librum ſcripſit inſignem. Cyrillus quoque contra S. Trinitatis hoſtes quartuordecim egregios libros conſcripſit, Theſauri titulum habentes. Idem etiam de S. Trinitate ſeptem dialogorum libros ſcripſit ad Nemeſium. Auguſtinus quindecim libros de S. Trinitatis fide catholica priuatim edidit, præter ea quæ de ſancta Trinitate paſsim in ſuis vigiliis & elucubrationibus commemorat. Egregiè etiam Ioannes Damaſcenus, Alexander Papa apoſtolicus in fragmento epiſtolarum ſuarum, Xiſtus in epiſtolis, & alij multi S. Trinitatis fidé & aſſeruere & illuſtrauere. Taceo quòd S. Dionyſius libro de Diuinis nominibus cap. 1. fidem S. Trinitatis locupletiſsimè explicans, monet nè quid de S. Triade & ſimplici monade temerè citra ſcripturæ maieſtatem doceatur.

Catholicæ itaque eccleſiæ conſentientes filij eccleſiæ, Homouſion & Trinitatem confitemur. Scriptura quoque catholica nobis eſt in promptu. Sufficiat breuitatis cauſa ex tanta abyſſo & ſylua vnum atque alterum teſtimonium protuliſſe. Matth. 28. perſonæ tres non obſcurè exprimuntur, patris, filij, & ſpiritus ſancti. 1. Corint. 12. habes Deum. Dominum, & Spiritum. Hæc tria ſacroſancta nomina, vocantur & adorantur S. Trias ſiue

Trinitas. Vocatur Trinitas ratione nominum & proprietatis personalis, Monas vocatur ratione simplicissimæ vnitatis: Trinitas ratione personarum, vnitas ratione numinis siue diuinitatis. Humanũ eloquium fidei profitendæ sufficit, maiestatem ineffabilem penitus non complectitur. Nam iuxta S. Augustini sententiam, summum bonum non nisi pura mens contemplatur. Superioris ecclesiæ patres, Trisypostaton Deum etiam appellarunt. Vocabulum hoc obscurum est, propterea quòd scholastici plerique adhuc certant de vna vsia & de tribus hypostasibus: quanquam hypostasios vocabulum, magis ad trium personarum proprietatẽ pertineat. Vsia, essentiæ vnitatem denotat. Hypostasis, tres substantias personales & earum proprietatem significat. Deus pater etiam à Sibyllis dictus est ἀγέννητος, item ἀκτιστὸς, hoc est, Ingenitus, non factus. Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritussanctus à patre & filio, non factus, neque creatus, neque genitus, sed procedens vt habet symbolon Athanasij. Cyrillus lib. 8. contra Iulianum, fidem S. Trinitatis ex ethnicorum Numenij, Plotini, & aliorum philosophorum potentissimè declarat. Idem ibidem lib. 1. ostendit, ethnicos verbum, id est, filium Dei, & mentem vniuersi, id est, spiritumsanctum nouisse. Legat sacerdos S. Athana. quæst. 1. Trisypostaton, id est, trisubstantialem esse Deum, id est, in tribus subsistentiis vnius essentiæ esse deitatem. Legat & Symbolum Damasi, quod S. Hieronymus memoriæ tradidit &c. Legat sacerdos regulas fidei Irenæi & Tertulliani. Item Cyrillum ad Reginas de recta fide. Item Origenem lib. 1. Periarchon, ca. 3. vbi scitè ait, Nihil in Trinitate maius aut minus dicendum est. Meminerint rudes & laici verbi Apostoli Roma. 11. dicentis, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientię Dei, quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Qui scrutator est maiestatis, supprimetur à gloria, Prouerb. 25. Dauid ergo maluit humiliter sentire, & in mirabilibus supra se non ambulare, Psal. 130. Hæretici sunt facti eruditi viri, propterea quod angustia mentium suarum maiestatem eam, quam cœli cœlorũ capere non possunt circunscribere conarentur. Relucet in creatura quædam

creatoris similitudo, sed non expressa. Exempli gratia: Ignis, splendor & calor, tria sunt & vnum. Ignis non nascitur ex splendore, neque splendor prouenit ex calore. Vide S. Augustinum de Symbolo ad Catech. lib. 4. cap. 9. Simile est etiã, Sol, radij solares, & calor. Aliud Nix, glacies, & aqua. Item Nix, aqua, & algor. Reperi aliud simile in vetustissimo quodam libello, nempe harmoniam, quam percussa arte cithara edit: Pertinent ad harmoniam eam, ars, manus & cithara siue fides. Ars dictat, manus tangit, chorda sonat. Hæc ibi. Incunabula hæc sunt religionis, pertinent ad pappam, qua catechumeni eruditur. Perfectiores nôrunt, (quod tamen & rudibus sæpissimè est inculcandum) maiestatis diuinæ nullum in toto plasmate perfectum & expressum instar inueniri. De nulla creaturarum siquidem potest dici, quod de Christo memoriæ est proditum, nempe quod sit splendor maiestatis diuinæ. expressa similitudo, speculum gloriæ Dei, &c. Pertinet etiam ad pappam similitudo illa, quam ex hominum accipiunt constitutione, Corpore, anima, & spiritu, ex tribus animæ potentiis. Item ex tribus hominis nominibus. Apud Hebræos vocatur homo, *Is*, *Adam*, *& Enos*. Tres partes terræ, tres partes plasmatis, cœlum, terra & inferus, sunt etiam S. Trinitatis vestigia quædam & indicia. Terra quoque tria habet potissimum nomina, *Eretz*, *Thebel*, *Adamah*, id est, terra, orbis, & humus, hist. Tripar. lib. 5. cap. 47. & Tertul. libro contra Praxeam, ponunt similia generationis, fruticis à radice, fluuij à fonte, Radij à sole. Sed quod semel atque iterum admonui, nouerimus diuina humanis inique comparari. Meminerimus quæ scommata friuolum exemplum hæreticis pepererit olim, cùm Imperator Carolus & Rotolandus nationes plures Imperio subegere: Tum vt fidem quoque catholicã adstruerent, vsi sunt friuolo exemplo vestium, animantium, & cibi. Ineptias tales S. Augustinus haudquam æquo animo tulisset, qui noluit, vt ex patre, matre & liberis, S. Trinitatis similitudo peteretur. de Trinitate lib. 12. cap. 5. Et Hilarius ait: Comparatio terrenorum ad Deum, nulla est. sed infirmitas nostræ intelligentiæ, coegit species quasdam ex inferioribus tanquam superiorum radices quærere, vt rerum familiarium

miliarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia, ad insoliti sensus opinionem educeremur. Hæc ille: de Trinitate libr.1. Sunt fortè quibus arridet Magni Melitij verbum: Tria sunt, quæ intelliguntur: nos verò de vno loquimur. Hęc dicens, tres digitos protulit: mox duos retrahens, vnum extendere perseuerando. Histo. Tripart. lib.5.cap.47. Contra Iudęorum blasphemias, notet catholicus scripturæ loca de filio & spiritu sancto. Nam de Patre Iudæis nobiscum conuenit. De filio habes Psal.2.& Esa.9. De spiritu sancto habemus Psal.50. Esa.63. Iam cùm infelices Verpi garriant nos tres deos colere, sequitur eos etiam tres affirmare & colere, qui scripturam eandem nobiscum habeant & approbent. Maiestate scripturæ eius coguntur nobiscũ fateri, quòd Deus vnus & perfectus sit in Trinitate, quam ipsi *Schiluſch* vocant. Lege hac de re Victorini Aphri librum. Reuerà vnum Deum in S. Trinitate colimus & adoramus, Exod.20.Deut.5. Vnum in essentia & natura. Fides hæc nostra in scriptura canonica est firmatissima, vt Israelitis & Ismaelitis spurcissimis rumpantur ilia. Iudæi nequicquàm Messiã expectant, quia Christum nostrum Sotera innumerabilia scripturæ testimonia habentem reprobauerunt. Hic semen Abrahæ, sceptrum Iacobi, stella Balaam, frater Mosis, acetum Dauidis, vulneratus Esaiæ, Adonai Hieremiæ. Hebdomadæ annorum Danielis, Bethleem Michææ, Asinus Zachariæ, Gene.22.& 49.Num.24.Deut.18.Psalm.69.Esa.53. Hierem.23.Dan.9.Mich.5.Zacha.9. Cyrillus libro 1.cõtra Iulianum ostendit, Abrahamum & Mosen S. Trinitatem præclarè esse confessos. Sed cæci Iudæi horum nihil vident. Grauissimè confutauerunt Iudæos Tertullianus & Cyprianus. Non minori pondere erroris reuicerunt ethnicos Iustinus, Lactantius, Athanasius, & alij S. Patres. S. Augustinus tam hos quàm illos dignè pro re redarguit. Iudæos hallucinari mirum non est, quòd synagoga in vmbra saltem tanta vidit mysteria. Ethnicos quoque delirare, miraculi loco non est habendum. Cyrillus enim testis est, Orpheum, Homerum, Sophoclem, Pythagoram, Hermetem Trismegistum, Porphyrium, & hoc genus diuinissimos inter ethnicos philo-

sophos, veritatem vix vno oculo vidisse: vndè philosophos eos omnes strabos appellat. Mirum verò & horrendum est dictu, quòd ij qui in nomine S. Trinitatis sunt baptizati, & qui catholicè sunt catechizati, à S. Trinitatis confessione deficere possunt. Nihil in terra fit sine causa. Peccatum Deus peccato nonnunquàm punit. Viderint ergò & pseudocatholici, an S. Trinitatis fidem ritè [redacted] venerentur. Viderint quantùm scripturæ deferant canonicæ. Magistratus catholicus quare magica suffert precamina? Quare non animaduertit iuxta legem Dei Exo. 20. in eos, qui friuolis & clandestinis adiurationibus maiestatem S. Trinitatis pàssi lædunt? Magistratus, quòd secundùm legis præscriptum, magorum & Necromanticorum vulgus non plectit, secundùm legem eam Dei Exod. 20. tandèm punietur. Nemo omnium ecclesiæ procerum est, qui nõ minimam sui nominis notam atrocissimè vlciscatur. Ag grauat illorum culpam illa tyrannis, qua pro suo honore conseruando quiduis, sed pro reuerentia nominis altissimi asserenda, nihil omninò audent. Dominus Deus religionis sanctæ ignem planè sopitum, in ecclesia sancta catholica excitare dignetur. Qui in Trinitate perfecta sit benedictus in secula, Amen.

DOMINICA TRINITATIS,

Ioan. 3.

Erat homo ex phariseis, Nicodemus &c.

¶ Sensus literalis & mysticus.

Nicodemus, quoniam Iudæus & is phariseus erat, nouerat Deum patrem conditorem cæli & terræ. Filij quoque fidem aliquantulum habuit, quod videmus ex verbis eius: dicit enim: Scimus quia à Deo veniſti. Christus videns eum de spiritu sancto nihil nosse, & se non satis Deum vnum cum patre & spiritu sancto credere, ipsum primò per sacramẽtum baptismi docet de spiritu sancto: dein & suam Deitatem illi insinuat per typum serpentis ænei.

¶ Sensus eius sectio est o:

1 *Nicodemus princeps eorum qui Deum secundùm legem confitebantur, nonnihil de Christi credidit Deitate. Venit itaque, plura de Christo nosse desiderans.*

2 *Christus delineat, citra sacramentum illuminationis & gra-*

tium vnctionis, fidē ſui planè percipi non poſſe. Quantùm ad baptiſmum attinet, obſeruandum, Nicodemus hic Chriſtum interrogaſſe. Primò. Quomodò poſſit homo renaſci, & matris vterum adultus introire? Super hoc verbo reſpondit ei Ieſus, iureiuranda dicens:

1 *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, &.*

2 *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.*

3 *Non mireris, quia quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.*

4 *Sic omnis qui natus eſt ex ſpiritu.*

Verſus:

1 *Ni rurſus naſcatur aqua quis flamine & almo,*
Haud regnum cæli peruium habere poteſt.

2 *Fœtus nam carnis caro morbida quiſquis habendus.*
Eſt & credendus pneumate pneuma ſatus.

3 *Quod minimè mirum, ſpirat quia vult vbi flamen.*

4 *Audis: ſed quorſum, neſcis, & vndè ruat.*

Dein iterum rogat Nicodemus, dicēs: Quomodo poſſunt hæc fieri? Cui iterùm ait: Tu magiſter in Iſrael es, & hæc ignoras?

1 *Amen amen dico tibi, quod ſcimus, loquimur, &c.*

2 *Si terrena dixi vobis, & non creditis: &c.*

3 *Et nemo aſſcendit in cælum, &c.*

¶ Verſibus ſequentibus Chriſti verba ſum complexus:

Hæc Iſraelis non noſti tute magiſter?
Amen amen dico nunc Nicodeme tibi,
Quod ſcimus loquimur, teſtamur viſaq;, verùm
Ceſſatis nobis vos adhibere fidem.
Nunc terrena minùs credens, myſteria regni
Cælorum craſſus credere poſſit homo?

3 *Typum profert ænei ſerpentis, ſed nec ipſum citra vnctionem humano ingenio comprehenſibilem perueſtigabilemq;.*

¶ DECLARATIO.

Chriſtum certè noſſe, eſt ſanctæ Trinitatis fidem perfectam habere. Qui me videt, ait, videt & patrem meum. Et natura plerumque filios patribus ſimiles eſſe iubet, iuxta hoc Poetæ:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Dein non ſinè certa & ea grauiſſima cauſa, filius per ſpiritum ſanctum voluit concipi. Sunt quidem ſanctæ Trinitatis indiſcreta opera, ſed alia aliis perſonis adſcribuntur magis, vtique propter certa myſteria. Dicitur ergò Chriſtus conceptus à ſpiritu ſancto, vt in Chriſto etiam illa perſona ſanctæ Triadis cognoſceretur. Nemo itidem venit ad filium, niſi patris ſuperni ductu, nec potis eſt quiſquam Domine Ieſu dicere, niſi per ſpiritum ſanctum. Regeneramur item merito Chriſti patri cæleſti noua progenies per ſpiritum ſanctum: idque per nomen ſanctæ Trinitatis. Itaque qui regenerationis ſuæ myſteria probè tenet, fidem ſanctæ Trinitatis integram habet. Omnia hæc tanta dona, clementia nobis patris contingunt. Patrum eſt, erga liberos eſſe clementes. Merito filij itidē tanta bona ſortimur. Primogenitus noſter frater nobis miſellis ſuis fratribus laborauit, non ſibi. Spiritus ſancti opus eſt hæc noſtra ſalus omnis. Hæc omnia theoreticus in præſenti lectione per ſe ſtatim videbit.

¶Morale.

1 *Sedulitate noctis opera diei operibus mutando, Euangeliſtæ correptionem humiliter ſufferendo, verbum auditum fideliter cuſtodiendo, ad Chriſti agnitionē peruenitur, Exemplū Nicodemus.*

2 *Baptiſmus mortificationis ſignum eſt, vtique bonam frugem pœnitentiæ dignos fructus requirens. Nihil ergò fuerit baptizari, & hoc quod baptiſmus requirit, negligere.*

3 *Chriſtum crucifixum non adorat, ſed ludit, qui crucem aueršatur, & poſt Chriſtum portare ſuperſedet. Exeundum ad Chriſtū extra caſtra, opprobriumq; eius portandum, Heb. 13.*

DOMINI. I. POST TRINITAT.

1. Ioan. 4.

DEus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundū, vt viuamus per eum, &c.

PRAEFATIO.

Charitatē accuratè tradit apoſtolus.

ACcuratè charitatem tradit apoſtolus & idem Euāgeliſta Ioannes, per totam epiſtolam: neque eandem rem toties repetere grauatur. Qui ſpiritu Dei pollent, hic dicunt: Bis atque ter quod pulchrum eſt. cęterùm vulgus etiam ipſam ſapientiam faſtidit, ſermonē ſuum protrahentem. Abit itaque, ſubmurmurans atque dicens: Durus eſt ſermo hic &c. Chariſsimi, vnicum hoc, quod Ioannes totiès repetendo tractat, admodùm

eſt neceſſarium, quia iuſtitiæ eſt perfectiuum, ſine qua nemo hominum ſaluabitur in perpetuum. Prædicanda eſt & fides, tanquàm radix & fundamentum: ſed rami & fructus, ædificij item ipſius varietas, radice & fundamento longè præſtat. Deus charitas eſt. qui Dei eſt, prędicationem charitatis gaudens audiet. Prędicatio autem eſt, charitatem æquè ad iuſtificationem & ſalutem requiri, atque fidem. Sic niſi charitatem docueris, quidquid docueris, friuolum commentum erit. Hæreſios ſeſe egregiè infamant, qui doctrina fidei ſolius, charitatis prædicationi detrahunt. Seipſum dat præcipitem, qui Prædicantibus huiuſmodi aurem accommodat. Ventoſi prædicantes, dicunt charitatem non requiri ad ſalutem: hi dum fidem volunt extollere, neque fidem Chriſti ipſam docent, immò produnt cum charitate & pace fidem Chriſti & ipſum Chriſtum, non prædicatores apoſtolici, Petri & Pauli, Ioannis & Iacobi, &c. diſcipuli, ſed proditores, Iudæ Scariothidis æmuli. Effrontes, ſibi eccleſiam mentiuntur: ſed audiant eccleſiam, præcipuè Auguſtinum, de cuius doctrina ſibi etiam non modicè placent. Auguſtinus ait; Dilige, & quod vis, fac. Dicunt noſtrates euangelicaſtri: Crede, & quod vis, fac. Legatur primus liber de doctrina Chriſtiana, & videbuntur hæretici Luterani vel acu tacti. Ambroſius nihil adeò conatur, niſi vt charitatem dignè extollat, quod præſertim vides De vocatione gent. lib. 2. ca. 3. vbi inter cætera, Charitatem dicit eſſe ſummam omnium donorum Dei, & vitam virtutum omnium. Capite item 5. ait: Charitas Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumque poſt eos principum, glorioſo innumerabilium martyrum fine confudit, donante Chriſto imitatoribus ſuis de perſecutionibus regum, æternarum ſtemmata coronarum. Habes, pie Chriſtiane, duas tibi aures diuinitùs datas: alteram, qua fidem: alteram, qua audias charitatem. Noui euãgelicaſtri animas ſuas ſtatim tibi pignori dãt, te fore ſaluum, vbi ſola fide fueris ſuffultus. Ego ſimili exemplo animam quoque meam identidem auſim paciſci, te ſola fide nihil effici: tũ verò ſecurum eſſe, vbi credens, etiam charitati ſtudeas. Sunt hodie noui euangelicaſtri & fratres euangelici, Bœoti, hoc eſt, aures haben-

Charitatis prædicatio conſiſtit in ratione iuſtificationis.

Eccleſiæ argumentum eſt in charitatis ſyncera prædicatione.

Aures duæ homini ſunt ad audiendã doctrinã fidei & charitatis.

tes taurinas. Valeant illi, asininas quoque cum Mida illo habeant ipsi, & qui seductoribus illis applaudunt. Doctores interim nos auribus humanis & cordibus carneis audiemus ecclesiæ, sensum genuinum huius epistolæ nobis exponentes, atque trifariam eam diuidentes. Primò describit diuinæ charitatis nexum. Dicit enim: Deus est charitas. Secundò, charitatis diuinę argumentum addit, dicens: In hoc apparuit charitas diuina. Tertiò, charitatis diuinæ describit fructum, vbi dicit: Deum nemo vidit vnquàm.

Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Apostolus Deũ ingenuè charitatem esse fatetur: quod sanè maioris ponderis dictum est, quàm si dixisset, charitatem, diuinã esse rẽ, cęleste esse donũ, aut aliquid huiusmodi. Quòd si Apostolo credendũ est, quis non videt, ex Deo eos non esse, qui charitatis præmio detrahunt? Sed nos Sirenibus illis aures claudentes, Augustinum audiamus. Dicit ille hoc loco: Quid potuit pstantius de charitate dici, etiã si per totã epistolã nihil præter hoc quod hic dicitur, de charitate diceretur? Ibidèm canonicã hanc epistolã maximi facit: quod dico, ne quis Luterani euangelij euangelista, Epistolam hanc etiam stramentitiam reiiciat. Didymus Alexandrinus hic piè dicit, Deum esse & amorem & amatorem, quẽadmodùm item iustificator est & iustitia ipsa. Beda hic quoq; satis scitè ait. Charitaté quisquis habet, omnia bona possidet: Deum siquidem habet, qui charitas est ipsa. Summi sacramenti verbum est, Deus est charitas. Hac voce si quis ad amandã charitaté non moueatur, charitatis perpetuò expers manebit? Deus charitas sui argumentum præclarum expresit in hoc, quòd filiũ suum vnigenitum nobis dedit redemptorem. Quid poterat nobis dare prestãtius? Sic, ait Seruator, dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnes qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam, Ioan. 3. Rom. quoque 5. dicitur: Declarauit suam erga nos charitatem Deus, quòd etiam tum cùm ad-

Charitas est Deus, non solum diuinum donum aut res.

Charitatis diuinæ argumentum præclarum.

huc peccatores eramus, pro nobis est mortuus. Item Gala. 2. Christus dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Iterum Rom. 8. Cùm ipso tradidit nobis omnia. Agè iam frater, dic quid vltra petis? Dicis regnum cælorum? Sed eccè tibi, Dominum cæli habens, etiam ipsum cælum possides. A peccatis nonnè purgato tibi & sanctificato cælum patescit? Maximè. Crede hoc ipsum, & non erras. Ipse est hilasmus, hoc est, gratia & indulgentia, ne tua te peccata damnare possint: Augustinus vertit litatorem, respiciens ad sacrificium, de quo ait: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Cæterum si credas, Deum tibi ex mera charitate suum vnicum dedisse filium, ipse vides æquum esse vt redames, atque in charitate ambules, quemadmodum ipse ambulaui, 1. Ioann. 2. Ioann. 13. Quod si Christon habes, eius etiam spiritu ducaris oportet, Romanor. 8. Spiritus ille te renouat, cor tuum purificat, bonam mentem tibi ingenerat, te fœcundat, bonisque operibus omnibus locupletat, Galat. 5. Fructus hi patescent Matth. 5. Sic verbum Ioannis suum sortietur effectum: Qui bona egerunt, prodibunt in resurrectionem vitæ, capit. 5. Item, Beati eritis, si hæc feceritis, capit. 13. Omnia sic accipe, quod & ipse prior dilexit nos, nè quis glorietur, quasi illi aliquid dederimus, vt nobis retribuatur, Romanor. 11. Quomodò verò ipsum priores amauerimus, qui eius inimici eramus, Rom. 6? Gratis contra meritum nostrum nos dilexit, vt porro per eius gratiam ad meritum, ipsum redamemus. Vndè sequitur:

Hilasmus est Deus & litator

Dilexit nos Deus prior, nihil est ergo quod glorieмur in nobis.

Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Hic iam, modo aures audiendi habeas, audis, quorsum Ioannes nobis charitatem tantopere commendarit. Amabilem se fecit, vt ametur: Amorem suum, in redemptione animæ & corporis tui declarauit: æquum itaque est, vt & tu sic erga fratrem, Christi corporis membrum, sis affectus. Argumentum dilectionis, exhibitio est operis. Qui me diligit, ait, sermonem meum seruat, Ioan. 14. Ibidem: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Quod si credis quemlibet minimum Christi de corpore, ipsum profecto tanquam teipsum, immo etiam supra teipsum diliges, Deute. 6. Matth. 22. Sic denique iustifican-

Amauit nos prior Deus, vt redamare tur ipse, & nos salmaremur.

tur absolutè credentes. Quid verò credunt? Verbum veritatis. Quale? Quicquid vni ex minimis meis feceritis, mihi feceritis. Lex hæc est perfectæ libertatis, iustitiam absoluentis, quam post fidem fidelibus teletem & legem perfectionis tradidit. Hoc præceptum est (ait) meum, Ioan. 13. & 15.

Deum nemo vidit vnquam. Sic etiam loquitur euangelista in euangelij libro, capite primo. Deum nemo vidit vnquam. vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Sed quorsum hoc iam commemorat? Posteà hoc audies elucidari, vbi ait: Qui fratrem suum quem videt, non amat: Deum quem non videt, quomodò amare possit? Hoc ipsum etiam hic sentit, licet minus luculenter exprimat. Respondet tacitæ quæstioni. Diceret aliquis: Deum non possum non amare, hominem non item: Ille amabilis, hic acharis. Dicit: & tu homo es, vtiquè non eucharius, sed inamabilis. Dilexit verò te, vt & tu fratrē diligas, quem identidem vides, quo nunquam non opùs habes. Cedo, vbi Deum corporeis oculis tuis vnquam vidisti? Abraham, Iacob, Moses, Esaias, Daniel, Amos, Michæas, & alij plerique Deum vidisse commemorantur. sed hoc intellige intelligibiliter, non sensibiliter, vt ait Didymus. Neque enim Deum, sicuti est in hac vita homo videre poterit. Sic dicit Mosi: Faciem meam non videbis. Neque enim me videbit homo, & viuet, Exo. 33. Claritatem solis intueri non possumus, & in Dei maiestatem nos infigere oculos confidamus? Habitat Deus lucē inaccessam. Prophetę & patriarchę viderunt Deum eatenùs, quatenus oracula eorum hoc ipsum declarant, nempe in vmbra & ænigmatis. Propter Deum vero & in Deo, fratrem omnem hominem tanquam seipsos amauerunt, non gratia Dei solum hoc monente, sed & natura hoc exigente. Ethnici quoquè Dei nescij, naturæ ductu, proximum omnem amauerunt, videntes hominem homini natum. Mentitur ergo, qui dicit se Deum diligere posse inuisibilem, immensum, &c. & fratrem naturæ consortem, cuius opera identidem vtitur, cui se per omnia similem cernit, & cui se natum videt, se negat posse amare. Vulgus hodiè ex hoc loco, Deum nemo vidit vnquam, varios errores elicit. Negant eucharistias veri-

Deus dilexit nos, vt nos quoq; proximũ diligamus.

Deus olim visus intelligibiliter.

Deum patrem in Christo præsentem cernimus.

tatem, irrident catholicos, dicentes se in sacro Missæ Deum vidisse, &c. Contra errorem eum sacerdos strenuè nitatur. Nouissimè enim & Deum in terra prophetæ Baruchus videndum est vaticinatus. Et qui Christum probè videt, is & patrem videt. Consule super hac re Augustinum de videndo Deo. Fidei visus hic nobis sufficit. posthac videbimus sicuti est, & cognoscemus sicut cogniti sumus, Cap. 3. Sed tunc alij erimus, puta infirmitate carnis abiecta, angelis similes, Mat. 18. 22. 1. Corint. 13. 2. Corinth. 5.

Si diligimus inuicèm, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. Magnoperè instat & vrget, vt mutuam nobis charitatem persuadeat. Deus suum amorem præcipuè vult euidentem fieri in amore proximi. Dicit omnia frustra fieri, si fratrem non diligas: neque enim sine amore isthoc fratrem diligi vnquam ritè posse. Author amoris ipsa charitas Deus, inuisibilis est. De eius amore perpetuo incertus manseris, si fratrem non dilexeris. Et nisi dilexeris, Dei templum haudquaquam esse poteris. Charitatis vacuus, Dei vacuus. Habitabit in te, si dilexeris ipsum, & eius præcepta obseruaueris, Ioan. 14. Charitate erga proximum, charitas in Deum declaratur: sinè illo amore, quem præcepta eius summoperè requirunt, ille perpetuò in ambiguo erit. Vbi liuor, ibi diabolus (qui & ipse Deus dicitur, sed huius mundi Deus) habitat. Omnis æmulatio est carnalis & diabolica, vt ait S. Iacobus. Signanter & expressè hic dicit: Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet: & hoc, Et charitas eius in nobis perfecta est. Quasi diceret: Argumentum vnicum, quo Dei amoris sumas periculum, amor est proximi. Simile ferè argumentum sequitur:

Amorē Dei, euidentem oportet fieri in amore proximi.

In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Sinè vnctione nulla est charitas. Deus enim est charitas. Non humana natura, sed gratia superna nobis infunditur, Romanor. 5. Dixerat, mutuo amore Deū in nobis manere. Ne hic aliquis charitatem nobis innasci credat, & nos sinè Dei gratia fratrem amare posse arbitretur, subdit, nos mutuo amare non posse sinè amoris authore, cuius gratia etiam ipsum amas amorē, hoc est, Deum. 1. dist. 10. ca. 4. ibid. ca. 5. hic

Charitas Dei infunditur nobis, non innascitur

locus ſatis pro re tractatur. Summa: Per ſpiritũ ſanctum amamus fratrem, & per hoc in ipſo Deo manemus. De ſpiritu ſuo dedit nobis, nempe amorem amoris, ſenſum & dulcedinem charitatis. Deum, dulcem hoſpitem animæ. Dei ſpiritus eſt, quidquid in nobis eſt boni.

Et nos vidimus & teſtificamur, quoniam pater miſit filium ſuum ſeruatorem mundi. Electus apoſtolus hæc grauiſsimo ſpiritu loquitur. Supra dixit. Nemo Deum vidit vnquã, Apoſtoli viderunt verbum incarnatum, ergo de Emanuele certum dederunt teſtimonium, Ioan. 15. Act. 1. Quę vidimus, teſtamur, ait Ioan. 3. Poſſumus etiam nos Ieſu Chriſti ferre teſtimonium, hoc eſt, Chriſtum confiteri filium Dei viui, ſaluatorem mundi, &c. ſed teſtimonium hoc, eſt ſpiritus Dei loquentis in nobis. Non datur à nobis teſtimonium eorum, quę vel vidimus, vel ex Chriſto, in hac vita adhuc degente, audiuimus: ſed eorum quæ ex euangelica didicimus prædicatione, & eorum quæ in nobis obſignauit ſpiritus veritatis. Obſerua, ſummam profeſsionis fidei paucis hic comprehenſam, Pater miſit filium ſeruatorem. Vénit in mundum ſaluare, Ioan. 3. Nulla natio, nulla gẽs ſpecialiter & priuatim ſaluti deſignata eſt, ſed beatitudo per Chriſtũ vniuerſo orbi gratis oblata, vocat vniuerſos, arcet neminem. In nomine Ieſu oportet ſaluari omnem hominem, Act. 4. Apoſtolus dicit, Deum velle omnem hominem ſaluum, primæ Timothæi capite ſecundo. Hoc verbum Apoſtoli vt intelligas, luculenter exponit Ambroſius in libro de vocatione gentium.

Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credimus charitati, quam habet Deus in nobis. Non poſſumus non confiteri hoc, quod res eſt, quod ſcimus: nempe Ieſum Mariæ filium, eſſe verbum incarnatum, puerum nobis natum, filium nobis datum, cuius imperium ſuper humerum eius: hoc eſt, qui ſua natiuitate nos liberauit à diabolica poteſtate. Hoc credidimus, ergo locuti ſumus, Pſal. 115. 2. Cor. 4. Non negabimus ſotera illum, etiam ſi vrgeat fames, contumelia, mors. Altius cordibus noſtris arta fidei impreſſa eſt, quam vt vlla poſsit euelli violentia. Nihil Arrianiſtarum efficiet facundia, nihil Mahumetiſta-

rum iracundia. De confessione virtutis nominis Iesu, habes Matt. 10. Marc. 8. Luc. 12. Emanuel, Messias, Benedictio omnium gentium, Expectatio gentium, Propheta ille, Angelus magni consilij, Iesus, nihil aliud nisi Deus ipse esse potest, cui Moses & omnes prophetæ dant testimonia, in quem omnes visiones typicę respiciunt. Filium hunc Dei vnigenitum, Mariæ primogenitum colentes, Deo patri gratificamur. Spiritum suum nobis ad hoc largitur, ille in nobis tanquam in electissimo templo habitat, nos amans, & aliis subindè & aliis charismatis replens. Vndè & nos de Domino in bonitate sentientes, Dñi dulcedine degustata in eo acquiescimus. Non meritis gloriamur nostris, sed ipse est omnis nostra gloria. Adoptiui filij, in naturali Deo & consubstantiali lætamur & ouamus. In primogenito Mariæ, nos quoque primitias creaturæ Dei, quas pater non seruare non possit, credimus. Spiritus non timoris seruilis, sed adoptionis filiorum Dei, corda nostra ignire facit, hoc est, charitatis flamma accendit, & erga fratres misericordes facit, quemadmodum erga nos misericordem Deum patrem esse credimus. Germanica dialectus, cordis eum calorem graphicè exprimit. Misericordia siquidem vulgariter dicitur Barmhertzigkeit, quasi VVarmhertzigkeit, hoc est, cordis caliditas: Misericors lingua vernacula exprimitur Barmhertzig, quasi VVarmhertzig, hoc est, corde feruens. Contra frigere dicuntur omnes, quibus hic ignis deest, in quorum præcordiis ignis ille tepuit, & mortuus est, Matth. 22. Hi nil agunt boni. Sequitur:

Iesus filius Dei.

Adoptiui filij Dei, in naturali gloriamur

Misericordia.

VVarmhertzigkeit Germanicè propriè exprimitur.

Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quod pulchrum, semel atque iterum audisse iuuat. Qui amat, ab ore pendet amantis. Apostolum non piguit, eandem rem dictam, iterum repetere. Grãde mysterium repetendũ duxit, nè temere effutiisse, quod dixit, videretur. Deus charitas est, dixit. Hoc ipsum iterum dicit. q.d. Non excidit linguæ vitio, sed dictum est professionis certæ articulo, & spiritus sancti gratia. Charitate seruandi, iustificandi, beandi sumus: operæprecium itaque est, vt ea nobis satis euidenter tradatur. Clarè itaque & affatim charitatem prædicat. Augustinus dicit, Chari-

Deũ esse charitatẽ

Apostolus animo præsenti repetit.

tatem non posse supra extolli, quam quod Deus prædicetur. Donum Dei fortè aliquis contempserit. Deum ipsum quis spreuerit insanus? Amor est amandus. non amat verè, quem non dilectio afficiat ipsa. adeò qui in charitate manet, in Deo manet. Itidem qui in charitate manet, Deum in se manentem habet. Est enim charitas, hoc est, charitatis fons & origo, sinè cuius igne, nobis igniculus nullus est. Sinè eius adesse, nihil est nostrum esse. Si ille nobiscum est, quis contra nos esse poterit?

Charitas in die iudicij seruat.

In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij. Eat nunc Luteranista, & aduersus hunc locum cantillet, Die gutte vvercken gelten nichts, sie mogen nicht behutten. Abeat in malam crucem, qui suum obdurat cor. Audiat, cui audiēdi aures sunt concessæ: Charitas protegit, quia in die iudicij sola nos confidentes facit. Rogas, quænam charitas? Respondeo, quę non est ficta, quę non sita est in verbis, sed in factis. Audiatur hic iudex ipse: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Tunc illi dicetur: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus? Quibus ille respondebit: Nescio vos: Immò, ite in ignem æternum. Quarè? Quia stulti ædificauerunt super arenam, & non in solidam petram sacramenti & exempli Christi. Contrà operariis iustitiæ dicet: Suscepistis me, bene meriti estis de me, &c. Venite benedicti patris mei. Eccè tibi, charitas iudicem expectat impauida. Contrà fides operum vacua, non potest non contremiscere. Atque hic est charitatis pręcipuus fructus.

Charitas Dei in nobis, Deiq; nos bonitatis præsens est argumentū.

Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Qui capit, capiat: qui ignorat, ignoret. Stultus super arenam ædificans, sibi multum placet: sed damnum patietur graue. Date gloriam Deo catholici, credite veritati. Deus charitas est, vndè & solem suum super inimicos suos facit identidem oriri. Blasphemis benè facit. Interim, dum tempus est & locus parcendi, parcit. Post hanc vitam, vbi iudex venerit, iustè iudicabit: interim clemens est in omnes. Exemplum hoc imitamur, quia spiritu dilectionis ducimur, per quem etiam certiores efficimur, quod

ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Hæc dilectio timorem foras mittit. Fiducia ea Deum redemptorem & non condemnatorem ſecuri expectamus: quæ fiducia charitati accepta eſt referenda. Charitas nos ad dandum & ad condonandum impellit: eadem ipſum quoque nobis benignum & clementem exhibebit. Obſerua quod hic, ſecundum Auguſtinum, non æqualitas, ſed ſimilitudo oportet intelligi.

Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Exegeſis loci ſuperioris. Hoc perficit charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij. Fiduciam eam hic denuo charitati adſcribit. Auguſtinum hic audiamus: Perfecta charitas facit perfectam iuſtitiam, vt is qui perfectam charitatem habet, non habeat quare timeat, ſed habeat vndè deſideret, vt intereat malitia, & regnum adueniat Dei. Qui habeat aures audiendi, iterum obteſtatus audiat. Videat nè ſtultus in arenam ædificet, ſolius fidei opinione charitatem & eius fructus à iuſtificandi ratione ſecludens. Stultos audiens ſtultus, fit inſanus. Stultus verè eſt, charitatis prędicationem (in qua omnes Apoſtoli toti adeò fuerunt) extenuans. Ceſſabit aliquando fides: tunc ſola charitas homini non adhęrere non poterit, quia Deus eſt charitas. Quid charitate iucundius? quid dilectione dulcius? Simultate, crudelitate, & iracundiæ cæteris filiabus quid acerbius?

Charitas ſpei parēs.

Charitatis prædicationē ſtultus eleuat.

Inuidus alterius, rebus marceſcit opimis.

Accedit huc, quod omnis malefactor etiam gladium timet magiſtratus, Roman. 13. Contrà iuſtus laudem principis meretur, Ibidem. Sic etiam Deum clementem videbit iudicem, Dei mandata qui diligenter cuſtodiuit, Matth. 25. Præmium in die iudicij ſuum expectant operarij boni, Matth. 7. Redemptionem expectant patientes, Luc. 21. Meſſem agricola expectat, Iaco. 4. Sic vides charitatem ſolam timorem eiicere. Vis amor eſt, vt ait Dionyſius, transformans amantem in amatum. Amicus alter idem. Exempli gratia: Charitas Dei in homine dimittit debitori. Scilicet certum argumentum, ſibi quoque ſua debita dimiſſa omnia. Dedit homo, charitate

Charitas timorē foras mittit.

hoc Dei ità ſibi prę ſcribente. certus itaque, & ſeſe acceptu-
rum. Timor pœnalis, iucundus amor: pulchra amicitia, mutuo officiorum conciliata fœnore.

**diligim⁹* *Nos ergo * diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deũ quem non videt, quomodò poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligat & fratrem ſuum.* Poſt charitatis prædicationem, eam nobis aptè commendat, nos ad eius effectum exhortando. Amabilem ſe nobis Deus exhibuit, ſumma illa & ineffabilis maieſtas, vt ipſa viciſsim ametur. Infinitis nos cohoneſtauit beneficiis, officiorum vſuram ex nobis requirens. Creauit nos, conſeruat nos, redemit nos, ſpiritum ſanctum ſuum paracletum nobis largitur, mercedes varias ſui in nobis operis pollicetur. Quid pro hiſce & talibus infinitis eius clementiæ beneficiis, illi retribuamus? Omni ſufficiens eſt, bonorum noſtrorum non indiget: vult ergo, vt quod illi impendere non poſſumus, fratri præſtemus: quod denique etiam in duplex noſtrum cedet cõmodum. Adeò charitatis præceptis vnicè nobis conſulit. Frigidior ergo glacie eſt, nihil amoris habens diuini, immò aperto Dei æſtuat odio, qui fratrem, quem Dei imaginem præ ſe ferre præclaram videt, non diligit. Contrà, tum demum de amore Dei certi ſumus, ſi fratri ex corde benè volumus. Vndè ait nobis noſtra dimiſſum iri peccata, ſi nos proximo ſua in nos errata dimittamus, &c. Vides charitatem vim peccatorum tegere. Vides, ex charitate, & non ex fide ſola, nos iuſtificari oportere. Secta noua docet, credentem, amare etiam. Atqui noua ea, exotica, friuola atque ſycophantica doctrina, ne ſyllabam quidem vnicam, qua fulciatur, habet. Sana verò & ſtabilis doctrina eſt: Qui diligit Deum, diligit & fratrem. Chriſtum diligis? Chriſtianos non odis. Diligis Chriſtianos? Chriſtum non diligere non potes. Amoris verò certum argumentum, eſt officium. Vndè ſi fratrem humaniter tractas, Dei in te amorem declaras. Eregione, ſi proximum faſtidis, Deo oſorem teipſum manifeſtas. Credendo transfer montes: clamitando, etiam Deum vnà cum mundo, obtunde: ſi non amaueris, nullus eris. Deum ti-

Dilexit nos Deus prior, vt & nos beneficiis fratrẽ præueniamus.

Hæretici frigidè docẽt charitatem.

mere,& mandata eius obſeruare, hoc eſt omnis homo. Mandatum Chriſti,eſt ſolius dilectionis,Ioan.13.15.Præuaricatio eſt charitatis violatio,Deut.6.Mat.22.Breuibus his hunc locum ad faſtigium ducendum putaui.Pluribus egit circa hunc locum Auguſtinus, & tamen minus ſe exegiſſe conqueritur. Tu quicunque es pie catholice,fac religio tua nõ maneat in verbis ventoſa,ſed trã ſeat in actus operoſę charitatis,quę in nobis benedicat, & ad vitam ęternam perducat. Amen.

EADEM DOMINICA I. POST TRINITATEM,Euangelium Luc.16.

Homo quidam erat diues,qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.&c.

PRAEFATIVNCVLA.

LEctionem ſancti Euangelij præſentem, hiſtoriam rectius quàm parabolam dixeris: neque hodie ſatis conſtat, Ambroſius narrationem aſſeuerat eſſe,hac maximè cauſa, quod nomen mendici exprimatur. Irenæum Ambroſius videtur ſequi:nam & ille lib.2.cap.63. hunc locum enarrationem vocat. Idem hiſtorico hoc exemplo, diuites voluptuoſos grande ſupplicium manere adfirmat,lib.4.cap.4.Hieronymus hunc locum tanquam rem geſtam tractat. Idem & S. Gregorius facit, quanquam neuter hiſtoriam eſſe adfirmet. Vide hunc in libro dialogorum, illum epiſtola ad Mar.de exitu Leæ. Item ad Paulam de obitu Blæſillæ. Auguſtinus de verbo Domini, in dubio reliquit, rem geſtam an parabolam crediderit.Sed ſuper Pſal.145. & 147. vocat hiſtoriam. Hilarius item tanquam hiſtoriam citat ſuper Pſal. 122. Tertullianus de reſurrectione carnis vocat exemplum. Hoc ipſum facit Origenes ſuper Pſalm. 36. Item ſuper Ezech.homil.9. vocat exemplum.Origeni Beda ſubſcribit. Chryſoſtomus,quem & Theophylactus ſecutus eſt, parabolam vocat. Idem facit & Athanaſius quæſt. 21. Nos tametſi in hac re nihil certi definiamus,contextum tamen tanquam rem factam proſequemur. Siue factum eſſe,ſiue iam fieri,ſiue factum iri malis:locus hic ſubindicat, quid de futuro ſeculo nobis polliceamur: nempe hoc, quod Athanaſius dicit: Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æter-

Lectio de lazaro hiſtoricá ne ſit,an parabolica.

Scriptura non vult

nos ignorare dedor mientibus.

num. Idem euangelicæ literæ vndique ſubmonent. Potiſsimum hoc agit Matt.cap.25.Ioan.5. Theophylactus dicit hic figuratè Dominum adumbrare finem inclementium, iuxtà atque eorum qui in hoc ſeculo in patientia dura quęque ſuſtinent. Dixerit quis, hic nobis ſcopon proponi deſcriptionemque fieri ſalutis & condemnationis: Salutis pauperum & afflictorum, qua ſe miſeri quicunque fideles conſolari poſſunt iudicii, quo Epicurici porcelli ad pœnitentiam, ſi qui electi ſint, abſterreri queant. Præmonetur diues, ſecurus redditur pauper. Vtrunque fecit Deus, ait Salomon: vterque homo, mortalis, eiuſdem limi, eiuſdem naturæ: ſed non eiuſdem vitę, neque item eiuſdem meriti, teſte Auguſtino. Hic vides iuſtum iudicem, vtrunque pro merito iudicare. Sed his præfatis, nunc ad ipſum contextum veniamus.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo,

Diuitiæ peruerſo mũdi iudicio gloriosæ

& epulabatur quotidie ſplendidè. Primò hic diuitis fit mentio: ſed poſteà vbi de futura vita agitur, Lazarus proprio nomine diuiti anonymo pręfertur. Vndè inſinuatur, miſeras quidem opes in hoc ſeculo mendicis prænitere, ſed in alio ſeculo non item. Mundus ab opulentia beatitudinem ęſtimat, Iaco.2. Oculi verò Domini in pauperes reſpiciunt. Neque citra myſterium peculioſi nomen ſupprimitur. Communi enim omnium doctorum ſententia hic ſignificatur, opimos quoſcunque & mundi gloria inſignes, obſcuros eſſe cœlo. Dominus homines illos non nouit: vndè & rei illius, quam diuites pecuniam vocant, ſuper ſcriptionem ſiue numiſma non nouit, Matth.22. Sunt alieni à Deo, quibus, ait, Neſcio vos, Matth.7.& 25. Sunt Dei, quos ex nomine nouit & vocat vt Abrahamum, Gen.22. Moſen Exod.3. Philippum, Nathanael, Zachæum & alios. Theophylactus dicit Hebræorum eſſe traditionem, fuiſſe mendicum quendam Lazaron nomine, atque Dominum eo proprio nomine vſum eſſe in genere. Diuites hoc in ſeculo multa habent nomina: propria nimirum, gentilitia, cognomina, agnomina. vndè & excellentes viri, magna vocantur nomina: habent & nomina eos, quos vſuris deprimunt, hoc eſt, debitores. Hæc eſt opum ſumma felicitas: ſunt enim

Maxim⁹ in hoc mũdo, nullus in cœlo.

Diuites anonymi Deo, mundo ſunt ipſiſſima nomina.

diuites

diuites mera fabula & nomen inane, vndè posthàc nomen non habent, pereunte memoria eorum cum sonitu. Et diues, hic nomen est ignominiosum: glorioſum, mendicus. Anonymus hic opulentus, in causa est, vt nostrates nummosi, diuitis nomen auersentur. Sed frustrà nomen detestantur, cùm re ipsa subindè oblectentur. Cùm audiunt Matt. 19. diuites difficilè intrare in regna cælorum, dicunt: Non hoc ad nos, Crœsis & Crasis hoc dixit Dominus. Sensus ille diuitibus nostratibus duobus nummis esset redimendus. Sed si Christus non Midas & Tantalos solùm, magis verò eos qui fideles nomine dicuntur, re autem ipsa Mammoni famulantur, damnat: væ Crœsastris & Crassastris omnibus. Viderint, cui euangelion Christi prædicetur: Pelopi ne, an Cynirę cuipiam, an baptizatis, Christumque profitentibus. Sequitur: Erat diues. Prima hæc est prædicatio diuitis. Vide, noctuas laureoticas & effigies pecudum, nummis inscriptas, Deo non adeò arridere. Vide Christum non abre pauperes spiritu dixisse beatos. Diuitiæ quidem per se res bona sunt, sed propter abusum spinæ fiunt possidentibus. Non hoc dicimus de iniquitate, qua aut congregantur, aut conseruantur: sed simpliciter malas vocamus & peccatum, figura ea, qua & Apostolus Hebr. 11. aulam vocat peccatum. Abusus hic statim subiungitur. dicitur enim diues splendidè se & ornasse & pauisse. Sardanapalus siquidem tam amictu quàm victu cuticulam curare assolet. Et qui pecunia est Crassus, ferè sem per indulgentia gulæ Cassius Nom. exit. Diuitem nepotem rectiùs Megapenthen appellare potero, ex Luciani † Tyranno. Valdè enim fabula illa, hystoriæ huic euangelicæ consentit. Diues siquidem Megapenthes apud Lucianum, supplicio adiudicatur, & inops Micyllus beatificatur. ¶ Quæritur hic, An ne diuites saluari queant: Et si queant, qua id ratione fieri possit. Hanc quæstionem vt S. patres Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Bernardus, & hoc genus alij dissoluant, verbi Dei prædicator viderit. Noui euangelicastri nostrates strenuè hactenùs, nescio quos, sophistas atro carbone notarunt, bis sophistæ ipsi. Nihil enim in vniuersum nouum illorum extat euangelion, quàm

Diuites in ecclesia diuitum nomen ex horrescũt.

Diuitiæ malæ.

Diuites an saluari queant: si queunt, qua hoc ratione. Euãgelici fratres no-

Strates nõ philoſophiam, ſed philochrematian profitentur.

adulatio quędam & captatio diuitum. Non philoſophiam, ſed philochrematian (hoc eſt, amorem pecuniæ) ſpirant, qui ſe hodiè illuminatos & eccleſię reformatores obtrudunt. Ius pontificium, quaſi Antichriſti commentum, Vulcano dicauerunt. Ipſi vel hoc potiſsimùm nomine capite plectendi, etiam ſi hæreſis Vulcano adiudicari non debeat, quòd approbatiſsimum ius, vndè vera omnium ſtatuum reformatio ſumi poteſt, in cinerem vertere ſunt auſi: interim ipſi craſsiſsimis adeò vitiis blandientes, informem reformationem iactitant. Qui patres patriæ eſſe debebant, peſtis ſunt effecti, qui aſsiduis exactionibus pecus deglubunt. Ad ſimilem reformationem epiſcopi quidã Germanici adſpirant: venatio ni hactenus & voluptati ſtuduerunt, nunc ferina veſcuntur bis delicati. Non prædicatur illis pœnitentia, ſed ad maiora vitia illis indulgetur licentia. Non eſt euangelion, Facite vobis amicos de mammona iniquo: nec item euangelion eſt, qui indulſit ocio, laboret manibus, vt habeat quod pauperibus impertiatur. Sed euangelium nouum ſaltem eſt, Corporalis exercitatio ad modicum conducit: hoc euangelion nouum epiſcopi prurientes auribus vtroque pollice probant: vt qui ſordet, ſordeſcat adhuc. Vah tibi reformator, Vah tibi reformator. Qui ſe ſynceriter reformare velit epiſcopus, conſulat 12. quæſt. 1. Quatenùs diuitias poſsidere quis poſsit, videat ibidem diſtin. Clericus', & Habeat. Item 30. diſt. Hæc ſcripſimus. Canones præfati adeò ſunt euangelici, vt noui euangelicaſtri vel ex eorundem combuſtione antichriſtici eſſe oſtendi poſsint. Sequitur: Induebatur purpura & byſſo. Scriptura (ait Origenes) non inſimulat hunc hominem iniquæ acquiſitionis aut poſſeſsionis, nec item vitiorum quorumcunque infamat: ſed purpuratum fuiſſe dicit. Sed nunquid iuxta prouerbium, Εἵματα ἀνήρ, veſtis vir, hoc eſt, veſtitus virum facit? Gregorius, quem & Beda ſequitur, reſpondet: Non ocioſe diuitem hic taxari luxuriæ veſtium, nec item Ioannem alibi ocioſe laudibus celebrari à veſtitus abiectione. Et adorea laus non eſſe non poteſt, quod Apoſtolus dicit, ſanctos in melotis hoc in mundo oberrauiſſe. Origenes mollitiem veſtium adnumerat luxuriæ

Reformationem informem auſpicati ſunt euangelici nominis hæretici.

Euãgelici noſtrates antichriſti.

Veſtium luxus dãnatur.

Sodomiticæ, ex Ezechiel. decimo sexto. Idem eandem mollitiem dicit esse crimen Aegyptiacum, Babylonicum, & Moabiticum. Dissentiunt euangelici nostrates & Græcis & Latinis, dicentes, diuitem non propter luxuriam, sed propter incredulitatem damnatum. Mendacij eos facilè reuiceris, si verba euangelistæ ritè æstimaueris. Iudæus fuit, circunciſus fuit, æquè ac Lazarus credulus fuit, Abraham æquè ac Lazarus patrem habuit, pœnitentiam denique, ethnicos latitantem, cognouit. Immò verisimile est, Lazaro in fidei ratione præpolluisse, & hunc in fide simplicium saluatum, illum in locupletiori pharisæorum fide damnatum, quòd contra legem, pauperes sui memores benefaciendo non fecerit, Matth. vigesimoquinto. Luc. sexto, Ioan. quinto. Sed ad textum. Purpura in ætate ea post aurum & gemmas cum primis ad ornatum fecit. Hebræi vocant *Argaman*, Græci πορφύραν. Sericum, quod Hebræi *Ses*, Græci byssum appellant, itidem cultui seruiebat. Vndè sæpè coniuncta inuenies in sacra pagina, nempe Exod. vigesimo quinto, 2. Paralippome. tertio, Prouerbiorum, trigesimoprimo Apocalyp. decimooctauo. Quòd si diues ille adeò deliquit luxuria vestium, heu mihi, quantùm peccant nostrates, luxui vanitatem addentes? Quis adeò adamantinus esse possit, quem non moueat tanta mollities & tanta vanitas, lenonum omnium dissolutionem superans? Furiosos planè imitantur nostrates hodiè, vestes etiam preciosissimas dissecando, vel ipsis Turcis execrabiles magis quàm imitandi. Neque insania ea forum, sed & chorum contaminauit. Vbique nostri euangelici cæci. Quòd si stramentitius author est diuus Iacobus, fœnacei sunt sancti apostoli Petrus & Paulus Apostolorum principes, qui fidelem fœminam, siue herois sit, siue ex infima tum grege, auro & gemmis ornari nolunt. Num hic reformatione opus? Virgines opimæ Herodiadum filiæ, capita & ceruices auro & gemmis onustas vix erigere possunt. Mirum, Helenas nostrates, articulos tot annulis implicatos, edendi vsui ritè posse applicare. Pauperes videntes hic suum sudorem, suamque vitam in tantam pompam & vanitatem verti, non

Diuitis nepotis cõdemnatio, euangelicos fratres hæreseos arguit.

Purpura & byssus qualia vocabula.

Vestes hodie lacinia tim dissecantur, in scandalon etiam Turcis.

Aula Hippolyto & Belerophonti etiam inſidiosa.

possunt non ingemiscere. Ingemiscunt & petulantes iuuenes, videntes suæ incontinentiæ tantas insidias, Hippolytum & Bellerophonta moturas, strui. Noui euãgelistæ, qui aliàs solùm sacræ scripturæ literam requirunt, hic certè glossema aliquod atque tropon comminiscuntur, aut consilium, aut ociosam fabulam, ex locis 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. facientes. Credenti omnia munda. Hester immunda, quæ regium cultum pannum reputauit menstruatæ. Schvvermeria (hoc enim nouo vocabulo noui euangelistę eos, quos sibi aduersari animaduertunt, denotát) fuit S. Elisabeth vidua, quę aulicum ornatum angue peius odit. Adeon' insanus quis esse possit, vt leuissimorum & eorundem vanissimorum hominum nouum euangelium, tantis ineptiis inseruiens, approbet? Mirum, terram tantis adulatoribus & vitiorum patronis non dehiscere. Sed è patagiis, è galbanis & melitæis vestibus, è lacinatis denique porphyritibus & ostro, ad pellucibiles cœnas & mactea veniamus. Sequitur: Et epulabatur quotidiè splendidè. ἱυφροσυνόμενος, Origenis versor reddidit, deliciis luxuriaque lætans. Vndè colligere est, nepotem purpuratum Epicureum planè fuisse, vtpotè qui iucunditate iuxtà * & voluptati operam dederit. Et verba euangelistæ idem videntur inferre: dicit enim: Epulabatur quotidiè pollucibiliter, nepotabatur itidèm iucundè. Germanæ sorores sunt, Iucunditas & voluptas. Et epulæ sine euphrosyna, funebrem præ se ferunt speciem. Εὐφροσύνη etiam à sancto Luca voluptati sociatur in parabola filij prodigi, cap. 15. Hæc est illa beatitudo, pro qua euangelicastri nostri tanquàm pro focis & aris hodiè decertant. Euangelicos fratres Epicuricos planè diceres, si ebrietatem auersarentur. Epicureos temulętiam odisse, vel ex hoc poëtæ videre est, dicentis:

Luxuriosi damnantur.

* *as*

Euãgelici epicuricis peiores, in hoc quòd ebrietatẽ sectantur.

Nox non ebria, sed soluta curis.

Nunc simulac euangelici nostri ebrietati non admodùm luctentur, non philosophos, sed philœnos: nec Epicuri discipulos, sed porcos, qualis Sardanapalus erat, de quo dicitur:

Non homo, sed porcus, Sardanapalus erat. *

* *for, sese ostendit.*

Sardanapalo tamen longè sunt Sardanapaliores, hoc est, magis bruti. Neque enim lurco ille eò amentiæ perue-

nit,vt ebrietati crimen auferret.Hodiè postquam nihil, præter solam incredulitatẽ,peccato deputatur,quis ausit comessationem splendidam culpare? Papista est qui ieiunia prædicat.Adeò Deum mali authorem statuunt noui porcelli,peiores Marcionistis Martiniani. Deus, inquiunt,vinum creauit: scilicet ad crapulam. Paulus hic ocioſè ait,ad sumendum cum gratiarum actione:nisi fortè gratiarum actio habenda sit,vociferatio illa ebriosorum euangelicorum fratrum, qui ebrij subindè eructãt Psal.De profundis clamaui ad te Domine. Nihil euangelicis fratribus credentibus, immundum, ne vomitus quidem,fide corda eorum purificante.Peccatum est sola incredulitas.Nullum habent credentes peccatum.Ne mo ergò peccat,nisi Agarenus & Iudæus. Nouum hoc mustum euangelicum serpens in paradiso Heuæ propinauit,Gen. 3. Hoc diabolus Sodomam & Gomorrham potauit,Genes.19.Ezech.16. hoc populum Israel Exo. 31. 1.Cor. 10. Balthassar Babylonicum Dan. 5. inebriauit, hoc exhilarauit Herodem Matt. 14. Fructus huius euangelij,conspiratio,insidiæ, bella, cædes, væ & væ, Pro.23.Hic vt Nabal,Absalon,Herodis,aliorumq; hoc genus Iudæorum conuiuia cruenta præteream,vt & Lapitharum aliorumque ethnicorum vetustorum funestas comessationes taceam, saltem Tarquinij Superbi & Alexandri Magni compotationes commemorandas puto, cùm altera harum Lucretiæ fatum, altera Clyto necem intulerit,testibus Linio & Iustino.Nolo hic euangelicas nouos commonefacereverbi Domini Esa.5.Amos 6.Luc.6.21.Rom.13.Ephes.5.Nolo item sanctorum patrum adducere testimonia.Ethnicum saltem vnum atque alterum testem proferam:quos si non audiũt,etiam horum testimoniorum indigni habendi.Horatius ait:

Euangelium euangelicorum nostratiũ serpens in paradiso Heuæ proposuit.

Sperne voluptates:nocet empta dolore voluptas.

Et Lucanus ait: *Gurgite puro*

Vita redit, satis est populo fluuiusq; Ceresq;.

Et Statius dicit:

Ah mihi quos nosse iuuat,quid Phasidis ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue,quis magis anser.
Exta ferat, cur Thuscus aper generosior Vmbro,
Lubrica qua recubent conchylia molliùs alga.

Λαιμαργὸς si quispiam hæc ridet Azotiæ patronus, posthàc ethnicos eos iudices habebit, Matt. 12. Epicurei & Philoxenei noui euangelistæ nostrates, sibi digni videntur, vt posthabitis omnibus sanctis martyribus & confessoribus, ipsis accedamus. Et inueniunt cęci hi cęcos, qui ducatum eorum sequi ament. Qui verò? Nónne & papistica turba porcos Sardanapalicos habet? Nónne Epicurismus & chorum & forum inuasit? Epicurici hodiè sunt, qui olim erant Episcopi: qui studuêre fieri martyres, hodiè Milesij fieri contendunt. Sic se hodie res habet ecclesiæ, vt Diogenes Cynicus ille cùm in choro tum in foro homines accensa lucerna in clara luce quæreret. Ventres siquidem bestias viuentes, hominis nomen amittunt. Et qui homines non merentur dici, quomodò Christiani habeantur? Deus ecclesiæ suæ malè labefactæ misereatur, Amen. Sequitur:

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, hulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis. & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant hulcera eius. Diues vestitu Milesius, victu fuit Epicureus, animo nõ Manlio, non Phalaride & Nerone, sed canibus omniq; fera crudelior, corpore valẽs, vegetus & incolumis, mente infirmus: Contrà Lazarus nobilissimus ille noster, corpore affecto, pauper & mẽdicus, animo verò & locuples & inuictus. Principiò hic de diuitiis obseruandum, Domini esse terram & plenitudinem eius, pauperem dominum facere & ditare, Gene. 30. Deut. 15. 1. Reg. 2. 3. Reg. 3. Iob 1. Pro. 8. Eccle. 11. Alterũ alteri diuina prędestinauit prouidẽtia. diuitis copia, pauperis succurrat inopiæ. Diuitiæ & egestas, secũdùm vulgi ingenium, sibi planè pugnant: sed secundùm legem creatoris, sibi pulcherrimè consentiunt, quod S. Augustinus præclarè docet, dicẽs: Pauperis est rogare, diuitis erogare. Diues habet vndè beatitudinem emat, pauper habet quam vendat. Mendici huius nostri nobilissimi illius conditionem S. Lucas describit tanta diligentia, vt omnis qui descriptionem eam audierit, non possit non commoueri. Nescio an ethnicorum scriptorum aliquis pauperem rogatorem aliquem vnquàm tali dignatus sit honore. Deus quos honestet, nouit. Lazarus primò fuit

Dominus pauperem facit & ditat.

Pauperis est rogare, diuitis erogare.

Pauperes gloria Christi.

inops, dein mendicus, tertio hulcerosus, quarto vagus, domo carens & hospitio, quinto famelicus adeo, vt cum canibus micas eas, quæ de mensa diuitis cadebant, & pedibus conuiuarũ conculcabantur, edere cuperet. Denique non habuit qui compateretur, qui consolaretur, quive eius lauaret, extergeret & curaret vulnera. Canes officiosi, hominum inhumanitatem condemnant. Sunt ex theologis, qui dicunt hominem adeo destitutum fuisse omni humana consuetudine, vt canibus non modò ad lingendum, sed & ad deuorandum liberior aditus fuerit. Theophylactus dicit: Aegrotant alij, sed hulceribus carent. Ad vestibulum diuitis iacebat: eccè alius dolor, videre alios in deliciis, se vero fame premi. Insuper destitutus erat omni cura, & canes lingebant hulcera eius, cum nemo esset qui ab illo istos abigeret. Beda quoquè ait: Quia nemo ei ad visitandum aderat, testantur canes, qui licenter eius vulnera lingebant. Idem, miseriam Lazari exaggerando, ait: Poterat ad pœnam sufficere paupertas, etiam si sanus fuisset: rursus suffeciisset ægritudo etiam si subsidium adesset. Sed vt probaretur amplius pauper, simul hunc & paupertas & ęgritudo tabefecit: atque insuper videbat procedentem diuitem obsequentibus cuneis fulciri, & se in infirmitate & inopia à nullo visitari. Ambrosius allegoricos fideles ex ethnicis, primitiæ ecclesiæ canibus confert, idque suffragante sibi scriptura Matthæi decimoquinto. Sacerdos ipsum authorem consulat sũper Lucam. Non hic prætereundum est, quod saluator ait, Nemo illi dabat: nam & hoc ad cumulum afflictionum facit miselli. Nemo, ait, illi dabat. Dis ditem ad sua conuiuia concit. Aquæ omnes in mare defluunt, Dites inter sese sua communicant. Hic dies ad profusionem opum non sufficit. Noctu inebriantur lychnobij, noctu comessatur liberius. Vndè ait poeta:

Canes euãgelici sunt ethnici ad fidem cõuersi.

Te Liber, & si læta adfuerit Venus,
Segnesq; nodum soluere Gratiæ,
Vitæ producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

Sic dies & noctes in absumendis opibus insumunt opulenti. pauper vbique iacet. sitienti pocula nemo porrigit,

Lazarus mũdo execratio & diritas.

egeno nemo donat. Lazarus itaque non modo derelictus & contemptus ante fores diuitis sub dio iacuit, sed & mundo huic abominatio extitit. Nemo delicatorum præteriit, qui non diris deuoueret diritatem istam Lazaron. Lazaron diritatem voco, secundum mundi sensum. Ingenium mundi filiorum est, auersari inopes. Certum est, etiam onustos auro & potentia splendidos, ipsum euangelion temnere propter Lazaron. Certum est, & baptisma in quo inopes & quicunque mendici intinguuntur, diuites & potentes risui habituros, nisi priuato in magna pompa baptizentur. Exemplum huius loci habes in Chronica Naucleri: vbi vides optimatem quendam, etiam benè de articulis fidei catechizatum, baptismi lauacrum fastidiuisse, quum vnà cum miseris & infimatibus vnum baptisma sibi animaduerteret. Nisi idem omnes adhuc diuites purpuratos affectus teneret, melius cũ ęgrotis & mendicis ageretur. Consoletur miseros, quod audiunt se verè esse Christos, ipsorum esse regnum cælorum, Christum filium Dei, quicquid in ipsos collatum sit, sibi adscribere & referre acceptum: quanto huic mundo magis sunt abominabiles, tanto apud Deum gratiores. Quis mediocriter Christianus, dubitet verum esse quod Chrysostomus ait, vulnera Iob & hulcera Lazari pręciosa & accepta magis ante Dei faciem visa, quam Salomonis purpuræ & gloria? Descriptus satis superque pauper & mendicus: superest vt illi discamus succurrere, atque adeo vere fieri Christianos, verè fieri euangelicos. Neglectum hactenus hoc christianismi opus reformatio itaque ecclesiæ hic potissimum suum auspicium sumat oportet. Hic, vt de prophanis magnatibus taceam, certè archiepiscopos & cęterum clerum reformationem meditantem, & omnigenis misericordiæ operibus non insistentem, toto aberrare cælo dico. Si illuminatiores euangelici esse volumus, quare non sequimur potius Martinum Turonensem episcopum, sanctitate probatissimum, quam Martinum aliquem exititium monachum, religionem despondentem? Martinus ille etiam vestes suas pauperibus largiri solitus, vndè in sacro Missæ officio, pro interulla mendico data, lumen cælestis gloriæ eum circunfulsit. Eccè tibi illuminatum Martinum.

Diuites suapompa ecclesiam cõspurcare

Hulcera & purulentia Iobi, apud Deũ speciosiora quam Salomonis ornatus.

Martiniani veri euangelici.

Euãgelion mendicare nõ prohibet.

Vbi hic Martiniani veri Christiani, veri euangelici? vbi correctores ecclesię, & morum censores? Nusquam antichristũ spectes præsentius, atq; in hoc loco. Mendicitatem Martiniani nostrates hodiè, secundum nouum euãgelium Martinianum, damnant, prætẽdentes patres familias, mechanicos, capite censos, & ad inopiam redactos: eos saltem contendunt inopia leuandos. sed impius & planè Antichristicus prætextus. Nam & eos qui ad rastros redierunt, euangelici nostrates magis deprimunt, & ad laqueos adigunt. Nihil euangelicum sapit qui dicit: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, atque omne onus disrumpe. Euangelium est regale hoc: Rex filios vestros tollet, facietq; sibi equites, &c. Filias vestras faciet sibi veguentarias, &c. Agros vestros & vineas & oliueta optima tollet, segetes vestras sibi addecimabit. Papisticus Dauid, qui aream Areunę Iebusæi violenter gratisve non abstulit, 2. Reg. 24. Papisticus est qui dicit: Beatus, manus suas ab omni munere excutiens. Beatus, qui post aurũ non abiit: Beatius est dare quam accipere: quia sola fides beatificat. Stramẽtitius est author qui dicit: Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraude non est reddita à vobis, clamat. Noui euangelicastri à consiliis Roboam omne onus miserę plebeculæ aggrauandum censent. Hoc euangelium secutus Achab, abstulit vineam Naboth, 3. Reg. 21. Hæc sunt nostra tempora, hi mores, hoc euangelion, sic prætextu patrum familias inopum, mendicos extrudimus. Ocioſi & vegeti, miseros & aduersa valetudine degrauatos, ad opus manuum cogere volumus. Faciamus esse, vt mendicorum plerique morbos mentiantur, & fœditate vulnerum ambiant. non hoc miraculi loco habendum. sunt enim in omni ordine & conditione reprobi. etiam in albo apostolorum, traditor Christi est inuentus, & satanas ipse in angelorum numero fuit. Mali corrigendi, boni fouendi. Dicis esse circumforaneos & ambubaias: extrudendos ergo esse, cum Moses nobis pauperes eos, qui intra portas nostras sunt, commendet. Quarè & tu circuncellio antichristiane, intra cellam tuam te non continens? quarè domi non manes? Sed & vndè es tu? Dicis,

indigena ſum, pater patriæ ſum, dux, comes, regulus, &c. Vt audio, Domini iam non eſt terra: ergò nulla tibi pars in paradiſo. Sed quid multis? Si ethnicus es, memineris maiores tuos, peregrinos quoſlibet haud grauatè hoſpitio recepiſſe, & Iouem Deum hoſpitalitatis conſtituiſſe. Si Iudæus, idem cogita. Si Chriſtianus memineris te paupertatem profeſſum eſſe. Mendicum te ſanctus Chryſoſtomus eſſe oſtendit, vel ex hoc quod quotidiè mendicans, precario viuis, etiam ſi Cæſar ſis. Et vbi euãgelion, Quod tibi fieri nolis, alteri nè feceris? Vbi verbum Domini, Alter alterius onera portate? Fac, te eſſe vagum (quod equidem fieri poterit) mendicum, carcinomate (lepra fœdum. Nonnè Deus & natura hic ſubmonent, quid tibi frater debeat Mat. 7? Quarè ergo hoc ipſum fratri tuo non præſtas? Si de corpore Chriſti es, qua rè Chriſtos deſpicis? Quòd ſi ſecundum legem Deu. 15. non vis eſſe mendicos in populo tuo, agè eccleſiam ex aſſe hæredem facias. Heus tu illuminate euangelice frater, princeps, dux, comes, ciuis, & quiſquis es ex diuitum albo, audi celebre euangelion hoc: Vade, & vende vniuerſa quæ habes, & da pauperibus. Celebre hoc, inquam, nempe Mat. 19. Marc. 10. Luc. 18. Non te ſophiſticus ſpiritus nouorum euangelicaſtrorum decipiat. Veteres euangeliſtæ & apoſtoli Chriſti, quo ſenſu euãgelion hoc vendendi omnia & donandi pauperibus docuerint, exemplum eorundem ſatis illucidat Act. 2. 3. 4. & 5. Sed hic mollem adoleſcentem opimum, triſtem abire videre videor. Iam qui prius Verbum Domini, Verbum Domini ſucclamitando, Stentore fuit vocalior, quàm piſcis ſilet mutiuſculus. Ferat ergo imperfectus pauperes mendicos ante templum, Actorum 3. ſecus, vias, Lucæ decimo octauo, & ante ſua veſtibula Lazaron iacentem. Non potes, ô imperfecte iuuenis delicate & locuples, neque item vis, vniuerſa tua vendere & dare pauperibus? vel largire quod ſupereſt. Dicis, nihil tibi ſupereſſe? Orci te mancipium declaras. Soli auaro nihil eſt ſatis. pius, vel minimo eſt contentus. Habens duas tunicas pius, vnam fatetur ſibi ſupereſſe. Vides latam viam etiam ad vitam. Hoc iter latius ſancti patres olim tenentes, mendicos & vagos quoſcunque ita coluerunt, ita ama-

Celeberrimus locus euangelij penitus ob ſoleſcit.

uerunt, vt eos, suos dominos vocare non vererentur, credentes euangelio Matth. 10. 25. Vndè ergo tibi nouum euangelion hoc, quo prædones, latrones, Thrasones, & hoc pestilentissimum hominum genus quotidiè fores, miseros vero haud secus atque infensos hostes, immo tanquam ipsum satanan auersaris? Ambrosium 3. Offic. capit. 7. audi: Feræ, ait, non expellunt feras: & homo excludit hominem? canes ante mensam impastos esse non patimur: & homines extrudimus? Si verè euangelicus esses, lætareris, & summæ felicitatis loco duceres, simulac in pauperes, à quibus regnum cælorum emere possis, incidisses. Sed vt hunc locum in pauca conferam, non hic nouos prædicantes, sed ipsum Christum, prophetas, apostolos & euangelistas audiendos dico, Deuterono. 15. Esaiæ 1. 58. 59. Psalm. 112. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. Talem iustitiam docet Christus & Apostolus, Matt. 5. 6. 7. 25. Luc. 6. 2. Cor. 9. Ad talem iustitiam inuitaret te præmij promissio, vrgeret supplicij comminatio. Longè maiora largiuntur pauperes, quam accipiunt. Contra, si nihil illis eroges, inexorabilem tibi Dominum efficiunt, adeo vt ne guttulam quidem refrigerij, tibi in tormentis detento, mittat. Sed fac, neutrum horum nobis proponatur, fac te nullo præmio tua dare, nullo supplicio tua miseris subtrahere: tamen ipsa natura submonet, vt fratri benefacias. Adeo opus misericordiæ iustificandi ratione vacuum esse non potest. Satis diuitibus dictum est: restat vt & paupertatis sanctæ & saluificæ exempla petamus. Non omnes damnantur locupletes, neque inopes saluantur omnes: damnantur locupletes, in croceo degentes, & miseros negligentes: saluantur pauperes non rebus, sed spiritu, hoc est, patientes & fortes. De patientia Lazari ait Theophylactus: Num Lazarus in tantis malis blasphemabat? num conuiciabatur? num inhumanitatem condemnabat? num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum. Sed fortis erat & magnæ philosophiæ. Neque elixum, neque assum optabat, non grossos, non obolos, sed micas sub mensa iacentes, desiderabat: eas vero ne canibus quidem ipsis inuidebat, sed vna cum canibus illis vesci opta-

Dominos suos olim vocauerũt pauperes S. patriarchæ & ecclesiæ patres.

Misericordiæ opus iustificat.

bat. tantum abfuit vt diuiti malè cuperet liuidus atque malignus. O desolatum Lazaron, ô pium mendicum, dignum cui Dominus veniat auxilio, quique angelorum conciuis fiat. Quadrat nomen. Lazarum interpretari poteris, adiutum à Domino: vt etiam ipsum vocabulum faciat ad Dei promissionem.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Prouerbium est, Quæque res ad certum durat tempus. Et in omni negocio exitum præcipuè cõsideramus, subindè dicentes: Quod sequitur, specta. Curam eam ingenerat nobis vicissitudo rerum, quæ assiduè à nobis cernitur. Et hoc loco mirum exitum ditis & mendici videmus. Augustinus dicit: Mendicus ante fores diuitis assumitur, & in Abrahæ gremium infertur, diues ex aula in Orcum deturbatur. Memento finis, ait Sapiens, & in æternum non peccabis. Non hic mortis nos Sapiens solum commonefacit, sed potissimum Dei iudicium districtum, præmia bonorum & supplicia reproborum, nobis subiicit. Est quidem mundi iudicio mors omnium amarissima, sed necessitate moriendi, amaritudinem eam nobis temperamus: sed de illis quæ mortem sequuntur, de iudicio, de præmiis & supplicio, solari nos non possumus, nisi in Christi fide pietati incumbamus. Prouerbiũ est: Velim siue nolim, cogor succumbere fato. Rex æquè atque mendicus cadauer: sed omnium resurgentium par ratio non est, 1. Cor. 15. Dein dè etiã vita breuis est humana, breues dies hominis sunt. Insuper & mundus ipse transit & senescit: & vix figura eius adhuc supereſt. Vndè Euangelista paucis tam Lazari quam diuitis anonymi vitam & mortem perstringit, de gremio verò Abrahæ & de inferno, quæ æterna sunt, pluribus agit. Occiderunt vterque, vterque homo, vterque mortalis, breuis vitę. Atqui ille ab angelis in sinum Abrahami est delatus, hic in æternas tenebras est deiectus. Opulentos, vulgus vocat felices & beatos: miseros verò, infelices: sed Dei iudicium à vulgi opinione longè est alienum. Deus pater in filio suo dicit: Beati pauperes spiritu. Deus verus est, omnis autem homo mendax. Veritati igitur acquiesce ô homo. Crede te

Occidim' æquè oẽs, nõ autẽ pares omnes resurgemus gloria.

Infelices eorã Deo, quos iudicio mundi saltem felices arbitrantur.

hîc & illic felicem esse non posse: sed momentanea gaudia, æterna manere supplicia. Contrà tibi persuasum habe, neque hîc & illic esse posse crucem: perbreuem siquidem tentationem piorum, sequitur perpetua consolatio. Sodomiticus Crassus cupit hîc in bonis ducere dies suos & post Tithoni senectam facili morte (qualem Augustus optare solebat, quamque euthanasian vocant) in aliam vitam, & eam beatam, transire. Hoc caro vult, hoc sustinere tandem poterit. Sed Dei voluntas est, vt qui hic Crassus existit, illic Irum agat: hic exactor, illic mendicus: hic voluptuosus, illic ærumnosus. Hoc ità diuinæ visum sapientiæ, hoc ità vult Dei iustitia, nè homo credat aut humana Deum non curare, aut Deum ocio, gula, voluptatibus & omnigenis vitiis & vanitatibus oblectari, facinorum patronus. In diuite voluptuoso vides hic mendicitatem erubescendam, cui diuites meritorum insultant: vides insipientiam, quam prudentiam diuina præditæ virgines rident. Crapulam sequitur inedia, & famen saturitas omnigenum bonorum. Quadrat in Lazaron canticum ecclesiæ de S. Martino: Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus cœlum diues ingreditur. Petis apertam scripturam ad hæc prouerbia & ecclesiæ cantica? Luc. 6. Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis: Væ vobis qui ridetis, quoniam lugebitis & flebitis. Contrarium verò vides & hic, consequenter & Mat. 5. &c. Augustinus hic rogat, vter horum benè sit mortuus. Mundus benè mori arbitratur eos, qui in huius mundi decedunt felicitate. Ecclesia dicit beatos eos, qui in Domino moriuntur: hoc est, eos qui etiam in Domino vixerunt, qui in Domino semper manserunt, & Dominum in se manentem semper habuerunt. Vndè ait sanctus Augustinus: Viuite benè, nè moriamini malè. Idem (quod suprà diximus) affirmat diuites impios posthac fieri erubescendos mendicos. Vocat enim diuitem lurconem, mendicum infernalem. O confusionem & contumeliam. Quanto præstat hic esse inglorium, vt claritatis futuri seculi consors fiat homo? satius est hic egére, & illic deliciis veris affluere. Lazarus in hoc seculo abominatio hominibus, post fa-

Erubescenda mendicitas damnatorum.

Mori benè quid.

Cãtica ecclesiæ immeritò ab hæreticis exhibilantur.

tum factus est decus angelis. Hic linctus à canibus, illic ab Abrahę amplexibus honorificentissimè excipitur. Face esse hęresis, nõ delirat ecclesia, rogans pro vita functis: Et sanctus * angelus repræsentet eas in lucem sanctam. Administratorij spiritus sunt, in ministerium huc mittuntur, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Gaudium est illis super vno peccatore pœnitentiam agente. Quanta ergo illis lætitia, quanta festiuitas cũ anima pœnitentiæ præmia capessente? Orandũ cuiuis, vt sibi animam agenti, cœlestis pater tales comites atq; duces mittere dignetur. Abraham quis sit, ex primo libro Mosis satis superque illucescit. Hic euangelista dicit, Abrahamum & sinum & gremiũ habere expansum ad excipiendum beatas animas. Infernus insaturabiliter caua guttura pandit. Et brachia sua ad amplectendum & excipiendum filios suos extendit pater Abrahã. Qui autem sunt filij Abraham? Non omnis est Domini, qui dicit, Domine Domine: sed qui facit voluntatem Domini, Domini est. Sic & filij veri sunt Abrahæ, qui eius pietatem referunt. Sic & Saluator ait Iudæis: Vos estis filij diaboli, nõ Abrahæ. Item: Potens est Deus ex lapidibus illis filios excitare Abrahæ. Apostolus quoque Rom. 4. dicit filios Abrahæ esse eos, qui vestigiis fidei eius innituntur. Vestigia fidei pro fructibus spiritus, hoc est, pro ipsa pietate accipi, vides 2. Corint. 12. 1. pet. 2. &c. Vestigium fidei Abrahę, est exemplum obedientiæ eius, Gen. 15. 22. Iacobi 2. Et Zachæus pœnitentia non simulata verbis, sed factis expressa, filius Abrahæ designatur, Luc. 19. Tales Abrahæ filii, in talis patris recipiuntur requiem & consortium. Impij verò & quicunque hypocritę, fideique simulatores eiiciuntur, Mat. 8. Lu. 13. Tertullianus multa de sinu Abrahæ differit libro quarto cõtra Marcionem, vbi sinũ eum dicit esse receptaculũ fidelium animarum, in quo adumbretur figura futuri: locumque eum, tametsi cœlestis non sit, inferno esse longè superiorem atque altiorem, præbereque refrigerium animabus piis vsque ad consummationem. Hilarius dicit, in eo loco animas iustorum tantisper custodiri, donec in regna cœlorum illis concedatur ingressus, super psalmum CX. Eius sinus itẽ meminit super Psalmum LXII. Ambrosius de obitu

Abrahã filij qui.

Sinꝰ abrahæ quis.

Valent. sinum eum dicit esse secessum animarum beatificandarum, hoc est, æternam beatitudinem suo tempore susceperturarum. Idem dicit de fide resurrectionũ. Sequamur Abrahã moribus, vt nos excipiat in gremium suũ, & tanquã Lazaron suę humilitatis hęredẽ, propriis circunfusum virtutibus, pio foueat amplexu. Nõ enim nos in gremio corporali, sed in quodam bonorum factorum amictu sancti patriarchæ probata Deo successio fouet. Hæc ille. Augustinus quæst. euan. 2. dicit, sinum Abrahæ esse requiem beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorũ, Mat. 5. Idem lib. 4. de anima, sinum eum intelligit de loco Abrahæ requiei deputato. Item S. Augustinus contra Faustum, exponit Quietem felicitatis magnũ abditumque secretum, lib. 33. cap. 5. Theophylactus continentiam bonorũ intelligit, ad quam à tempestate huius maris, tanquam ad portum appellunt: quoniam & in mari sinus appellamus, loca † portubus & quieti apta. Summa: Beati sunt pauperes spiritu, & ipsorum est regnum cœlorum. Patet ergo, sinum Abrahę, paratæ beatitudinis esse adumbrationem. Statio honorifica & festiua, vbi coëunt electæ animæ, vsque dum consummationis tempus adueniat. Iterum ex Theophylacto notandum, neq; Abrahamum ociosa fide locum eum esse sortitum, sed opere bono, quo vagos intra tabernaculũ suum recepit vel coactos, quo hospitũ pedes lauit, quo illis ministrauit, optima quæque illis apponens, Gen. 18. 19. Heb. 13. Laboremus ergo cum Abraham, Deum ipsum mercedẽ recepturi. Bona quies, quæ tantum expectat præmium: tutum receptaculum, quod tantæ mercedis possidet tantum solatium. Felix verè, qui in tanti sui patris gremium peruenerit. Nusquàm pueri melius recubant, nusquàm tutius litant, quàm in parentũ gremiis. De sepultura diuitis Iurconis, vide S. Augustinum super Psalmum 72. Sequitur de diuite nepote contrarium:

Sinus maris, sinus Abrahæ habet similitudinẽ.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abrahã à longe, & Lazarũ in sinu eius. & ipse clamãs, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarũ, vt intingat extremũ digiti sui in aquã, vt refrigeret linguã meam, quia crucior in hac flamma. Vbi sunt misericordes illi, qui infernum negant esse perpetuam damnationem? Heu mihi, pauci

Inferus et Purgatorium eadẽ

pernesita te negatur

non sunt, infernum negantes, hæretici. Sunt enim & eius hæresios farinæ, qui aduersus communem sensum & professionem catholicam, Purgatorium negant. Certum est, eos qui hodie negant Purgatorium crás negaturos infernum. Vtrinque enim vna subest ratio, auersatæ nimirum professionis catholicæ. Græcis infernum vocatur ἄδης, Hebræis *Schol*. Non moueat quòd Hebræum *Schol*, etiam sepulcrum significat. Nam & Latinis cœlum dicitur aër. Non sequitur tamen, præter aërem nullum esse cœlum, Dei maiestatis sedem, vbi mansiones beatorum varię sunt præparatæ. Accedit huc quòd Hebræis *Gehinan* vel *Gehenna* infernus est, Matth. 10. Marc. 9. Iacobi 3. Gehennam Latini vocant ignem infernalem, quanquam propriè aliud significet. De igne infernali habes hic & Matth. 25. Gregorius hic disputat, vt incorporeum possit in certo loci spatio detineri & cruciari. Quæstionem eam ex Matth. 25. soluit, dicens: Cum ignis atque locus ille diabolo & angelis eius (qui & ipsi incorporei sunt) sit paratus, sequitur etiam paratum esse animabus iuxtà atque corporibus reproborum, quæ & ipsæ sunt satanæ angelæ atque ministræ: per quas satan sæpenumerò efficit, per seipsum quod nõ potest. Mahometh in Alcorano suo cõfitetur infernum, dicens: Quisquis peccator, qui se magis atque magis inquinat, in igne perpetuo discruciabitur. Plutarchus in commẽtario De dæmonio Socratis, narrat Timarchum in specum Trophonij ingressum, & posteaquàm illinc rediisset, prodigiosa dictu sibi visa, non admodũ abhorrentia ab iis, quę nostri de inferno profitentur. Et de inferno dicit Vergilius:

incorporea anima in inferno detineri et cruciari potest.

Luctus & vltrices posuere cubilia curæ.
Pallentes habitant morbi, tristísque senectus,
Et metus, & malesuada fames, & turpis egestas.
Terribiles visu formæ, lætúmque laborq;.

Res se longè aliter habet, quàm Thalmudica illa fabula habet: nempe quod angelus animam diuitis ad paradisi gloriam deputatam portauerit, & ex eius manibus anima ea deciderit. Absit à nobis, vt tam anilia de angelis cœli somniemus, cùm de illis dicat psalmographus Psal. 103. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos

flammam

flammam ignis. Sed cum Thalmudiſtę vnà cum ethnicis infernum iuxtà atque purgatorium fateantur, quo ore audent hæretici Purgatorium, atque adeò infernum, negare? Nónne & Abrahæ ſinum inficiantur, dum bonorum merita diffitentur? Adeò hæretici vel ipſis ethnicis, campum Elyſium & infernum confitentibus, ſunt infideliores, atque adeò antichriſti. ſed ad diuitem inferni fomitem reuertamur, dicamuſque cum ſancto Auguſtino: Vbi eſt veſtis byſſina? Vbi vita abundans & affluens copiis multis? Nónne morte omnia tranſeunt tanquàm vmbra? Ecce tibi, diues nepos ſe hic impinguauit, vt infernalem nutriret ignem: vt fœcundus eſſet pœnæ, craſſum ventrem fouit, popam inferno gratiſsimam. O paupertatem, O mendicitatem. Quæritur mors, & non inuenitur. Melius eſt non naſci, quàm ad huiuſmodi naſci pœnam. Pauper in hoc mundo aërem & ſomnũ cum diuitibus habet communem: nec vnda, nec pluuiarum guttæ miſeris negari poſſunt. diues in inferno ne guttulam quidem aquę minimam ad refrigerandam linguam habuit, nec ſomnum inuenire poteſt, nec mortẽ. denique nec aura, quæ (teſte Naſone) eſt requies labori, contigit damnato. Accedit ad pœnæ cumulum, quòd Lazaron vidit in tantis gaudiis. Rectè & hoc: nam & Lazari pœna hic vel indè ſuccreuit, quòd diuitem ſubindè vidit in tantis deliciis. Quòd dis Abrahamum patrem vocat, videmus Iudæum, circunciſum, fide non inanem, non vacuum: vanum verò operum bonorum, & virtute nudum, quippe qui in cęlo non theſaurizauit, qui depoſitum certum non habuit apud fidelem Deum. Miſerere mei, ait. Eccè tibi, credit Deum miſericordem. At quare credenti miſericordiam eſſe apud Deum, miſericordia negatur? Pſal. 58. Non miſerearis omnibus qui operãtur iniquitatem. Iaco. 2. Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Eccl. 18. Ante iudicium qui nõ parat iuſtitiam, confundetur. Mitte Lazarum. Præclarus ille Azotius viliſsimũ hominem in gremio Abrahæ cernens, mirabatur rerum commutationem. Putabat, ſecundùm huius ſeculi ritum, eũ ſibi locum iure deberi, mendicos & infimos etiam in alia vita ſibi ſuiſque ſimilibus poſthabendos putabat. Sed animaduertens ſecùs euenire

Sinum Abrahæ qui negẽt.

Nepos, teda infernalis picata.

Nepos dã natus Iudæus fuit.

Superbi in inferno humiliantur tandē.

sibi & Lazaro, sensit mundi iudicium esse vanum, vidit se delusum. Incipit ergò, pudore omni abiecto, mendicare & mendici fieri mendicus, infimum Lazaron sibi mitti rogans. Superbus humiliatus, sed seriùs, quàm ad meritum eius facere possit. Et fortè non rogabat sibi mitti aliquem ex suorum compotorum & congerronum numero, quos præmisit, quia neminem horum in gremio Abrahæ felicem vidit. Mimæ itidem, helluones, citharœdi, *chelij, & hoc genus hominum, subindè ad conuiuia optimarum vocantur. Vndè ait Poeta:

Quis denium scortum eliciet domo.
Lyden? Eburna dic agè cum lyra.
Maturet, in comptum Lacænæ
More comam religata nodum.

Neminem & ex hoc grege in Abrahæ vidit consortio. Lazaron vidit, illum sibi legari supplicat. Cupit autem mitti, vt intincto extremo digiti aqua, linguæ suæ refrigerium aliquod præstet. Iam non facit nauseam palato delicati ditis, purulentia vulnerum mendici. Iam per digitos eos refocillari cupit, quos anteà videre non potuit sinè abominatione. Non rogat macteam aliquam, non artocreas, non tuceta, non salagma, non melicraton, non defrutum, non vinum Creticum, aut aliquid cæterum hoc genus cibi & potus precioſioris, cui à puero assueuit: quia conscientia trepidabat, timuit se frustrà magna petere. Gregorius: Stillam aquæ rogat, qui micam panis non dedit. Obserua iterùm: Rogat guttulam aquę, qui apothecam plenam habet vino. Sed Domini est terra & plenitudo eius: quod attendite diuites, quod hic tandèm discite opulenti. Non sunt vestra quæ hic possidetis, alioqui quomodò diceret vobis: Stulti, cui congregastis hæc omnia? Anonymos heros, paucis antè horis talem non sperauit miseriam. Audite infernalis mēdici vocem, qui iam fidutia magna optima vobis quæque promittitis, ô Mammoniſtæ, ô Sodomitani ciues. O insani, ait S. Augustinus, non obstupescitis, non attonitos vos reddit, non deterret vox Christi: Sulte, hac nocte repetent animam tuam abs te, Luc. 12? Quòd si non credis euangelio, vel experientiæ quam ob oculos quotidiè vides, crede, & ad teipsum tandèm redi, aut salamandri ingenium

tibi compara. Sed neque salamandri natura ab hoc igne tuta fuerit, qui vel diabolum ipsum exurit. Age ergò pœnitentiam, agè Lazaron ciba: quod nisi feceris, Tantalus fies. Crede veritati, dicenti: Amen dico vobis, si quis dederit haustum aquæ frigidæ in nomine meo, mercedem suam non amittet, Matt. 10. Sed quare linguæ saltem refrigerium petit? Lingua præ cæteris torquetur membris, iuxta hoc: Quo quis magis peccat, eo ipso membro maiora supplicia luet. Vltrices flammæ (vt ait S. Gregorius) miserè torsére linguam optimis quibuscunque assuetam. In conuiuiis item vrbanitas, facetiæ, ioci, non infimam laudem sibi vendicant. Benè item poti, vel de criminibus commissis se iactare solent. Insuper etiam hic detractio & blasphemia omnis regnat. Viderint noui euangelici, qui peccata venialia non curant, quique bona opera protegendi virtutem habere negant. Antichristis talibus aures suas nemo accommodet: qui verò sapit, Christum audiat, amicosque sibi de mammona iniquo faciat, Lucæ 16. Sequitur:

Linguæ refrigerium potissimùm damnatus nepos rogauit.

Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque indè huc transmeare. Tantáne animis cælestibus inclementia? Gregorius ait, Erectos per iustitiam iudicis, ad clamores damnatorum obsurdescere, nec vlla misericordia tangi. Pendent è Dei nutu, iustificant & comprobant Dei iudicia. Respondet itaque Abraham verbis Dei iis, quæ sunt Matt. vigesimoquinto, Roman. 14. 2. Corint. 5. Non insultat damnato inhumaniter & iniquè, sed modestissimè respondet: Fili, recordare. Filium vocat, quem secundùm carnem & sacramentum† circuncisionem, sobolem suam agnoscit. Subiicit ergò causam condemnationis, dicens: Recordare, quia recepisti bona. acsi dicat: Memineris purpuræ & byssi, subeat tibi assiduæ voluptatis, quorum ego tibi exemplum non reliqui. Assuesce malis, qui bonis es defunctus. Iustè Dei iudicio Lazarus fouetur, tu verò torqueris. Ritè crapulam mundi sequitur inferni cra-

Iudicium Dei in dãnatos iustũ

ticula, pompam prunę, saturitatem sartago, &c. Germanicis rhythmis sic effertur: hiegetrost dort geroſt: hie gudt dort gludt. Eccè ego & filij mei verè mecum. Ego obediui Deo, obaudierunt & illi filij mei. Circunciſi ſiquidem eius rei ſignum acceperunt: tu, quoniam ſatanæ ſecutus es conſilium, in ſatanę pœnæ peruenisti conſortium. Confer voluptatem cum pœna. Stipendium peccati, ignis, æternum. tolle & ſuſtine quod tuum eſt auctoramentum, & tace. Recordare amice, quòd non ſolùm identidem pergræcari es ſolitus: ſed & hoc ſuccurrat, quòd melitæos catulos, plaudos, vertagos, & canũ vim Lazaro prætulisti odoram. Fieri ergò non poteſt, vt duos cælos ſuccedentes ſibi habeas: nec item fieri poteſt vt exores, qui pauperum clamoribus aures ſemper clauſiſti tuas. Vndè inter nos & vos chaſma ingens atque chaos confuſum firmatum eſt, vt ij qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſsint. Tam non poſſunt qui hic ſunt, ad vos deſcendere, quàm ij qui apud vos iſthic ſunt, huc aſcendere: Homines quidem & eadem caro vtriq; ſumus. Vndè ſi per Dei iudicium imperſcrutabile liceret, cuperemus vobis conſultum: ſed diſcreuit nos iuſtitia iudicis iuſti, ne vnquàm coeamus. Chaos dicitur diſcretio iſthæc propter irreuocabile Dei iudicium. Hiatus ſiue vorago dicitur propter perſpicuitatem, qua & damnati beatorum, in ſuæ pœnæ augmentum, beatitudinem vident, & beati damnatorũ ſupplicia concernunt, ſed citra gloriæ ſuæ fraudem, immò in gloriæ ſuæ illuſtrationem & incrementum. Theophylactus confutat hoc loco Origeniſtas, qui poſt longum aliquod tempus etiam damnatis Dei promittunt miſericordias. Ignis infernalis eſt æternus, Matt. 25. Eſa. 66. vocatur inextinguibilis Marci nono, ex Eſaia ita vocatus. De hoc igne ait Apoſtolus 2. Theſſ. 1. Daniel propheta cap. 12. futuram quoque vitam vocat interminabilem, accedens ad hoc quod dicitur Luc. 10. Ioan. 6. 2. Cor. 2. Galat. 6. Ambroſius primo officiorum, hunc locum fuſiùs proſequitur, & hoc potiſsimùm euincere ſtudet, ne pij ſcandalum patiantur, videntes impios in hoc ſeculo florere. Hic locus eſt ſanctuarium hoc theſaurorum Dei, quò qui cũ pſalmographo intrauerit, Pſal. 72. ſcandalorum ſecurus erit omnige-

Naturaliter etiam cupiũt ſaluari damnatos, beati.

Chaos, quod damnatos ab electis diſcernit, quid.

Miſericordes hæretici confutantur.

num. Solatur itaque hic Ambrosius miseros, dicens: Horum (putà diuitum) requies in inferno, tua in cælo: Horum domus in sepulcro, tua in paradiso. cap. 16.

Et ait: Rogo ergò te pater, vt mittas eum in domũ patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Epulo locuples, inferni ignis fomes, videt chaos, contemplatur chasma, audit sententiam, sentit conscientiam, audit sibi Dei sententiam declarari, sentit conscientiam se stimulari, & à vermibus eiusdem se mordicus arripi. Cessat ergò precari pro se, pro fratribus, verò orare præsumit suis. Et hac oratione ostendit, damnatorum pœnam non solùm succrescere visione beatorum, sed & duplicari damnatione eorum quos in peccatis comites habuerunt, vel quorum præuaricationi ansam dederunt. Hac in re hæreticis præcipuè timendum: neque enim facinorosi malo exemplo tantùm nocent, quantùm malo documento hæretici. Viderit quisque, dum adhuc videndi & conuertendi tempus est, ne vel exemplo vel documento scandalôn occasionem administret.

Damnatorum pœna accidentalis, crescit subindè.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Mirum, hominem in tantis suppliciis & in tanta confessione, integra adhuc mente, talia posse perspicere. Corpus anonymi ditis iam putrescit, anima ignit & torquetur: & nihilominùs virium suarum compos, sensu suorum tangi, illis prospicere, & de illis solicita esse potuit. Sic Deus ad pœnas sustinendas æternas sufficere vult. Et si tanta facultas contingit damnatis ad suppliciorum redundantiam, quis dubitet maiorem concedi beatis ad eorum vbertatem gloriæ? Et quid non videant, qui ante speculum, in quo omnia relucent mysteria, adstant? Animæ tantæ potentiæ relictæ, pœnam (quod dixi) augent. Plus satis fuerat diti damnato sua pœna: sed eccè tibi etiam accedit aliena. Hic videmus infandùm blasphemare, in suum maximum malum, eos qui dicunt, Sacerdotes infernum feruidiorem facere quàm existat. Diues nepos iam eius rei experientiam sortitus, testatur longè magis æstuare, quàm & dici aut credi possit ab homine. Sed quid est, quod Lazaron sibi vsque officiosum cupit? Nonnè & hoc facit ad pœnæ exaggerationem? Adeò

Animæ suæ potentiæ manẽt etiam in inferno.

Vulgima xima blasphemia in ferni æstus extenuãs.

non habuit in numero electorum obæratum sibi. Offendit omnes, infensos habuit omnes. Qui Deo soli peccat, vnà cum Deo sanctorum cuneum exacerbat omnem.

Et ait illi Abraham: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. Non tacet quidem Abraham, sed non exaudit, & preces damnati tanquàm vanas reiiciens, sana subindicat, si non profutura damnato, certè semper commoda saluandis. Orat pro Sodomiticis & Gomorrhęis, qui sese pascunt in diem occisionis. Respondet Abraham: Fili, salutare quidem esset germanis tuis, à voluptuosa ad frugi vitam redire: sed illius ergò, non video quare Lazaron è gremio meo in mundum rursum emittam. Neque enim est in fatis, vt mortui regnum cælorum prædicent. Moses & prophetę suos prędicatores habent à Deo ritè vocatos, sacerdotes & scribas: eos audiát. Adde quòd non conueniant mendico tales partes. Nihil legi Dei addendum, decidendum nihil. Moses ergò ritè è sacerdotibus audiatur, & prophetæ. Legat, qui hoc potest, vtrosque. Moses quinque libros præceptorum Dei, numero sexcenta & tredecim, conscripsit. Prophetæ legis Dei interpretes, præcepta ea breuissima methodo sunt complexi, charitatis nimirùm solius Dei & proximi. Hos si fratres tui audierint, in locum eum pœnalem non deuenient: sin, ea eos manent supplicia. Abbreuiatus sermo charitatis. hoc Moses pauperes prçcipuè commendat diuitibus, Exo. 22. Leuit. 19. Deut. 15. Et Dauid ait: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Maximo encomio eleemosynam extollit idem Psalm. 48. Esaiæ 1. 58. 59. Hierem. 5. 7. Ezechiel. 18. 22. Amos. 5. pluribus idem agunt. Audiant eos, & benè illis erit. Audiant & sapientes pios, potissimùm verò Ecclesiast. 6. Summa: charitas, benignitas, humanitas, abstinentia, & hoc genus virtutum, legenti Mosen & prophetas, nusquàm non occurrunt. Eos ergò si audierint, monitis eorum si acquieuerint, iustorum recipiunt mercedem.

Evangelij prædicatio non omnibus concessa est.

Eleemosyna nobis commendatur.

At ille dixit: Nō pater Abrahā, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Abrahā tanquàm ꝓpheta, (Gen. 20.) non solùm patriarcha magnus, amicus Dei omni-

potentis, vanus monitor diuiti fuit epuloni: quid ergo apud suos Moses & prophetæ efficient? Dis ipsi Abrahamo se admonitorem obtrudit. Non, inquit: sed si quis ex mortuis resurrexerit, persuaserit. Mosen & prophetas vsque ad satietatem, immo etiam vsque ad nauseam, audierunt. Operæprecium itaque fuerit, vt ex mortuis aliquis, illis, quæ & quanta supplicia impœnitentibus sint parata, indicet. Iam omnium est vox: Multa scripta sunt, & docétur plurima: sed qui ex mortuis redierit, futurum statum significauerit, nemo vnquam prodiit. Vsque in hodiernum diem vox illa increbrescit, etiam in ecclesia. Adeo fides non est omnium, adeo lata est via quæ ducit in perditionem. Audiuit & venter purpuratus Mosen & prophetas, circuncisus item fuit, sed semper purpuratus aqualiculus permãsit. Ex se ergo fratrum suorum animos æstimabat, sciens eos verbo Dei parum tribuere. Neque hoc prætereundum est, quod operosę pœnitentiæ mentionem facit. Sensit, sed serus, quid sibi defuerit. Credidit pœnitentia Deum placari, sed opera pœnitentiæ non edidit. Pœnitentiæ fructum sibi defuisse comperit, pœnitentiæ ergo fructus fratribus suis optat. Quasi dicat, Pœnitentia me in Abrahæ sinum perduxisset, impœnitens cor in hunc locum pertraxit: solam ergo pœnitentiam fratribus meis velim persuasam. Discat hic catholicus quam salutare sit pœnitere: videat, quam nouum euangelion sit pestilens, opera pœnitentiæ eleuando. Monachi exititij perfidum hominum genus, instar viperæ aduersus pœnitentiam Dei gratiæ illicem, sese obdurat: aliisque naufragis hanc salutarem tabulam auferre conatur, vel ipso damnato potatore nobili peius. Sequitur:

Operosa pœnitẽtia

Dixit autem illi: Si Mosen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ex verbis Abrahami sinè negocio colligimus, verbum Domini permansurũ sempiternum, Deu. 13. Nemo quęrat à mortuis veritatem. Esa. 38. Infernus (ait Ezechias) non cõfitebitur tibi. Viués confitebitur tibi, sicut & ego hodiè: pater filiis notam faciet veritatẽ tuam. Nihil itaq; rei mortuis & viuis. Contactu reliquiarum mortuus quidam redanimatus est, sed quæ indè pœnitentia secuta? Quæ metanœa digna secuta est

Mortui redierunt & futurorum nobis statum indicauerũt, & etiam numindicant.

resuscitationem puellæ,adolescentis,& Lazari?Prophetæ mortui,etiamnum prædicant & miracula edunt, Ecclesia.29.Moses adhuc voce magna clamat.Esaias exaltat quasi tubam vocem suam. Audiatur Moses impiis maledicens,Deut.27.Audiantur prophetæ Esaias & Hieremias,*Tophet* siue *Tophthe* describentes, Esai.30.Hiere. 7.19.*Tophet* siue *Tophthe*, significat ignem infernalem æternum,&c. Summa scripturæ canonicæ & nostræ fidei est: Qui bona egerunt, eos ituros in cælum: qui verò mala,in *tophet*. Quod si impij auribus grauiter audiunt, non illorum gratia sua iudicia reuocabit diuina sapientia.Impios hic conuenit diues Comedo,cui nisi credant, propediem iudicem experientur. Sed quid tandem est vere credere? Pœnitentiam agere.Non hoc Crassus ille damnatus solum docet. Zachariæ filius, Ioannes Baptista magnus ille, idem docet. Hoc quoquè docet ipse Christus Matthęi tertio,Marc.1.Luc.3.& 24.Beatus qui intelligit.

Vera fides est, agere pœnitentiam.

ALLEGORIA.

Allegoricos, nepos damnatus significat Israelē & hæreticos.

Ambrosius,Augustinus,Gregorius, Theophylactus allegoricè hāc lectionem accipientes:diuitem, populum Israeliticum significare dicūt,carnalē illum, in litera legis inflatum, cæteras gentes præ se tanquam famelicas contemnentem,immo tanquam canes,quos ne micis quidem neglectis dignos censeat,auersantem. Tandem vero Dominus è stercore pauperes erigens,gentibus contemptis misertus,eos illuminauit, superbos & delicatos Iudæos ęternis tradidit tenebris,Lu.1.Psa.58.Peculiosus ille Iurco,etiam hęreticos significat.Prænitent illi catholicis Lazaritis miseris.Trilingues sunt hęretici,in omni genere disciplinæ exercitati sunt, & id etiam videri volunt,vndè papistas subindè asinos vocant,nihil illis eruditionis tribuentes.Spurius Philistæus immani est corpore:nec id mirum,multos habuit viros mater eius,multos habuit patres meretricis filius.Nisi solum patrem habuit pusillus Dauid,honestæ mulieris filius. Ambrosius:Dives,inquit, hæresis euangelia multa composuit:pauper fidelis hoc solum euangelion tenuit quod accepit. Dives philosophia plures sibi deos facit, pauper ecclesia vnum Deum nouit. Hodiè quoquè iactant se illumina-

tos, Germaniam euangelion vnquam audisse negant, Roman acephalam sedem esse eblaterant, Montem Libani veritatis caput proclamantes. Vndè & hoc est, quod secta ea subindè nos, qui ecclesiæ filij esse contendimus, vltro citroq; insectatur. Audiant ergo quid Dominus dicat: Nõne qui prædaris, prædaberis? Item: Dicis, quia dines sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus. Valeat ergo dives hæresis & locuples schisma. Dominus Deus det nobis vt cum paupere Martino, & cum inope Nicolao, cum misero Paulino, cum mendico Francisco, Dominico, Benedicto, Bernardo, &c. in catholicę matris gremio expectemus omnis boni retributorem Deum vnum in S. Triade, patrem, filium, & spiritum sanctum. Cui laus sit & gloria in æternum, Amen.

DOMINICA I. POST TRINITATEM, Luc. 16.

Homo quidam erat dives, & indnebatur, &c.

¶ Sensus literalis idem & moralis est.

¶ SECTIO ESTO.

1 *Divitum infelicium, & pauperum felicium descriptio.*
2 *Pauperis Lazari gloria, divitis nepotis pœna.*
3 *Abrahæ sententia & doctrina.*

¶ EXPLANATIO.

Divites dicunt, meum hoc est, possum ego meo vti ad vota mea, atq; pro libitu nituntur. Pro. 5. Bibe aquam de cisterna tua, &c. Sed locus ille sedulitatem secundum literã docet, secundum sensum mysticum significat cauenda dogmata hæreticorum. Timeant iudicem personas non respicientem, immo magnos maximis tormentis puniẽtẽ. Non hic divitis nomen auditur: tanquã execrabile enim, literis euangelicis non est cõmissum, ad declarandum Pro. 14. Nomen impiorum putrescet. Psal. 15. Nec memor ero nominũ eorum. Item, Nescio vos. Qui mollibus vestiuntur, in domibus regũ sunt. Gregor. & Beda ex vestitu Ioannis colligunt, vestitum humilem suum habere meritum: contra, luxum esse damnabilem. Obseruant nostrates: Si tanta seueritate animaduertit Deus in molles, immisericorditer sua retinentes sibi, quid fiet de illis, qui aliena crudelissimè auferunt? Potentes hic locus potissimũ tangit. Non Iob à purpura, sed à prudentia & clementia rex designabatur. Vino vendibili suspensa hedera non est opus. Non dandum regibus vinum,

ſed miſeris hulceroſis, vt dolorum obliuiſcantur, Prou. 31. Adam pomo, Eſau lente, filij Heli carne cruda perdiderunt paradiſum, primogenituram, & ſacerdotium. Væ noſtratibus, quorum gulæ nè caro quidem aſſa ſatisfacit & elixa. Videmus peſtilentiorẽ hæreſin nullam eſſe, quam eam quæ homini liberum negat arbitrium, quæ bonis operibus iuſtificandi rationem adimit, & quæ omnia opera, ſiue bona ſiue mala, paria eſſe affirmat. Multum intereſt, Dauidne quid peccet, an herus. Potentes potenter tormenta patientur. Quantum habuit quiſq; in deliciis, tantum & habebit in pœnis. Hæc omnia quiſq; per ſe amplificabit Eccleſiaſtes.

Myſterium.

¶ Dives nepos ſignificat hæreticum & hypocritam, de ſcripturæ plenitudine nõ faſtidioſum. Lazarus pauper ſignificat catholicum miſerum, nihil ſcientem comparatione hæreticorum. Lazarus interpretatur, in adiutorium. Homo homini natus. Vulnera aperta ſignificant confeſſionem peccatorum, teſte Beda. Canes, teſte eodem, ſignificant eccleſiaſticum curatorem, epiſcopos & parochos & doctores fideles. Quinque fratres: Ad pœnam manent impij quinq; ſenſus corporis: item variæ potentiæ animæ, intellectus, memoria, voluntas, erubeſcentia, timor, &c.

DOMINICA SECVNDA POST Trinitatem, Epiſtola, 1.

Ioan. 3.

Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus, &c.

PRAEFATIO.

Charitatẽ macrologia apoſtolus nobis prædicat.

NVnquam poterit nos Apoſtolus Ioannes ſua tautologia, charitatis prædicatione ſaturare. Nã quo plus charitatẽ nobis prædicat, hoc magis nos accendit ad eius prædicationem copioſiorem audiendam. Ioannes eſt Chriſto multum dilectus, meritò ergo charitatem prędicat. Et quid charitate præſtantius eſt? Deus ſeipſum charitatem dici vult. Certum ergo eſt, charitate nihil eſſe precioſius. Habenti charitatem commodat, & ei charitas peccata tegit: tegit enim peccatorum multitudinem. Focus luculentus charitas eſt, familiæ omni commodus. Fidem habeas tuam tibi & Deo: tua mihi frater charitas proderit. Neque item tua tibi fides ſinè charitate profuerit. Fides ſiquidem charitatis expers, carbo eſt, non pruna. fac ingnias carbonem. Rectè ergo nõ piguit apoſtolum identidem de charitate affirmare, nec

item erubescit charitatem nobis identidem inculcare ecclesia. Nam & ecclesia æquè, atque Ioannes, in charitate Deo appropinquat. Qui seruat, ait, mandata mea, ille mihi est proximus. Vestis nuptialis nihil aliud est, quam charitas. Hanc vestem ecclesia vult vt nobis sub sponsi aduentum comparemus. Sectio lectionis est: Primo hortatur ecclesia nos ad fraternam dilectionem, continuans lectionem præcedentis dominicæ diei. Secundo subdit signa & argumenta, quibus charitatem in nobis esse ostendamus.

Nolite mirari fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Mundus crudelis furiosos refert.

Quid mundo crudelius, qui persequitur eos, quibus præcipuum debet amorem? Plurimum amant filij Dei hominum salutem, sed minus à mundo amantur. Immò quo plus amici Dei huic mundo cupiunt consultum, hoc mundum grauius offendunt. Insanorum ingenium mundus penitus refert. Furiosi enim nemini magis sunt offensi, quam illis qui adiuuandi gratia ipsis appropinquant. Mirum non est, mundum charitatis expertem talia facere: mirum vero esset, vt Didymus Alexandrinus ait, si charitate flagrans, talia patraret. Idem itidem Augustinus ait. Augustinus mundum accipit pro malignorum colluuie. Ioannes vocat Christum agnum Dei, tollentem peccata mundi, cap. 1. Cæterum etiam mundus significat orbem terrarum, atque ipsum cælum stelliferum. Mundus ille prior nihil amat aliud, quam quod sibi est simile. Gaudium itaque veris Dei filiis est, cum vident sibi mundum esse infensum, Mat. 5. Iac. 1. Pij in mũdo pacem non habent, Ioan. 16. 2. Tim. 3. Hac animati recordatione, pacem habent etiam in medio persecutionũ malo. Cum in mundo mala audiunt, confidunt se Deo multum esse gratos, persecutionẽ patientes, putant se bibere ex poculo Domini. Vident se prędestinatos, oues mactationis, Psa. 43. Ro. 8. Hęc est illa metabasis, de qua hic Apostolus dicit, trãslatos nos esse à morte ad vitam. Metabasis, durchgang vom tod ins leben, trãsitus à morte ad vitã. Metabole, verruckung, transmigratio, qua ex hoc seculo malo, in aliud nos recipimus. In euangelio capite 5. idem Apostolus & Euangelista iisdem verbis

Mundus quid.

Pax in mũdo non est, sed in Christo.

vtitur,dicens:Qui audit verbum meum,atque credit ei qui me misit,habet vitam æternam:nec venit in iudiciũ, sed iam à morte transiuit ad vitam. Tanquam iam peractum esset,loquitur. Dictum factum, sunt oracula Dei omnia. Augustinus scitè hic dicit, vitam æternam esse intra nos: atque hoc per simile aptissimum ostendit, nempe per simile arboris radicis,quæ non minus virtutes suas habet in hyeme,quam in æstate, tametsi surculi marcidi existant. Interius succus,folia & fructus:sed expectant tẽpus suum,ver & autumnum, tempus floris & fructuum. Euangelistæ nouitij illi, qui ità distenti sunt scriptura,attenderent sibi consentire:Qui credit,transiuit à morte ad vitam:atque hoc quod hic legitur,Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Alterum horum,alterum declarat:qui alterum reiicit,neutrum retinebit.Obserua fratrum euangelicorum fraudes. Translatores noui, hic ponunt loco commatis colon. Periodum volunt partiri, quã apostolus vnicam vult.Atqui scribant siue scriptitent, nihil refert.Nullum contra veritatem est obstaculum.Fides per dilectionem operans,saluat.Fides sinè operibus mortua est.Pietas ad omnia est vtilis.

Vita eterna est intra nos.

Qui non diligit,manet in morte. Confer huc quod est apud Marcum decimosexto:Qui crediderit,saluus erit:& videbis æquipollere cum præsenti loco: Qui non diligit, manet in morte.Quod est apud Marcum,Condemnabitur:nihil aliud est,quàm in morte manere.Vę conciso-ribus & mutilatoribus scripturæ: excidentur & è libro vitę eradicabuntur hęretici,qui inter Christum & Apostolos discordiam facere conantur:qui alia stramentitia, alia perperam torta, aurea omnibus commendant.Mortui mortuos sepeliunt.

Charitatis expers, in morte manet.

Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis,quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Non solum diligens, sed & vehemens doctor charitatis est Ioannes. Vehementer satis dictum est, Qui odit fratrem suum, homicida est. Non delirat amicus Christi charus.nam & discipuli doctrinã perpetuat veritas Mat. 6.dicis, non odio habeo fratrem: mentiris, nisi amaueris.Odisse & non amare, idem sunt.Non habet hic lo-

charitatis expers,homicida est.

cum illud Poetæ:

Odero, si potero: si non, inuitus amabo.

Caue, nè aut Rhaca aut fatue dicas. alterum enim pertinet ad concilium, alterum ad supplicium. Si alterum protuleris, homicida es, licet incruentus, Matth. 5. Si homicida es, nullam partem habes in regno cœlorum, Galat. 5. 1. Corinth. 5. Si fidelis es, credes apostolo, etiam calumniatores homicidij insimulanti. Pseudofideles, duplici animo viri, non credunt, sed opinantur, si tamen non cõtemnant. Si non rident, sed saltẽ opinantur, etiam sic præuaricantur. Cicero enim probat absolutos sapientiæ homines, qui non ducuntur opinionibus, sed certò tenent. Opinaris & hæres, si fateris verbo, & non profiteris facto. Exemplum eius loci audi in sequentibus tibi subiici Christi Domini nostri:

In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animã suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

Hęc est altera pars huius lectionis, in qua argumentum nobis præscribit dignoscendi veri amoris. Diabolici homines de amore disputantes, Cupidinem & Venerem intelligunt. Noster amor est Christus pro nobis crucifixus, cuius amore etiam nos pro fratribus mori non dubitamus. Quod si non præstiterimus, dicet nobis posthac Christus: nescio vos: etiam si fide nostra montes transferre queamus. Argumentum charitatis, exhibitio operis. Mori pro fratre, verum opus charitatis: quo & pro nobis, cùm adhuc peccatores atque adeò eius hostes eramus, mortuus est Christus, Romanor. 13. Ioann. 3. Pati & operari, est signum catholici amoris. Nemo maiorem charitatem habuit, quam vt animam suam daret pro amicis suis, Ioann. 15. Hoc præstitit nobis pastor bonus Ioann. 10. Amabilem se nobis præstitit, vt & à nobis vicissim ametur. Tenemur ergo charitatis lege, animas quoque pro fratribus ponere, Ioan. 13. 1. Pet. 2. Boni pastoris vicarij, bonitatem hanc præcipuè debẽt Christi ouilibus. Apostolus itaque ne recusauit quidẽ anathema fieri pro fratribus, 2. Cor. 12. Atque hęc Pyladis charitatem superat, qui solum amauit Orestem.

Amor noster Christus, non Cupido.

Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem

suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Quod magis arduum est, præmittit: nunc gradum subdit humiliorem. Qui pro fratre mori cunctatur, sese ad perfectionis gradum non peruenisse, sibi planè persuasum habeat. Qui ascendere supersedet, charitatis planè expers est, & Christi nihil habet. Probet se homo in supremo gradu: quem si se non videt assecutum, in mediocri hoc feruentius laboret. Augustinus ait: Nè desperes, si ad perfectionis gradum necdum peruenisti. Fortè charitas in te adoleuit, sed necdum maturuit. Foue crescentem, nè arescat. Habenti dabitur. Sed si neque in infimo charitatis gradu sedulus fueris, meliora quis infideli tibi in minimo, credet? Charitate vacuus, impius est omnis. Credendo montes transferre poteris, sed te cœlo, credendo nunquam intuleris. Inhumanus quomodò possit esse pius? Nonnè humanos nos vult natura? Quid tam contra naturam est, atque hominem homini non adesse? Dicis, te Deum amare: Respondeo mentiri te, si ore hoc tantum dicis, & viscera tua à proximo claudis. Fac ergo viscera testificentur, fac cor loquatur, tacente ore: & teipsum non seduces. Fortis vt mors dilectio. Fictus amor est in verbis, verò in virtute & factis. Dicis, si Crœsi diuitiæ mihi soli essent, omnes locupletare siue satiare non possim. Quis ex te hoc requirit? Lazarus contentus erit micis domi tuæ pereuntibus: & Apostolus non vult, vt aliis des ad luxuriam: sed vult, vt pro tua copia, aliorum succurras inopiæ. Qui duas tunicas habet, det alteram non habenti, ait Ioannes. Et Seruator, quod superest, vult vt non habentibus largiamur. Sic erunt omnia munda. Fides purificat, purificat & charitas. Sed frigidi statim aliquid inueniunt, vt nihil dent: hoc est, excusationem semper habent in promptu: obmutescent tandem, de veste nuptiali requisiti. Audiant ergò, dum tempus est, Ioannem.

Charitatis gradus.

Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Cantilles, dicas, ostentes, glorieris de fide tua, quantum libeat: ne tanti quidem est tua fides, talitrum non valet, si charitatem negligas. Bone Deus, quàm peruersa est illa doctrina, quæ fidem in fraudem charitatis

Fidem in charitatis fraudem prædicant hæretici.

extollit, cùm potissimum in charitatis & bonorum operum locupletationem debebat prædicari? Qui credit Deo, attendit mandatis eius, Ecclesiast. 32. Fides sinè operibus mortua est. Apostolus vtique de charitatis intelligendus est operibus: quia etiam donum seu stips quæ egenis datur, sinè charitate nihil est. Non est situm regnum Dei in verbis, 1. Cor. 4. Praxis absoluit religionem. Quod ait, & veritate: tantundem est, iuxta Augustinum, ex intimo adipe misericordiæ. Veritas hypocrisi opponitur. Viderint hypocritæ, quanti apud Deum sint meriti, Matth. 6. Qui dant eleemosynam de rapina & exactionibus, tantum Deo gratificantur, quantum benè meretur de parente, si quis coram eo ipsius mactet filium. Panem tuum, ait frange esurienti. Summa huius loci est: Deum non velle ebuccinatores Stentores fidei, sed charitatis factores: non zungler, sed vvercckler. Ethnicis sumus magis impij, si in verbis confidamus esse perfectionē religionis. Scitū est illud Theognis: Nemo, ait, mihi amicus lingua, nisi & facto amicum se exhibeat. Libenter salutare, Cato probat: sed nihil dare amicis egentibus, est non amare: quia amicorum communia omnia. Faxit Deus, intelligamus & præstemus, Amen.

EADEM DOMINICA II. POST TRINITATEM, Euangelium Lucæ XIIII.

HOmo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos: & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

Verbum Dei cōdigna diligētia pauciſſimi audiunt.

PRAEFATIVNCVLA.

MAior pars vulgi, parum fructus ab audito refert euangelio, quia non audit ardenter, neque libenter. Audit ex sola consuetudine, non sinē tædio. Ecclesiam siquidem intrat corpore, animo domi manēte, aut in agro, aut in alio quopiam negocio vagante. Sic verbum Dei auditur ab omnibus, id est, per tempora omnia. Sic à puero sacra eloquia audientes, senescit bona pars vulgi, nec tamen adultæ perfectionem ætatis sibi comparat. Videas complures capulares senes, silicernia ipsa, qui ne ipsius quidem fidei catholicæ prima didi-

cêre elementa, ſanguineis lachrymis quod vel ipſi Heliæ eſt deflendum. Turcæ maiori feruore ſuum Alcoranum audiunt. Iudæi feruidiori ſtudio Moſen addiſcunt: nos & Iudæis & Turcis ſcandalo ſumus, qui fabulas quaſcunque euangelio Chriſti præferimus. Hæc dico, vt quiſque ſeipſum probet, deque ſuæ profectu religionis periculum faciat, quàm huius mundi fluxa omnia æternis præferat, quibus armis, hæreticis operum bonorum meritum extenuantibus, immò etiam negantibus, poſsit occurſare, quanta fidutia, quantoque amore gaudeat aduerſa omnia pro veritatis orthodoxæ aſſertione ſubire. Hic ſi frigidiuſculum & nihil à virtute euangelica referentem inuenerit, ſeſe accuſet: Deum ſuum gratiam efflagitet. Prælecta iam eſt parabola, arcanorum prælibatorum fœta: ſemen vitæ, verbum iucundum & ſalubre, audiuimus. Faxit Deus corde bono & optimo cupiamus, Amen.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Verba preſentis parabolæ ità prolata ſunt, vt propemodum res geſta videantur. Certo Dei conſilio hoc factum nempe vt videamus, omnes damnatos, ſua ipſorum culpa damnari. Si volueritis aut audieritis me, bona terræ comedetis Eſa. 1. Alibi: Noluerunt audire vt benè agerent. Mala bonis præferunt, tenebras lucis poſthabent. Sapientiam (Prouerb. 3.) omne bonum multis paraſangis ſuperantem, benedictionem præcipuam Dei, ſtultus Eſau iuſculo lentium vendit. Aegrotus medicum vitat, mâlens perire, quàm curari. Hoc ipſum præſens lectio declarat: ipſam (quantum dabitur) ad verbum proſequamur.

Homo quidam. Homo ille Chriſtus eſt Ieſus, verbum è virgineo ſanguine caro factum: Homo, non Apellis phantaſma: Homo, non Valentini cœleſte aliquod corpus. Non tamẽ homo Carpocratianus, de vtroque ſexu genitus: ſed quidam mirabilis conditionis, homo admirabilis, verbum per ſpiritum ſanctum conceptum, ex Maria virgine homo natus: Chriſtus Meſsias, promiſſus ſaluator huius ſeculi. Non Meſsias, qui ſecundum Paulum Samoſatenum initium ex Maria ſumpſerit, ſed qui ſecundũ hoc quod verbum eſt æternum, in principio fuit, idque

idque apud Deum, Deus. Homo, sed & Deus verus, mediator nimirùm Dei & hominum. Homo de quo dicitur, Frater non redimet, redimet homo. Quidam homo, admirabilis homo, de quo tam mira prædicantur, super bis in iudicium, submissis in auxilium & salutem. Cœna magnifica, est regnum Dei in hac terra, quod vocatur ecclesia catholica, sanctorumque communio. Regnum hoc conuiuio lautissimo, non labori difficili, non operi molesto confertur: in quo non operarij difficiles, sed cõ uiuæ ouantes conspicantur. Hic panis vitæ, hic calix salutaris, verbum, sacramenta, & omnigena bona, esurientibus replendis commoda. Regnum Christi dicitur cœna, quia institutum in vltima ætate mundi in seculorum vespera. 1. Ioan. 2. Filioli, hora nouissima est. 1. Cor. 10. Fines seculorum in nos deuenerunt. Prandium præmissum, cœnæ iam instat tempus. Cœnam nihil, nisi quies, sequi potest. Nouum testamentum terminus est, cui nihil porrò impendet. Cœna ergò dicitur, vt post cœnium tenebricosum atque adeò exitiosum Saracenici Alcorani condemnetur, & vt comessatio serotina ac per hoc superuacanea & deplorata taxetur, & æternæ damnationi obnoxia ostendatur. Qui pergræcantur, noctù pergræcantur. Nox nihil moderabile suadet, iuxta poetam. Et alius dicit:

Heus tu, fallaci nimiùm ne crede lucernæ.
Iudicio formæ noxq; merumq; nocet.

Summa: Nihil luci & tenebris. Vndè nox quieti data est. præuaricantur lychnobij, noctu sese ingurgitando. Vocatur & regnum Christi prandium Matt. 22. quia mysterium euangelij etiam in retrò seculis fuit reuelatum, sed non in tanta plenitudine, atque in cœnæ tempore, vt dicit Theophylactus. Propriè vetus lex dicitur prãdium, quòd illi noua erat succenturianda. Vetus, quatenùs corrigi debuit, quatenùs eius imperfectio reficienda erat, prandium dicitur: quanquàm ad noui testamenti plenitudinem collata, vix ientaculum atque merenda videatur. Euangeliũ cœna recta, quia in ea prædicatur gratia plena. Cœna magna, quòd non in sola Syria, sed in vniuerso terrarum orbe promulgata tanta gratia. In semine Abrahæ promissio, benedicendæ omnes gentes, Gene. 15.

Cœna magna est ecclesia.

Prandiũ vocatur synagoga.

Quomodò multi & non omnes vocentur ad cœnam magnam.

Rom. 4. Galat. 3. Vocati multi. Benè multi, quia exhibitor conuiuij ait: Prædicate omnibus creaturis. Vocauit multos, vocauit complures, non omnes: quod intellige de culpa vocatorum, non de illiberalitate vocantis, qui omnes homines vult saluos fieri, 1. Tim. 2. qui etiam sub nomine omnium creaturarum, vniuersum genus vocauit humanum, Hebræos, Græcos, Barbaros, Scythas, senes, pueros, seruos, liberos, masculos, fœminas. Sic & intelligendum, quod de calice eucharistias dicitur, Qui pro multis effundetur. Sufficit, immò superest effusio sanguinis omnium peccatorum ablutioni, quantùm ad effectum: sed sic plurimi sunt affecti, vt perlui nolint. Et quid vetet hominem in Bethlehemeticum ire stabulũ, & in montem Caluariæ exire, Christique improperia cũ Simone portare? Verùm si qui non exeunt, vnica voluptate retinentur. Sic etiam nihil vetat omnes ad cœnam magnam, omnibus sufficientem, venire, nisi prauus cuiusque emanentis affectus, ipsius satanæ suggestionibus infectus. de quo infrà. Nunc breuitatis causa ad sequentia abeamus.

Et misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Christum Iesum, verum Deum & hominem δειπνόκοιτον, hoc est, cœnæ properatorem esse, vestra charitas audiuit. Nunc quis seruus sit, obseruandum. Apostolorum senatus, euangelistarum ordo, discipulorum corona omnium, vnicus hic seruus dicitur, quia nisi vnica est columba. Adeò nihil ecclesię & sectis.

Serui ad cœnã magnam vocãtes, qui.

In parabola nuptiarum plures serui commemorantur, vt prophetarum & apostolorum fieret discretio: non spiritus, sed ministerij imperfectioris & perfectioris. Hic vnum saltem seruum mittit, in singulari numero etiam veteris testamenti ministros comprehendens. Nam &

Seruus vnicus mittitur nos vocare ad cœnã magnam.

hic & Mat. 22. vbi de nuptiis agitur, tempus gratię noui & æterni testamenti, regnum Christi intelligitur. Adest iam seruus ille vnicus (cui tamen olim Moses fuit prælius & prophetę) corona apostolica sacra: hora itẽ cœnæ, δείπνητος, hoc est, tempus cœnæ adest. Incepit hora

Hora cœnæ.

ea ante mille & quingentos annos, in die nimirùm Pentecostes, quando spiritus sanctus apostolis illabebatur, nouos musto inebrians, linguisque ardentibus do-

nans. Tempus gratiæ est, de quo dicitur Esaiæ 49. 2. Cor. 6.

Qui autem sunt vocati? Quos Moses & prophetæ antè vocauerunt, populus sunt Israeliticus: populum eum, iam instante cœna, vocauit vnicus vnicę atque adeò veræ religionis minister. Vocat autem vt venirent, vocat gratis, nullum commercium & recompensationem poscit, nihil vocatos adferre iubet, sed venire præcipit: quod vt volentes præstent, addit inuitationi, parata esse omnia. Paratos, & non turbatos, parata cœna conuiuas requirit, hoc est, gratos & voluntarios. Breuis valdè est vocatio, sed locuples sensu: eius itaque exegesin subiiciendam puto. Viri fratres, scitis Heuæ semen, quod & Abrahæ est, contriturum caput serpentis, & in eo benedicendas omnes gentes, Gen. [redacted] Scitis resuscitandum prophetam de medio vestri, atque eum vobis loco Mosis audiendum, Deut. 18. Prætereà clam vobis non est, quæ & verbis & scriptis de Messia prędixerint prophetæ. Potissimùm semen hoc Heuæ, semen item hoc Abrahami, prophetam illum, Messiam illum hoc nostro, in quod incidimus, tempore (iuxta vaticinia Iacobi & Danielis Geneseos 49. Daniel. 9.) fore nasciturum idque in Bethlehem, Micheæ 5. Messiam eum atque prophetam euangelizaturum, Esa. 35. miracula facturum, Ibidem, occisum iri, ibidem, à morte resuscitandum, Oseæ 6. 13. Psalm. 15. Hæc & hoc genus plura de Messia Dei gratia, crebra vobis prophetarum inculcatione innotuêre. Insuper & vobis liquet, in propatulo esse, Magos ab oriente venisse, & de Messia nato scrutatos esse, pastoribus Bethlehemitanis gloriam Dei illuxisse, atque illis de Messia nato angelos euangelizasse. Nec item latet vos, quem Simeon venerabilis presbyter in vlnas suas exceptum puerulum Messiam sit testatus. Quem vobis Messiam Ioannes Zachariæ filius commonstrauerit, equidem compertum habetis. Denique & vos ipsi noscitatis, quisnam se filium Dei, non dixerit, sed fecerit. Et quem innocentissimum turpissima morte condemnando cruci affixeritis, non ignoratis. Demùm solis deliquium, terræ vniuersæ commotionem, scissuram veli templi & lapidum, apertionem monumentorum, & reli-

Vocati qui.

Vocationis verba.

qua, quæ tunc cùm Iesum Nazarenum regem vestrum miserè in ligno occideretis, accidere, portenta plurima, negare non potestis. Postremò omnium, & hoc quod præcipuè timebatis, & quod Iesus antè prædixit, se nimirùm tertia die à morte resurrecturum, euenisse omnibus constat etiam ethnicis. Nunc verò attendite hunc esse lapidem illum, iuxta prophetam Dauid, reiectum ab ædificantibus, & factum in caput anguli, nec esse in alio quopiam salutem. Viri fratres, liberè & hoc dico, quòd Dauid ipse defunctus est & sepultus, cuius sepulcrum apud nos est vsque in hodiernum diem. Corpus quoque eiusdem computruisse, coràm cernitis. Iesus itaque Nazarenus, est sanctus ille, de quo Dauid vaticinatus est, dicens: Non dabis sanctum tuũ videre corruptionem. Sanctus hic non computruit [redacted] quia peccato caruit vnus. Vndè & iuxta scripturas resurrexit, & ascendit in cælum, sedetque dexter Deo patri omnipotenti. Postremò omnium, & è cęlo spiritum suum (iuxta Iohelem) nobis misit, testesque omnium præmissorum constituit. Atqui fratres scio, quòd ignorantes regi glorię manus intuleritis: pœniteat ergò vos, & conuersi, baptizemini in nomine Iesu, vt deleantur peccata vestra. Apparuit benignitas Dei erga vos, Tit. 2. & 3. nouum testamentum præ foribus est Hier. 31. ablatum sceptrum à Iuda temporale, stat spirituale: facite ergò, vt huic regno per baptismi sacramentum inauguremini. Vocauerũt ad hoc regnum vos olim prophetæ venturum, nos ad id ipsum iam instans eodem cum prophetis spiritu vos vocamus, & dicimus: Venite, eccè parata sunt omnia. Ne dubitetis: Vos ipsi vestras consulite scripturas, & videbitis vatum oracula de Messia promissa, in Iesu Nazareno completa esse omnia. Audistis illum in cruce hoc ipsum dicere, Cõsummatum est. Ioan. 19. Iesus iã glorificatus, Spiritussanctus datus, claues regni cælorum commissæ: nihil restat, nisi vt Christo nomina detis. Appræhendite disciplinam, adorate purè, suscipite filium, nè irascatur pater, & pereatis de via iusta, Psal. 2. Hæc apostolica inuitatio. Videamus quid inuitati & dixerint & fecerint.

Opipara cæna christi magna

Et cæperunt simul omnes excusare. Deflendum malũ, hoc est de [illegible]o suprà semel atque iterùm dixi. Vocati sunt,

obſonia omnium delectamentorum parata eſſe, horam cœnandi inſtare illis indicatum eſt, iuſsi venire, nullam mercedem adferre moniti. Mundi ſiquidem amatores eguerunt omnes, quantunuis diuites: qui verò in Chriſti cœnam perueniunt, non minuentur omni bono. Vocantur ergò, vt guſtent & videant, quoniam bonus eſt Dominus, Pſal. 33. Guſtent, & Chriſti regno conſortes fient. nam qui eius carnem & ſanguinem edit, in illo manet, Ioan. 6. Sic regnum cælorum, Saræ filiis eſt denunciatum & oblatum: ipſi verò, Agar ancillę filij eſſe malunt, diſcipuli & ſerui Moſis mori, Ioan. 9. Semel ancilla, nunquàm hera: ſemel ſeruus, nunquã Dominus. Quærentes iuſtitiam ſuam, ad Dei iuſtitiam non peruenerũt: abuſum hunc literæ, ſequebatur alius: ſeruitutem carnalis literæ, ſequebatur ſeruitus Mammonæ & Voluptiæ miſera. Deprauati itaque, & in mundi vanitate abſorpti, ſeſe excuſare cœperunt. Excuſatur promiſsio terræ Canaan, promiſsio fructuum terræ, promiſsio vxoris & liberorum, nouellas oliuarum referétium. De hoc carnali ſenſu & excuſatione hic agitur. De homicidis illis, qui ſeruos ad ſe miſſos, cęſos lapidauerunt, vide Matt. 21. 22. Et fortè eadem acerbitas Iudæos non exaſperat omnes, nec idem liuor vexat vniuerſos. Lucas hic in genere agit de cauſa excuſationis. ipſam audiamus.

Excuſant vocati terram promiſſam.

Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſè habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excuſatum. Non odio veritatis quidem, ſed amore vanitatis Apella primus emanet. Villam mercatus ſum, ait. Syriæ regnum ex mercede pacta mihi debetur, terra Canaan mea eſt. Adeò excæcat regiæ maieſtatis ſplendor Agarenos, qui olim dixerunt: Conſtitue nobis regem, 1. Reg. 8. Ieſum Nazarenum, huius mundi pompam damnantem, abiecerunt, dicentes: Nolumus hunc, ſed Barabbam ſaluum volumus. Liberi ſpiritus fuit Gedeon, qui dixit: Non ego dominabor vobis, nec item filius meus, ſed Dominus Deus dominabitur vobis. Et regalis vox, dicens: Vermis ſum, & non homo. Quæ ergò, malũ, ambitio, qua inter vermes vermis dominari cupit? Reges gentium, ait, regnandi cupidine vexantur. Benefici vocari gaudent: vos autem non ſic. Accedit quòd principio eccleſiæ non ſinè capitis periculo

Villam mercari, quid.

Christum licuit profiteri. Huic quamprimùm quis nomen daret, proscriptus & anathema, capitis & rerum discrimen subiit. Iterùm Euangelium vult, vt omni poscẽti nostra, demus, nihil possideamus, &c. φιλότιμος nobilista, audiens tale esse euangelij ingenium, ipsum auersatur. Et quis est qui non hac peste laboret? Nam iuxta Comicum & ille ferocit, cui imperium vel in beluas cõtigit. Non mentitur Philosophus, 6. Topicorum dicens: Omnes honorẽ appetunt. Et non delirat Horat. dicẽs:

Sed fulgente trahit constricto gloria curru
Non minùs ignotos generosis.

Mũdi amatores potentes, lõgè sunt à regno Dei.

Hinc est quòd perpauci ex animo amplectuntur euangelion Christi, qui propter nos non modo homo, sed & seruus factus est. Reciperetur ab omnibus, si superbiæ frena laxaret, si possessiones & emptiones prædiorum permitteret, præsertim optimorũ maximorum fundorũ, quales Marcus Varro describit, dicens: Prædium præstare & ritè vocari, cui sit vinea, hortus, aquæ irriguę, salictum, pascua, oliueta, prata, nemora, piscatoria & venatoria loca, piscina siue viuaria, denique cui & sit sylua, & ea quidem roborea. Optimum maximum Euangelion probaremus, si nobis huiusmodi latifundia, census, vectigalia, fasces superbos & imperia possidere & emere permitteret: quod cùm non faciat, ab omnibus cõtemnitur. Euangelium nos huiusmodi non probare, vides apud sanctum Ambrosium 1. offic. 28. Dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, prę stare diuitiis, iustitiæ formam exuimus beneficentiam communem amittimus. Et paulò suprà: Natura ius cõmune genera uit, vsurpatio ius facit proprium. Apostoli ab hoc vitio longè abeunt, scientes diabolum propterea corruisse, quod elegerit potiùs præesse quàm subesse. Interim dum domicellus (vt ità cum vulgo loquar) ambitiosulus vadit cõsiderare prædium emptum atque emendum, amittit Dei regnum. Rogo te, inquit, effice vt dominus tuus habeat me excusatum. Humilitatem superbus verbis prætendit: sed superbia actionis, Dei voluntati reluctans, ostendit, excusatoria ea verba nihil esse nisi impietatis schema. Sequitur.

Et alter dixit: Iuga boũ emi quinq;, & eò pbare illa: Rogo te

habe me excusatũ. Proh qualis est illa emptio, q̃ tãta cura emit caduca, æterna, nos ab omni molestia liberãtia, negligẽs? Qui vult ditescere, eccè in laqueos diaboli incidit, 1. Tim. 6. Sed quid prodest homini, si etiã vniuersum mundũ lucrifecerit, animę verò suę iacturã patiatur? Mat. 16. Mar. 8. Luc. 9. Cui emit? Cui parta relinquit? Nónne in suum malum dives nepos, quinque suis germanis bona sua reliquit? Emptores bonum aiunt: Agricultura horrea replet & apothecas: pecuaria res carnario & culinæ seruit. vtrunque pecuniam auget. Voluptuosum est, prouentum videre armentorum & gregum. Iucundum est, ex istoc prouentu cernere oppleta esse & adimpleri omnia. Qui negligit saginarium, vacuum habebit penarium, & non satis adipale sorbitabit iusculum. Seruulus apostolicus ait: Nolite emere, nolite possidere, sed vendite & date pauperibus, Mat. 10. 19. Mar. 10. Lu. 18. Act. 2. Tu, inquit, terrena cogitas: ego vero pauperem rebus ad cælestia te voco, vt meritorum fias dives. Quinque iuga boum, sunt tauri decem. Et quid hoc? fac, perfectum numerum infinita significare iumenta: sed quid etiam infiniti iuuenci, nisi mugitus & fimus? Poterunt aliquid esse, si eos cum propheta velis mactare, 3. Reg. 19. Quod si aliter iuga boum ęstimas, quo plura possides, hoc te fortius, conculcabunt, in lecto te quiescere non permittent, & secum in stercore suo te perire facient. In infernum, inquam, te protrudent, iuxta hoc Christi: Facilius est camelum acus foramen penetrare, quam peculiosum in regna cælorum intrare, Mat. 19. Marc. 10. Luc. 18. Licet opimo Iudæo emere & possidere, mulgere vaccas, saginare vitulas, probare & exercere tauros: verũ interim dum hæc agit, regnum cælorum amittit. Et nequidquam se deindè excusauerit.

Boues mactati proderunt.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Stulte, non potes, quia non vis. Non potes, quia tuapte concupiscentia es impeditus. Vxorius es, zelotypus es, Dalidula blandula, cæcus Cupido te excæcauit, adeo vt nectar regni cælorum suauiis mulierculæ infirmæ & immundæ post habeas, viliusque ducas. Vxorio huic grati lenones, accepti Gnatones. In susurret illi quispiã salutationes suas, perferat illi munuscula à sua sibi missa, laudet

Non possunt, quia non volũt, venire libidinosi.

quiſpiam,& publicam curam puellarum eum eniteſcere dicat,& ſtatim arrectas ſibi videbit ſtulti aures. Cantillet quis amatoria carmina,& eaſdem ſibi patentes animaduertet. Amor muſicam diſcit. Carmine conciliatur amor. Cantandum itaque amatori hoc eroticum:

Quam raptam matriſq; ſinu,colloq; parentis,
Coniugis ad chari limina ducit Hymen:
Mitis Hymen, Hymeneus Hymen,cui mollia curæ
Coniugia,& paribi vincula nexa iugo.

Faceſſant hinc apoſtoli, dicentes eſſe ex eunuchorum piorum genere,qui ſe propter regna caſtrauerunt cælorum,Matth.19. Supprimendum hic quod Apoſtolus dicit,1. Co. 7. Velim omnes eſſe ſicut ipſe ſum. Arbitror hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatem. Qui habent vxores,ſint ſicut non habeant. Qui elocat nuptum, benè facit:attamen qui non elocat nuptum,melius facit. Beatior item eſt vidua, ſi ſic maneat iuxta meam ſententiam. Opinor autem quod & ipſe ſpiritum Dei habeam. Et hoc Apoc. 14. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, &c. Stramentitia hæc. Cedro digna loquitur, qui bigamiam licitam prædicat. Sanctus Lucas ardorem amoris huius, vehementem facit,dicens: Vxorem duxi.Sic & infra dicitur eadem phraſi, vxorem ducebant; ἐγάμουν ἐγαμίζοντο. Infrequens apud hagiographos eſt præſens conduplicatio vxorem duxi. ſufficit ſiquidem ſimplex verbum γέμεσθαι ſiue γαμεῖν, id eſt, ducere. Legitur (fateor) apud biblicos ſcriptores, vxorem accipere: quia hoc verbum propriè non ſignificat, ducere vxorem, quemadmodum hoc verbum γαμέω. Sic & ſimpliciter γαμίσμαι, id eſt, nubo, ſufficit ad illuſtrem ſenſum. Affectum vxorij Euangeliſta exprimit, dicens: γυναῖκα ἔγημα, hoc eſt, vxori nupſi. Sic aufert cor hominis ſpecies mulieris, & ſic apoſtatare mulieres faciunt ſapientes. Apoſtoli veri, Chriſti amore leue pectus coniugum reſpuere poſſunt, Meſsiam ſequentes, vt ex eius ſacro pectore ſacra fluenta potare mereantur. poſſunt autem hoc credentes verbo Domini Lucæ decimooctauo. Qui vxorem ſuam propter me reliquerit, longè potiora etiam in hoc mundo accipiet. Amator Iudæus, de nuptiis cogitat, ſibi dicens: Bono ſis animo, tibi ducitur

Vxorem ducere, vehemens eſt dicẽdi modus.

vxor. Sed cum ita ſtudet rei vxoriæ, amittit regnum gratiæ & gloriæ.

Et reuerſus ſeruus, nunciauit hæc Domino ſuo. Renunciatio hæc, eſt euangelica & prophetica querimonia: Quis credidit auditui noſtro? Domine, prophetas tuos occiderũt, altaria tua ſubruerunt, & ego relictus ſui ſolus, & inſidiantur vitæ meæ. Item: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: plorauimus, & non luxiſtis, Eſa. 52. 3. Reg. 19. Mat. 11. Ro. 10. Spiritus loquitur, ſpiritus conqueritur, ſpiritus in ore omnium orthodoxorum damnat mundum. Pereunt iumenta in ſtercore ſuo, nolunt ſub potenti manu Dei humiliari, ſapiunt in negociis terrenis filij huius ſeculi, carnis curam in concupiſcentiis agere pergunt. Stultum eſt illis ſpem precio emere. Spiritus ſanctus electos per mirabile iter ducit & regenerat in ſpem viuam, qua præditi, huius mũdi omnia tanquam ſtercora cõtemnunt. Quod dicunt. Excuſatum me habe, meque excuſa, friuolum eſt verbum. Contra huiuſmodi verbum vide Pſa. 140. Ioan. 15. Rom. 1. Sequitur: *Renunciata ſunt Domino omnia.*

Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc. Palam item fit per Euangelium ira Dei aduerſus omnem iniquitatem & iniuſtitiam hominum, Rom. 1. Hic non commemorat Euangeliſta homicidas & Iudæos eos, qui Chriſti euangelion capitali proſequebantur odio Matth. 21. & 22. Nihilominus tamen ſuccenſet indignabundus paterfamilias emanentibus: nedum excuſationem eorum non recepit. Iram eam paulo poſt tam hi qui ſe hic excuſant, quam illi qui Matth. 21. 22. euangelion perſequuntur, ſunt experti. Venerunt Romani, villasque emptas deuaſtarunt, locumque & gentem (quod Caiphas præuidit) abſtulerunt. Boues vna cum vaccis & vitulis mactauerunt, vxores iuxta atque intactas inceſtauerunt: liberosque, quibus vxorij gignendis adeo indulſerunt, abegerunt, & tanquam viliſsima omnium mancipia, in perpetuam ſeruitutem vendiderunt. Quod ſi tantum meruerunt Iudæi, qui licitum fecerunt: quantum illos manet iudicium, qui illicitum ſectantur? Emere villas, licitum erat: iuga boum mercari, iniquum non eſt: & qui ducit vxorem, non peccat. Vndè *Ira patris familias.* *Iræ patris familias argumentum.*

duo primi, excusationem liciti prætexuerunt. Ille vero qui connubij fœdera iniit, nihil excusatione se opus habere est ratus. Iniquum est, hominem robustum venatorem coram Domino agere, imperio in alios sibi placere, alios ad ædificandam turrim Babel & ad quiduis huiusmodi cogere, alios exactionibus exugere, & fasciculis iniquitatis deprimere. Illicitum est, aliena rapere, fœnerari, furto & iniquitate quacunque rem augere. Peccatum, extra sacrum connubium rem cum quacunque muliere habere, scortari, mœchari, &c. Hæc & alia hoc genus flagitia, heu mihi, quantam pœnam merentur? Sequitur: Exi, pauperes, debiles, claudos & cęcos concitum atque addictum. Fastidiosos potentes & diuites, inanes relinquam, atque de sedibus deturbauero, delicatulos vino compunctionis potabo. Regnum meum proprium pauperibus dicabo. Matt. 5. Luc. 6. Opimis illis iam benè est, habent quo se oblectent, pauperes eligo, Iaco. 1. 1. Corin. 1. At quid est quod dixit, Exi in plateas & vicos? Significat hic locus etiam secundo vocatos Iudæos, primo omnes simul, secundo propriè pauperes & miseros, ignobiles & idiotas, 1. Corinth. 1. Nec seruus vltra præscriptum vadit, Matth. 10. Habet populus legis magnam prærogatiuam, Rom. 3. Eius non contemnenda pars est, quod tam sedulo & tam honorificè vocantur. Primo, per Abrahamum, Mosen & prophetas. Secundo, per Christum ipsum & Christi discipulos. Tertio, post resurrectionem & ascensionem Christi item vocatur Israel solus per Christi discipulos, qui neque tunc Iudææ fines exierunt. Hoc significant vici & platęę ciuitatis. Nobiles, claro genere nati, diuites & delicati Iudæi, dicunt: Num quis ex optimatum albo credit in eum? Plebs, quæ non nouit legem Dei, maledicta, illi saltem adhærescit, Ioan. 7. Hieremias quoquè fatetur, magnates vias Dei nôsse, iugum vero Domini ferre, & viam Dei tendere nolle notã, cap. 5. Pauperes ergo & ineruditi euangelizãdi, Esa. 61. Mat. 11. 1. Cor. 1. Admirata est sola plebs Christi miracula, Marc. 11. Solam plebem Christi affecit doctrina, Marc. 12. Atqui etiam ex plebe plurimi extiterunt insynceri. Vulgus enim prophanum, partim regem sui similem, hoc est, prophanum desiderabat, im-

In plateas & vicos ire, quid.

Plebẽ potissimum euãgelium Christi oblectabat.

perij pertæsum Romani. Vndè & Iudæ Galilæo & Theodæ facilè adhæsit. Vndè etiam Christum in regem constituere in animum induxit, cumque videret Christum mundanã eam gloriam aspernari, aspernabatur & ipsum: partim item populus Christum iequebatur, quasi ollari, amicitia quippe quod semel atque iterũ ab ipso in deserto miraculosè esset pasta, Ioan. 6. Tamen vulgus ipse sacerdotibus & principibus, etiam sic vtut insyncerum, fide filij Dei prænituit. Adeo ecclesiæ exordium ex infimatibus & pauperibus quibuscunque est conflatum. 1. Cor. 3. Quem nemo principum huius seculi cognouit. Luc. 1. Deposuit potentes de sede, diuites dimisit inanes. Contra pauperes repleuit bonis, Psalm. 33. Luc. 1. Petrus itaque in die Pentecostes exiens, è plebeiis (hoc est, è vicis & plateis) circiter tria millia ad cœnam Agni adduxit, Act. 2. Miseri, quia debitores se agnouerunt, confitentes sua peccata Matth. 3. Luc. 3. &c. Hi miseri ecclesiæ exordium sunt, de quibus dicitur ibidem: Erant perseuerantes in doctrina apostolorum, & communione & fractione panis, & prædicationibus. Primitiæ autem huiusmodi vocantur cęci & claudi, quia instar cęcorum & mutilorum in hoc mundo extitere contempti. Nemroth robustus venator, Esau pedibus celer & brachiis valens, vterque oculatus & callidus, vterque ducendis & superducendis vxoribus pronus. Sylua siquidem, vt ait poeta, sine Venere rustica est. Neuter vero horum aptus est regno cælorum, quod cæcos & claudos saltem, hoc est, miseros, pauperes, imbelles, impotentes, castratos, ignorantiam suam agnoscentes, seque cæcos confitentes, recipit. Iudæos sciolos Dominus coarguit, Ioann. 9. dicens: Si cæci essetis, peccatum non haberetis: nunc vero dicitis, videmus, idcircò peccatum vestrum manet. Et sanctus Petrus veniam promittit iis, qui ex ignorantia peccauerunt. Et diuus Paulus dicit se indulgentiam consecutum, quod per ignorantiam ecclesiam Christi sit persecutus. Et seruator in cruce pro synagoga orans, ignorantiam eorundem excusat. Allegoricos hoc de cæcitate dictum est: sic etiam per potentiam & diuitias intelligere possumus iustitiam operum pharisaicam, iustitiam legis hypocriticam. Contra quam Apostolus dicit, se

Cæci & claudi qui ad cœnam magnam sint adducti.

Potentia & diuitiæ pharisaismum significant.

omnem iuſtitiam legis, tanquàm damnum contemnere, vt Chriſti potentiæ & opum poſsit participare. Breuiter: Saluator pauperes, cęcos & claudos conuiuas cupit, qui nec villas emere poſſunt, ſeſe aliis præferendo: Cæcos, qui in rebus tęporalibus non ſunt adeò acuti: Claudos & debiles, qui ſeſe propter regna cælorum circuncidere caſtrareque non ſuperſedent, monachos phileremos. Aliàs dominari, victui inſtare, vxoremque ducere, peccatum non eſt. ſed ſplendor regalis, diuitiæ, & res vxoria, à regni cælorum fruitione remorandi maximam energiam habent. Vt ex minori maius colligas: nempe raptores, vſurarios, exactores, violentos quoſcunque & homicidas, ſcortatores, adulteros, lenones, & hoc genus flagitioſos, regni Dei eſſe extorres omnes. Sequitur:

Et ait ſeruus: Domine, factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vocati & inducti Iudæi, pauperes & miſeri. Sed hactenùs Dei benignitas anguſta fuerit, nec illa clementia faciet ad prædicationem ampliſsimæ bonitatis Dei, quæ omnia eius excellit opera. Adde quòd nec Iudæorum Deus ſolùm eſt, Rom. 3. Miſertus ergò eſt & ethnicorum, miſericors & miſerator Dominus. Adduci voluit & alias oues, quas extra Syriæ angiportum habuit, Ioan. 10. Cœna auguſta & magnifica, domus ampla & regalis. Manſiones in ea multæ. Numerus Iudæorum ſignatus, nimirùm ex quaque tribu duodecim millia. ſed quotus hic numerus ad † tantam patrisfamiliàs infinitam amplitudinem? Adde quòd vniuerſa multitudo Iſrael ad conuiuium non peruenit Domini hoc ſplendidum. Homo ergò paterfamiliàs benigniſsimus ille, ἄρχικον ῥῆμα, hoc eſt, regale verbum protulit, dicens ſeruo ſuo: Exi. Seruus (quod dixi, & contra ſchiſmaticos noſtros replico) vnus, vnitatis eccleſiæ catholicæ ſymbolon habet. huic, & non ſchiſmaton authoribus variis, ait: Exi. Exi, inquit, in vias & ſepes. Et illi profecti, prædicauerunt vbique. Exi, ait, in orbem vniuerſum. Vndè Pſalm. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. De hac re audiatur Apoſtolus Acto. 13. vobis, ait, oportebat primùm loqui ſermonem Dei: ſed quoniam repellitis il-

Seruus vnus mittitur.

Gentium vocatio certa.

lum,& indignos vos iudicatis æterna vita, eccè conuertimur ad gentes.Et in ſynagogam dixit Abac.1. Videte contemptores & admiramini, & euaneſcite: quia opus operor ego in diebus veſtris,quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.De vocatione gentium quoniam aliàs ſubindè agimus, eam iam his ſaltem indicatam volumus.

Sepes,gentium abiectionem inſinuant. Palantes, diſperſas,& planè à Deo derelictas, abiectaſque, ſepium adumbrat dictio. Cæterùm etiam maxima maceries firmata extitit, non ſolùm inter ſynagogam & ethnicos, verùm etiam inter Deum & ethnicos.Alieni planè eramus,non populus,ſed canes famelici, ne micis quidem menſæ Dominicæ digni. Sepes,chaos inquam extiterũt ingens,nos à populo & filiis Dei ſecernens. Viæ,variæ idololatricæ opiniones, variæ philoſophiæ perſuaſiones,variæ peccandi licentiæ & conſuetudines. Summa, Agreſtes,ſylueſtres,rudes, indociles Dei, paluſtres, in vitiorum luto & ſentina immerſi,caliginoſi &execrabiles fuimus, vt videas miſerationem Dei erga nos magnam, & vt verbi Dei virtutem ritè poſsis æſtimare. Nempe eam de qua ſequitur,compelle intrare.Compulſione iſtac ſignificatur virtus verbi Dei & functionis apoſtolicæ,de qua dicitur Act. 4. Virtute magna reddebant apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti. Et Marc.16.Illi profecti,prædicauerunt vbique,Domino cooperante.Et ipſe paterfamiliàs ait: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.Sic Hieremias ędificandi & demoliendi poteſtate polluit in gentes & regna. Sic Eſaias dictus ſagitta Domini electa. Tanta fuit maieſtas doctrinæ apoſtolicæ,tanta virtus miraculorum,tanta religio,tanta ſanctimonia,tantaque exiſtimatio meritorum, vt facilè potentiam & rationem humanam Chriſto Ieſu captiuã ducerent omnem.

Gentes cõtemptæ fuerunt olim.

Compelli mur intrare virtute euangelij magna.

Compelle hoc, plerique zelo quodam, ſed non ſatis probabili, accipientes, quoſlibet ad fidem catholicam compellendos affirmant. Sed & canonicam ſcripturam &patrũ authoritates,ſibi planè habent † aduerſa.Schiſmatici euangelici noſtrates, qui priùs præcipuum ſua-

rum assertionum articulum habuerunt, Hæreticum hominem occídere, est voluntati spiritussancti pugnare: nunc mutata sententia, incipiunt seueriſsimè animaduertere in eos, qui diuersa ab illis sentiunt. Hactenùs catholicos capitali odio sunt persecuti: parochos catholicos omnes sibi refragantes, monachos & sanctimoniales è monasteriis detruserunt. Nunc etiam inter seſe concitatiſsimè velitantur. Doctrina eorum ea est, quam ipsi subindè variát: & vita eorũ ea est, quã nemo vel mediocriter religioſus, nõ possit suo iure accusare. Vndè fit, vt multi & boni & eruditi ab, illis subindè desciſcant, & vt ipsi inter se perpetua & internecina bella gerant. Nemo credit, quàm hîc minarum spirent, quàm fulminent. Ad eam intemperiem suam, compelle hoc intrare, torquent. Interim tamen pernegant, licere Cæsari in ipsos violentiarum, sacrilegiorum, scandalónque multorum censura vti. Sic & Donatistæ, teste Augustino, latrociniis & omnigenis violentiis ecclesiam conturbantes, noluerunt catholicum magistratum tantæ eorum insolentiæ obsistere. Et si qui insignes latrones ex eorum secta, magistratus animaduersione in supplicia fuissent protracti, martyres eos voluerunt coli. Sed viderint schismatici, quibus scripturæ locis obtinere possint, vt ipsi quacunque iniuria alios impunè afficiant, quáque violentia quoslibet ad suas opiniones approbandas cogant. Sanctus Augustinus, fateor, in libro cui nomen indidit, Correctio Donatistarum, scriptura canonica ostendit, ecclesiam ritè contra hæreticorum intemperiem leges imperiales posse inuocare, præcipuè verò, cap. 6. & 13. causam quoque exprimit cap. 8. & 14. Illic ait: Ecclesia persequitur diligendo, hæretici sæuiendo: Ista vt corrigat, illi vt præcipitent in errorem. Hic ait, multis profuit, prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri. Item, Agnoscant in Saulo prius cogentem Christũ, & postea docentem. Hinc citat hoc euangelistæ, compelle intrare. De pœna hæreticorum, vide eundem Epistola 153. 159. & 160. &c. Multos carceribus & exilio inuenimus plexos, non occisos. Ecclesia intemperie tumultuantium hæreticorum ad hoc defensionis genus coꝛitur. Est regnum Dei in terra, cui vim repellere

vi licet. Cæterùm quantum ad Iudæos & Ethnicos attinet, quietis catholicis omnino perſuaſum eſt, fidé perſuaderi debere, non cogi. Cæterùm etiam compelle intrare, eſt in bono malum vincere, patientia & beneficentia cogere. Sequitur enim, parata ſunt omnia. Pulchrum verbum compulſionis, pronunciatio Dei miſerationis. Sicut ſua bonitate omnibus expoſita Deus cogit, coegerunt etiam Apoſtoli longanimitate & manſuetudine, nõ minis aut violentia. Ex hoc loco nata hyperbole, qua vtimur in inhoſpitales, qui nos non ſatis liberè & officioſè inuitauerunt: Tunicam meam vel amiculum meũ tu mihi dilaceraſti: vel per antiphraſin ironicam, Veſtes meas mihi non dilaceraſti: hoc eſt, in domum tuam non induxiſti, non inuitaſti, non humaniter excepiſti atque tractaſti, &c. De inuitatione liberali & officioſa, atque adeò violenta compulſione, vide Gene. 19. Iudic. 13. Luc. 24. Simili violentia rationis, patientiæ, beneficentiæ, modeſtiæ & illibatæ religionis vi atque maieſtate, ethnicos præter omnem eorũ ſpem, citra meritum eorum omne, ad cœnam hanc magnam pertraxerunt. Domus hîc eccleſiam catholicam ſignificat, de qua habes Gene. 28. 2. Regũ. 7. 3. Reg. 8. Pſalm. 25. 85. Eſa. 5. 56. Agg. 1. 2. Domus hæc necdum eſt repleta, plures adhuc capiet electos, & credibile eſt etiam complures, ſi non omnes, adhuc in domum eam peruenturos. Iudicia Dei abyſſus multa. Orandum hic, vt Dominus ori noſtro cuſtodiam ponere dignetur, nec nos in mirabilibus ſupra nos ambulare ſinat.

Compelle intrare, exponitur, per parata ſunt omnia.

Domus eccleſia ampla, omniũ capax

Obſeruamus hic trifariam inuitationis rationem: Prima ſiquidem vocatio exiſtit, ſecunda rectius adductio dicetur, tertia compulſio habenda. Et etiamnum, teſte Beda, variè nos Dei vocat miſeratio. Neque enim per prædicationem modo euangelij, ſed & ſæpenumero per huius mundi proſpera inducit. Itidem etiam per aduerſa compellit. Dicit ergo Gregorius: Felix neceſsitas, quæ nos ad potiora cogit. Iterum atque iterum videndum eſt nobis, vt vocationẽ eam intelligamus, ne venire cũctemur, ne cõtenamus, ne & nobis eueniat, vt dũ nos excuſamus qui excludamur, digni inueniamur. Cæterùm & qui iam per ſacramentũ baptiſmi, per profeſsionem articulorum

Trifarius vocandi modus.

fidei in ecclesiam Christi ingressi sumus, qui iam verbo & sacramentis refouemur? videamus num & electi simus, videamus an etiam eorum ingenia, quos paterfamiliàs indignos vocat, referamus. Indigni sunt, electi non sunt, qui saltem sunt numerus, hoc est, qui benè facere supersedent, indignissimi & bis mortui, qui peccando Dominum gloriæ subindè ad iram prouocant, superbi reguli, auari agricolæ, & vxorij molles, idemtidèm ducturientes. Electi sunt & reges, sed non nisi pauperes spiritu, cum Dauid dicentes: Vermis sum, & non homo. Electi & negociatores, caupones & cerdones, sed qui in negociis fratrem non circunueniunt, quique sic emunt, tanquàm non possideant. Eliguntur etiam ex coniugatorum ordine, sed ij, quos castus amor constringens, sic sibi corpore cohabitare facit, vt mens Deo vacet atque fruatur. De hac re in sequentibus.

Electi qui.

Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorũ, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Horrenda vox, terribile verbum, charissimi. Videmus hic frustratos sua spe eos, qui dixerunt, Excusatos nos habeas. Dominus implacabilis iræ, hic respondet: Excusationem non recipio. Nemo, ait, eorum quibus id honoris habitum est, vt primi vocarentur, cœnæ meæ aliquid gustauerit. Breuis sententia. Sedem emansoribus ante fores, quod aiũt, immò veriùs in inferno ponit. Ianuam suam illis iam claudit, clamaturis aliquandò etiam aures miserationis clausurus, Matt. 25. Sed nunquid hæc sententia Iudæos saltem constringit? Minimè: nam quanquàm iudicium suum semper à domo sua incipiat, & sanctificetur in iis qui sibi appropinquant, tamen & in alios iram suæ iustitiæ extendit. Aequè itaque, immò districtiùs Nemroithas ambitiosulos, Mammonistas sordidulos, Priapistasque libidinosos condemnat in ecclesia, atque in synagoga. Dicis: Hi noluerunt venire. Vide an tu ritè veneris. Non venit, in quẽ dictum est: Cor eius longè est à me. Audi iudicem Luc. 12. Plùs vapulabit, qui voluntatem Domini sui scit, & non facit. Iterùm Mat. 22 cui vestis nuptialis non est, in exteriores tenebras, colligatis manibus pedibusque detruditur. Dicis te Christi discipulum, & eius præcepta non seruas. Mẽdacij te Ioannes arguit 1. cap. 2. Et Apo-

Trascitur Deus non Iudæis solum manentibus.

stolus

ſtolus oſtendit, complures Chriſtum ore profiteri, factis negare, Tit. 1. Vndè non dicendo ſaltem, Domine Domine, mereris regni cælorum conſortium, Luc. 6. Ioann. 5. 13. Quale iudicium maneat inofficioſos & ocioſos Chriſtianos, vide Matt. 25. Socie ſocie, deipnologia catholica, hoc eſt, vocatio & modus cœnandi, quam eccleſia orthodoxa tradit, longè alia eſt ab ea, quam hodiè Iouinianiſtæ prædicatores, ſuperintendentes & euangeliſtę noui inſtituunt. Et contextus lectionis præſentis, multùm abhorret à nouo horum euangelio. Tres hic viri recenſentur, quorum quiſque propter ſingulam condemnatur negligentiam. Tu ſingulas eas negligentias, immò plures in te diſſimulas. Et quod plus eſt, non negligentias modò, ſed & præuaricationes craſſiſsimas iuſtificas. Dominandi libido te vexat adeò, vt non reddas ea, quæ parentes tui quo iure quaque iniuria occupata, tibi dereliquerunt: ſed & ipſe non ceſſas nulla non violentia, nullis non inſidiis alios ſubindè è ſuis extrudere bonis: nec illa tua ambitio à ſacrilegiis vllis ſibi temperat, eccleſiæ prædia, iuxta atque prophanorum dominiorum villas, tuis corradendo. Tua abſoluta iuſtitia eſt, bella, & ea inſidioſa, ſubindè meditari, & pſalmum De profundis, in cœnis tuis, quas Dominicas vocas, elatrare & cornicari. Sed Pellęo iuueni, cui mundus non ſufficit vnus, nihil eſt commune in aula ea, cuius præcipui architecti & rectores, ſunt mendici, cæci, claudi & debiles. Alexandrini noſtrates, cælum terrę miſcentes, diuinum ſibi nomen quaſi ex raptu putant obtigiſſe. Solùm apud eos Euangelion eſt, Diis non detrahes. Et hoc, Fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt. Mirum, quàm hæc loca & hoc genus alia, noui apoſtolaſtri noſtrates ſuis diis obliniant. Adulatione ſuorum apoſtolorum vermes miſeri deificati, minimum digitum ſuum craſſiorem faciunt dorſo omnium retrò tyrannorum: & quos maiores eorum flagellis ceciderunt, eos ipſi ſcorpionibus proſcindunt. Et inter ipſos tyrannos nullas leges, nullam æquitatem curari videmus. Nullam iuriſdictionem, nullum ferunt iudicem. Quiſq; ſuus iudex eſt: & qui potentior eſt & violentior, ille & iuſtior eſt. Vis hodie fas eſt, violentia iuſtitia. Quanto leuiùs condem-

Euangelici noſtrates, ſignes principũ adulatores

natur Iudæus villam emens, quàm pseudochristianus, qui per fraudes & insidias, per bella & cędes, subindè ad maiores honores adspirans, omnia humana conturbat? Alius tantum agrorum, quantum non miluus oberret, possidet: non cessat tamen alios & alios identidem coëmere. Audiat terræ vorator ille prophetam Esaiam cap. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Et quid prosunt stulto diuitiæ, cùm sapientiã auro redimere non possit? Et Dominus dicit Luc. 12. Videte & cauetē ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. Hoc est, secundùm Theophylactum: Neque qui multa possidet, diu..às viuit, neque comitatur diuitiarum multitudinem vitæ longæuitas. Sed ipsi dites Plutonis instinctu contrarium sibi occinunt, dicentes

- Hac mente laborem.

Sese ferre senes, vt in ocia tuta recedant.

Quasi deliret ille qui dicit: Stulte, hac nocte repetent animam tuam abs te. Et cui congregasti hæc? Quid dicam de fraudibus, de dolis, deque tot technis, quibus frater hodie fratrem in omni negocio circunscribit? Nusquàm inter Christianos hodie tuta fides. præstaret cum turcis hodie simpliciter commercia inire, quàm cum fraterculis nostratibus, etiam euangelicis. Dicunt inuigilandum esse victui, instandum operi. Sed sacculariis holophantis tenebrionibusque Dominus interdicit, ne supplantent, ne manticulentur, & incautos in nassam illiciant atque defraudent. Deindè victus quem tu tibi quæris vni, decem, viginti, & eo pluribus sufficeret ciuibus. Et quis hodiè manuum labore victum quærit? Quis hodie nobilista, quis satraps, quis comes artem danisticam non exercet? Ex Dardanidis militibus degenerant in Dardanarios. Et omnes ferè dynastę abeunt in danistas. Tam satrapes quàm ciues auaritiæ studentes, se negocia ri dicunt ad educandum vxores & liberos. Cui, rogo, vxores & liberos nutriunt? Christo, an diabolo? Christus in stabulo natus est, à fabro lignario educatus, nihil in hac terra possidere voluit. Ecclesiæ suæ item cunabula, mendicos & claudos elegit. Nihil Christi habent, nihil ecclesiæ, quibus ad luxum voluptatem nihil est satis.

Diabolo itaque ſpiritui ſuperbiæ & eius ſeculi pompæ liberos ſuos educant, vxoreſque ſuas Veneri & Cupidini fouent, diaboli mancipia quicunque auari, ſiue ciues ſint, ſiue reges. Qua in re maximè culpabiles ſunt illuminati noſtrates fratres euangelici, qui ſe aliorum cenſores obtrudunt, & ipſi præcipuè hoc in luto hærent. Et eò peruerſitatis hodiè res peruenerunt, vt ſpeciem virtutis induant vitia etiam craſsiſsima. Hoc nouum & plauſibile prædicatur euangelion. Quis gregalium prædicatorum auſit dignè pro re in optimatum ſuorum vitia inuehi? Catholicas virtutes inter eos quis prædicat? Abſolutum euangeliſtam apud eos agit, qui fidem ſolam ſubindè crepat. Qui merita operum bonorum prædicat, qui culpas vitiorum & eorundem ſupplicia ſubindicat, papiſticus eſt. De ſtatu viduali & virginali 1. Corin. 7. nemo apud eos diſſerit. Chriſtus ipſe ab euangeliſtis illis prædicatur, qui monachos & ſanctimoniales à caſtitatis propoſito abſterrent? Vbi noui apoſtoli regnant, nec ibi quiſquam contra eos, qui repudia, duplicata matrimonia, & hoc genus lenocinia, iuſtificant, mutire quidem audet: niſi tanquàm Schvvermerius & catabaptiſta, velit aſynagogus fieri. Eia (Thuringicum VVanne) quàm toruè illum inſpiciunt, qui voti monaſtices mentionem facit? Anathema maranatha eſt, qui dicit, eum qui per votum ſe voluntariæ caſtrationi obſtrinxit, habere condemnationem, vbi ab inſtituto animum deſponderit. Pontifices ſiquidem eius ſectæ exititij monachi ſunt ferè omnes. Adeò noui apoſtoli & apoſtolæ iſtiuſmodi, ducturiunt & nupturiũt, vt etiam vidui & viduæ lugere & elugere, ante ſecundas nuptias, nequeant. Satis apud eos eluxit, qui ſtatim aliam duxit. Fabula eſt, commentum eſt papiſticum, quod contra nuptiarum pompas ſcriptum eſt Lucæ vigeſimoprimo, Roman. 12. 1. Timoth. ſecundo, 1. Petri tertio. Quis non videat hæc noſtra tempora ea eſſe, quæ à Chriſto ſunt prædicta Matt. 24. Marci, 13. Lucæ 17. 2. Theſſallo. 2. 2. Tim. 3. 4. &c? Quid diceret ſanctus Hieronymus, ſi hodiè in hoc mundo adhuc ageret? Heluidium & Iouinianum hæreticos ægrè tulit nuptias virginitati æquare: vt ergò perferret noſtrates, cælibatum non ſolùm nuptiis poſt-

Euangeli ci fratres lenones.

Euangeli ci noſtra- tes noui, hæreticis antiquis peiores.

ferre, ſed & damnare? Sanctum patrem audiamus, contra Heluidium ſic dicentem: Idem tu putas eſſe, diebus & noctibus vacare orationi, vacare ieiuniis: & ad aduentum mariti expolire faciem, greſſum frangere, ſimulare blanditias? Illa (vxor) hoc agit, vt turpior appareat, ac naturæ bonum infuſcet iniuria. Hęc ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis Dei, conatur pulchrior eſſe, quàm nata eſt. Indè infantes garriunt, familia perſtrepit, liberi ab oſculis & ab ore dependent, computantur ſumptus, impendia præparantur. Hinc quorum accincta manus carnes terit, hinc textricũ turba commurmurat, nunciatur interim vir aduenisſe cum ſociis. Illa ad hirundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia, ſi torus rigeat, ſi pauimenta verrerint, ſi ornata ſint pocula, ſi præparatum prandium. Reſponde, quæſo, inter iſta vbi ſit Dei cogitatio. Et hæ felices domus. Cæterũ vbi tympana ſonant, tibia clamat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Paraſitus in contumeliis gloriatur, ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ, impudicis oculis ingeruntur. His infelix vxor aut lætatur, & perit: aut offenditur, & maritus in iurgia concitatur. Hinc diſcordia ſeminarium repudij. Aut ſi aliqua inuenit domus, in qua iſta non fiant, quæ rara auis eſt, tamen ipſa diſpenſatio domus, liberorum educatio, neceſsitates mariti, correctio ſeruulorum quam à Dei cogitatione non auocent? Ad hæc ſancti Hieronymi verba, legat ſacerdos de hac re Baſilium de perfectione vitæ, Item ad Nazianzenum de vita ſolitaria. Matrimonium, inquis, diuinæ eſt ordinationis, honeſtum coram Deo & hominibus. Quis hoc negat, niſi hæretici qui pro munditia ſe vocant ipſos Catharos? Sed & tu audi Apoſtolum, qui nos tum corpore tum mente Deo vult ſeruire, & eſſe ſanctos. Et ſi coniugium integritatem (vt ait Sedulius) non impedit, quid eſt quod Apoſtolus coniugatis dicit, Ne fraudetis vos, niſi ad tempus, vt vacetis ieiunio & precationi? Iterùm ais: Amanda vxor. Rectè & hoc. Sed Deus ſupra omnia, Deut. 6. Matt. 22. Iterùm: Diuortium non eſt faciendum, Matt. 5. 19. 1. Corinthiorum, 7. Tantum abeſt vt hoc negem, cùm etiam lenocinium eſſe dicam bigamiam. Et nouis

Qui in matrimonio ſunt, magisque mũdi ſunt curant.

euangeliſtis hac potiſsimùm cauſa ſuccenſeo, quòd diuortia facilè admittant. Interim tamen dico, propter Chriſtum & propter euangelicum negocium, omnia, etiam vxorem nonnunquàm, derelinqui debere. Viderint monachi & monachæ, qui contra fidem Chriſto datam, connubij fœdera inierunt, num ad religionem poſthabitam ſanctiùs reuertantur, nécne. Hic locum non habet ſororcula Abrahæ, Gen. 12. 20. Liberum coniugium omnibus eſſe fatemur Matt. 19. 1. Cor. 7. 1. Tim. 4. Heb. 13. Nemini tamen eius vitæ laquei tendi debent. Euangelicaſtri noſtrates, prædicandi euangelij partes nulli, niſi vxorio, committunt, Matrimonium in ſuæ ſectæ ſymbolon conuertentes. Adeò nulla hæreſis ſola. Iouinianus, qui de merito bonorum operum malè ſentit, de ſacramentis eccleſiæ benè ſentire non poteſt. Connubium illis qui non continent, prohibere, diaboli eſt: rurſus idem continentibus præcipere, eiuſdem eſt matris. Quatenùs Chriſtiano negociari liceat, iam preteriero. Diues interim ſe ad hoc 1. Tim. 6. inſtituat. Viderint qui eloquia Dei ita ſecant, vt in eos quadret: Populo meus, qui te beatam dicunt, ipſi te decipiunt, Eſa. 3. Veritas Domini manet in æternum. Verum eſt quod ſanctus Nilus Epiſcopus dicit, Quemadmodùm ægrè incedit qui colligatos habet pedes, ità in negocio euangelico liberè verſari non poteſt, qui curis huius ſeculi eſt impeditus. Vide ſanctum Auguſtinum lib. 2. quæſt. euange. cap. 30. Theophylactum in Luc. Epilogus eſto: Ethnici nos ſecus viam inuenti ſumus, variis opinionibus deuiantes, variis affectionibus ſeruientes. Secus ſepes, quia longè à Deo aberamus, bruta iumenta in ſepibus ignorantiæ detenti, carnis illecebris fœdi. Nunc verò ad regnum filij Dei adducti, regios mores, vt tantæ gratiæ digni viuamus, induamus. Ambroſius allegoricos triplex hominum genus hac cœna opipara indignum dicit, Ethnicos, Iudæos, & hæreticos. Hæreſin confert Heuæ, quæ maritum ab obedientia Dei ſeduxit. Mulier ea nos ex filiis Dei filios Belial efficere præſumens, iuxtà atque anguis diabolicus, nobis eſt auerſanda. Lucæ 14. De ſepibus ait Auguſtinus Serm. 33. de verbo Domini: Veniant de ſepibus hæretici. Hic inueniunt

Negociatio periculoſa.

Ethnici, Iudæi, & hæretici cœna Dominica magna in digni allegoricos.

pacem. Nam qui construunt sepes, diuisiones quærunt. Veniant & mendici, illo eos vocante, qui propter nos omnes pauper est factus, 2. Cor. 8. Veniant valetudinarij, quia sanis non est opùs medico, Matt. 9. Veniant claudi, vt cum Dauid orent Psal. 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Veniant cæci, vt cum eodem Vate precentur, dicentes: Illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiscam in mortem, Psal. 12. Faxit Deus, vt sic transeamus per bona temporalia, nè amittamus æterna, Amen.

DOMINI. II. POST TRINITAT.

Lucæ, 14.

Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.

¶ *Sensus literalis mysterium certum importat, regni putà cælorum, hoc est, ecclesiæ, eucharistiæ, & aliorum ecclesiæ charismaton. Interim item moralia idem sensus infert, nempe eorum qui se excusant & emanent, &c.*

¶ Sectio eius sensus est.

1 *Dei munificentia non ad prandium, sed ad cœnam & eam magnam vocans multos, idq; ex gratia.*

2 *Generis humani malitia, sese vltrò à tanta subducens & emanens Dei gratia.*

3 *Dei longanimitas & iustitia, sententiam tandem in ingratos duram ferens.*

¶ EXEGESIS.

1 *Homo quidam fecit cœnam magnam &c. Cœna priùs refectio, dein quies. Magna, ratione magni regis vocantis, transeuntis & ministrantis. Item ratione magnificorum ferculorum, legis, euangelij, sacramentorum, consiliorum, &c. Multi reges & prophetæ ea cupiuerunt videre, & non viderunt. Figura Assuerus ratione multorum vocatorum, Vult omnes saluos fieri, 1. Tim. 1. Typus Assuerus. Magister in Sententiis lib. 3. dist. 20. de Missa hanc cœnam potissimum intelligit. Quod in canticis ecclesiæ de sacramento Eucharistiæ clarè videmus, Magistro adstipulatur.*

2 *Et cœpërũt simul omnes se excusare. Excusant se singuli ambitiosi, auari & libidinosi, seu voluptuosi. Obserua quid dicat libido. Non possum, ait, venire. 1. Cor. 6. Qui adglutinatur scorto, vnum corpus est. Oseæ 4. Fornicatio & ebrietas auferunt cor. Argumentũ à maiori. Si vxorios Venus detinet, & ab ingressu*

regni cælorum remoratur: heu mihi, quantæ culpæ est fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, & alia hoc genus flagitia? vxorem, inquit, duxi. Vxoris vocabulum est honestissimum. Honestū enim coniugium coram Deo & angelis. Contra, scorti aut meretricis vocabulum, etiam apud ethnicos turpe. Vnde Terentianus Chremes ait: Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet dicere hac præsente verbum turpe: at te illud nullo modo facere piguit. Noui Euangelistæ omnium sunt turpissimi, qui etiam coniugium sanctum, bigamiæ procacis flagitio contaminare audent. Attende etiam, quam pestilens sit doctrina, non docere, per humilitatem ambitioni contrariam virtutem, per largitatem & continentiam ad regnum cælorum iter esse. Bona opera & disciplinarum Ecclesiasticarum obseruantiam merito carere sanctificandi atq; seruandi.

3 *Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, &c. Hæretici solam fidem hodiè prædicantes, confutant atque condemnant catholicos, fidem per charitatem operātem docentes. Vulgus pruriens auribus, subscribit hæreticis. sed cum ad Dei iudicium ventum fuerit, audient neminem virorum illorum qui vocati erant, nec fategerunt per bona opera vocationem suam certam reddere, non suapte culpa emansisse, atque adeo neminem eorum ad æternam beatitudinem venturum.*

DOMINICA POST TRINITATEM tertia, 1. Petr. 5.

HVmiliamini sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis, &c.

PRAEFATIO.

ECclesia hoc, quod in superioris Dominicæ diei lectione contra hypocrisin dictum est, hac lectione S. Petri solidat. Quantum ad ipsam epistolam S. Petri, attinet, norit pius homo, nihil se posse facere conducibili°, quā vt epist. eam legat atq; relegat. Lectio (quod aiunt) lecta, placet: sed & repetita, placebit. Epistola hæc quo diligētius perlegetur, hoc prę sentius iuuabit. Quot in ea sunt periodi, tot conciones ex ea possunt elici. Gratia nostri erga nos seruatoris hic docetur, hic regeneratio, hic fides, hic beatitudo. Beatitudo autem solida, atque adeo vera illa, quæ consistit in virtutibus & disciplinis, in sanctimonia, in cordis puritate, in charitate, in patientia, in operibus bonis, &c. Qui beatus esse velit,

Petri apostoli epistolæ maxima commoditas.

hanc sibi beatitudinis epistolam commendatam accipiat. Sectio eius est: Primo ad humilitatem hortatur. Secundo, ad fiduciam in Deum coniiciendam. Tertio, ad resistentiam diaboli. Tribus hisce exhortationibus adnectit deprecationem, & concludit gratiarum actione. Audite, & intelligite: & audita atque intellecta, re ipsa exprimere satagite, Psal. 103.

Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. Proximè & secundum charitatem, præcipuam in ecclesia laudem meretur humilitas. Tapeinophrosyne inclyta isthæc, est omnium condimentum Dei donorum. Hęc vbi deest, perire pręsens est, etiam si omnia alia spiritus sancti adsint charismata. Vndè & apostolus Paulus eam nobis toties inculcat, Ephes. 4. Col. 3. Philip. 2. Insuper & suo ipsius exemplo eam nobis profert, Act. 20. Superbia angeli deturbati in infernum sunt apostatici. Superbia è paradiso genus humanũ pulsum, in hoc exultat mundo. Humilitate nobis in cælum aditus est. Humilitatem nobis è cælo attulit verbum æternum, patris sapientia, & veritas diuina. Superbia, omnia humana & diuina confundit: humilitas, omnia confusa in pristinum decus restituit. Superbia sectas struit, & noua dogmata comminiscitur. Humilitas cunctando restituit rem. In præcedentibus idem apostolus nobis humilitatem non solum commendat, sed & vult vt nobis colligetur, & firmiter alligata adhæreścat, vt aduersus diaboli suggestiones nos conseruet. Dei manus sola est potens: non ergo infima saltem plebs, illi se habet humiliare: heroës præcipuè apostolus hic admonet humilitatis. Viderint ne ferociant, Deuter. 17. Quanto maior es, ait Ecclesiasticus, tanto in omnibus te humilia. Cui plus est creditum, plus ab eo exigetur. Videte nè stultè cogitetis, Deo etiam vestram maiestatem esse aut reuelandam, aut timendam, cum potentes potenter soleat torquere, & maximis deliciis maximos quoquè subdere cruciatus. Agitis sub potenti manu etiam vos sapientes, & doctrina cæteris præstantes. Qui se exaltat, humiliabitur, Luc. 18. Maiori confusione estis digni, si de gratia Dei vobis placendo superbieritis. Legite sacros & prophanos authores, & mala morte Tyrannos semper interiisse

Tapeinophrosyne cõdimentum est omniũ virtutum.

Heroibus præcipuè humilitate est op⁹.

inuenietis. Nullum violentum certum. Quarè si arma humana temnitis, saltem sperate deos. Doctis item opus est humanitate. Scientia inflat. Sapientia quæ ex Deo non est, animalis & diabolica, tractabilis non est, & schismata concitat. Vtinam noui euangelicastri tali sapientia non intumescant. Quòd si tam noui Euangelicastri, quam ecclesiæ prælati magnates, suam gloriam Dei gloriæ non præferrent, iam ecclesiæ pax esset reconciliata: quę nũc miserè laborat, nulla alia causa, nisi quod vtrinque fastus regnat. Pernicioſum schisma deciduæ ecclesiæ nullus componet, nisi pauper vir spiritu, qualis erat Menenius Agrippa, qui seditionem vrbis Romanæ abstulit hac potissimum causa, quod insignis amator esset paupertatis. Tales spiritu pauperes, tales humiles Dominus exaltabit. Ipse nouit Kæron, hoc est, tempus aptum. In tempore isthoc plus honoris illis accedet, quam iam amittunt. Faciat ergo, qui exaltari cupit, sese humiliet, Lucæ decimoquarto, decimo octauo. Contumelia, gloriæ est præuia.

Doctis præcipuè opus est humilitate.

Pauper spiritu, id est, humilis, tãdem ecclesiam reformabit.

Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Hæc est altera pars huius lectionis: quanquam veritas siue (vt vocant) origines Græcæ literæ, distinctionem non habeat. Sed nihil in hac diuisione periculi subest: nullam hæresin ego distinguendo meditor. Sensus est: Fratres, quod si vos ita vt Christianos decet, humiliare volueritis, carnalis sapientia varia vobis obiiciet argumenta, multa causabitur. Dicet vobis: Si te nimium plebi familiarem feceris, contemnéris. Imperij maiestas perierit. Toti mundo risus & ludibrium eris. Huiuscemodi sibila anguis antiquus solet carni suggerere. Contra huiusmodi tentationis iacula, valet scutum Petrinum pręsens, quod sumpsit ex Psal. 54. Nũquam iustus derelictus. Mites terram possidebunt. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Quantum ad honorem pertinet, etiam gloriæ suorum studet Deus, Psalm. 111. Cæterum & nostra gloria est inter bonam famam & contumelias, 2. Cor. 6. Præstemus nos oues, & curæ erimus pastori: præstemus nos filios, & fouebit nos pater cælestis. Charissimi, non est mediocris consolatio, qua certiores reddimur, Deum

Humiliũ curam habet Deus.

omnipotentem noſtri habere rationem. Solum hoc reſtat, vt filij eius eſſe ſtudeamus, oues eius paſcuæ nos exhibeamus. Contra ſolicitudinem victus & amictus quæ Chriſtus dixerit Matth. 6. nemini non eſt notum. Similia item videmus apud apoſtolum Paulum, 1. Cor. 7. Phi. 4. Et regius propheta ait: curam tuam iacta ſuper ipſum, & ipſe te enutriet. Pſal. 54. Nullus vnquam iuſtus eſt derelictus. Pſal. 36. Deus ſperantibus in ſe & amantibus ſe parer eſt & tutor, dux & protector. Monet itaque apoſtolus Dauidis authoritate, vt omnem noſtram fiduciam in ipſum coniiciamus. grauiſsimo onere quarè ab re deprimamur miſeri, cum tam fortem Atlantem habeamus, qui ſuam nobis afferat opem?

Sobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes, eandem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Tertia pars huius lectionis eſt, qua nos ſanctus Petrus monet, vt nobis in periculis huius mundi habeamus. Cohæret ſuperiori in hunc modum. Q. d. Quod ſi dignè Chriſto vitam viuere conſtitueritis, ſaltem de ſpiritualibus ſoliciti, curam humanam in ipſum coniicientes omnẽ a, tunc primũ ſentietis ſatanam vobis infeſtũ, qui alioqui vobis eſt infenſus & contrarius. Videns hoſtis & vectis, vos etiã fide Chriſti dignè viuere velle, omni armatura vobis reſiſtere conabitur. Neruum ſpei bona opera, diſciplinas & obedientiam vobis auferre inſtabit: ſupereſt ergo, vt ſobrij ſitis & vigiletis: ſi enim vos aut ſomno, aut crapula depreſſos deprehenderit, occidiſtis, Memineritis nullum vnquam leonem tantoperè ad prædam exarſiſſe animalium, quantum belua illa infernalis flagret feruore perdendarum animarum. Tentati ſi conſentiant, perierunt. De profundo inferni emergere non poteris, ſinè maxima & ea ſpeciali Dei gratia: ſed facilimus deſcenſus eſt Auerni. Origenes in Leuitic. dicit, Hominem ſe ſtatim vulnerare, membrum aliquod repentè aut frangi, aut luxari: ſed vulnus cito factum, magno poſtea molimine, curaque diutina vix poſſe curari. Sic ſe habet res peccatorum. Recidiuatio omnium eſt periculoſiſsima. Attendat ſibi quiſque, vulnera animæ ſuæ cauerat. Non de re temporis & vitæ huius ſeculi agi-

Vbi in Dei viuere præ ſumentem diabolus potiſſimũ tentat.

tur. Beatitudinis ęternę nobis negocium est cum diabolo: ab ęterna nos salute remorari aduigilat: cui nisi restiterimus, penitus insani fuerimus. Viriliter ergo agamus. Eccè buccina insonat apostolica, bellicum cantatur: nemo desideat socors. Vigilemus vero omnes. Resistamus in fide, sed non Aetiana, sola, mortua & cadaueroſa, sed apostolica, viua & operosa. Armaturam perfectam sumamus, thoracem spiritualem, galeamque fidei, Ephe. 6. Resistamus, & fugiet, Iacob. 4. Cedentibus leo est, resistentibus formica. Vndè etiam myrmecoleo dicitur. Non possumus tristari de hostis tyrannide, cum tot nobis vndiquè sint arma & suppetię. Obserua quid consolationis nobis hoc loco apostolus Petrus subiiciat. Scientes, ait, eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.

Spes est nobis, scire tentari nos oportere.

Spes aliqua est victis, nullam sperare salutem.

Sic est spes, si nos hac cogitatione armauerimus, dicẽtes nobis: Hic non fiet aliter. Nemo coronabitur, nisi legitimè certauerit. Qui piè volunt in Christo viuere, persecutionem patientur, 2. Timoth. 2. Christianorum supplicium, in filio Marię sumpsit initium. Poculum passionis primo obtulit suę dilectissimę matri. Hoc ipsum pro mittit charissimo cuique suo. Hæc necessitas patienti, sit nobis pręcipua consolatio. Obseruandum quod apostolus ait, Leonem quærere, quem deuoret, in singulari: non dicit de pluribus, multo minus de omnibus, quia portæ inferorum non prævalebunt vnquam ecclesię. Sed væ qui ecclesiam deserunt, væ & iterum væ, qui ecclesiam produnt: quia vt in ecclesia parum proficit diaboli ira, ita extra ecclesiam eius furor & vehemens est & efficax adeo, vt nemo resistere queat. De rugitu leonino atque de leonis ira, habes in Psalmo duodecimo. Fuit etiam colaphizans talis hostis ipsi Apostolo, 2. Corinthio. 12. Sed breui Dominus beluam eam tradet sub pedes fidelium.

Ecclesiæ diabolus non prævalet.

Ecclesia apostolica intercessione Deo commendata.

Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Hæc est apostolica illa intercessio siue interprecatio, qua ecclesiæ eam victoriam Domino Deo committit perpetuandam. Orat, vt status ecclesiæ

perficiatur, & omnibus perfectionis numeris absoluatur: quale etiam orat Paulus 2. Tim. 3. Dein orat, vt Dominus deus ecclesiæ suæ firmitatem concedat, & in omnibus victoriam. Tertiò, vt eius laboribus omnibus adesse dignetur. Quartò, vt eam ita fulcire dignetur, vt cõtra omnes tempestates non modo humanę violentiæ, sed & infernalis inuidentiæ consistat, & glorioſe triumphet. Ecce tibi schismatice, ecce tibi hæretice, pigeat vani laboris. Actum agis, qui niteris ecclesiam demoliri primitiuam, & aliam pro tua fundare libidine. Primitiuam ecclesiam apostoli Christi summo nisu ad bona inducere conati sunt opera. Sectæ antichristicæ antichristi apostoli, simili industria bonis detrahunt operibus. Obserua hîc verorum apostolorum ingenium & euangelij veritatem. Monent apostoli Christi sedulò ad opera bona, bonorum operum identidem docendo prę mia. Nec hactenus sunt contenti. Nam & bonorum operum profectum summis desideriis & vocis prę cipuis à domino deo fidelibus postulant. Attende religionis præcipuum esse opera bona. Obserua nos non apprehendisse, vitã fidelium esse cursum, Agonotheta noster, qui nos in stadiũ hoc siue curriculum vocauit, quique ingentia præmia nobis pro omni labore pollicitus est, ipse item in nobis laborat, suum spiritũ, quo omnia exantlare valeamus, suppeditãdo, & denique suum in nobis opus coronãdo.

Ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen. Sine ipso nihil possumus. Quid habemus quod non receperimus? Si recepimus, quid gloriamur quasi nõ sit datum? Omnia per Christũ possumus. Par itaque est, vt in ipso saltem gloriemur, & ipsi omnia referamus accepta. Faxit Deus, hoc verè faciamus. Amen.

EADEM DOMINICA III. POST Trinitatẽ, Euangelium Lucæ XV.

ERant appròpinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illũ. Et murmurabãt scribæ & pharisæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis, &c.

gratia dei fideliter ẽ tradenda.

PRAEFATIO.

GRatia Dei subinde in scriptura canonica celebratur, cùm omnis nostra salus inde profluat. Hac si-

 sumus prędestinati, vocati, educati, iustifi-

cati,atque adeò ex abyſſo perditionis in regnum ſalutis aſſerti,Gratia datum eſt nobis,in Deum patrem credere atque illi fidere. Gratia Deum patrem amamus, proximúmque in Deum, & propter Deum gratia diligimus. Quare ergo gratiam Dei non prædicemus? quare in ea non gloriemur vnicè? Gratia venimus ad lauacrum regenerationis, & adoptati ſumus, Chriſto incorporati, vnúmque Chriſti corpus cum Eccleſia catholica effecti. Gratia à legis onere liberati,atque adeò (vt Apoſtolus Ephe.2.vocat) ſaluati.Saluati,quia in ſpem viuam regenerati, 1.Petri 1. Inſuper quòd ſi poſt tanta Dei gratiæ accepta chariſmata, innocentiæ priſtinæ veſtem mundã, eam rurſus coinquinauerimus, etiam recidiuo peccato gratia medebitur. Sol iuſtitiæ tanta miſeratione abũdat, vt etiam in tenebras eas, quas ſibi homo ſemel illuminatus ipſe conciuerit, iubar ſuæ bonitatis (quo vtique peccator indignus) immittat, quo peccator è Tenariis faucibus in ſalutis ſtatum redire queat. Non quòd vitiis oblectetur,ſed vt peccatori tanta longanimitate pœnitentiæ anſa ſuppeditetur,calcár que addatur.Nõ poſſum mihi hic temperare, quin cum Chriſto clemens dicam peccatori,ſemel à peccatorum ſpurcitia abluto: Vade, amplius noli peccare,ne tibi quid deterius contingat,Ioan.5.8.Eccleſiam peccatori pœnitentię gratiam non negare,vides Matt.18.Iaco.5.verum illuſoribus grauiſsimum omnium iudicium abſque vlla ſpe veniæ eandem comminari vides quoque Matth.12.Hebr.10. 1.Ioan,5. Vtrunque in præſenti lectione nobis ea noſtra omniũ mater exhibet.Noſtrum eſt,vt illius filij obaudiẽtes eſſe adlaboremus,præſentem lectionẽ audientes, & in fructus dignos ſacræ pœnitentiæ cuſtodientes.Faxit Deus hoc præſtemus.

Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant ſcribæ & phariſæi, dicẽtes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Euãgeliſta aliquot parabolas ex ore Chriſti exceptas literis commendaturus,primò rationem,vnde parabolæ iſtę natę ſint,oſtẽdit: quo auditor facile colligere queat, quorſum ſint prolatę.Publicanos dicit ad Chriſtum ve- *Publicani*
niſſe,eius verbi audiendi gratia.Sũt autem publicani,qui *qui.*

publica vectigalia exigenda certo ære constituto redimebant. Erat hoc genus hominũ tum Iudæis planè exosum, ídque supra cæteros (quod apparet) peccatores. Res militaris, mundi opinione præclara est, adeò, vt mũdi Domini, militię experientes, familiares sibi præcipuè adsciscant, ipsíque potius ex militiæ, quàm ex philosophiæ studio malint nobilitari: telonium non adeò præclarum habetur, quãquam apud Romanos, teste Cicerone & Vlpiano, publicanorũ ordo, & numero amplissimus, & dignitate extiterit potentissimus. Apud Iudæos vitæ ea cõditio prophanissima omnium condemnabatur. Et saluatoré peccatores obstinatos publicanis conferentẽ, Mat. 18. Iudæorũ sententiæ suffragari videmus. Publicani hi vna cum reliquis peccatoribus ad Christum confluxerunt, vt eius audirent verbum. Admissi, audierunt: & verbo veritatis vtrinque incidente tacti, bonæ frugis propositum concepere, & sic Christum sibi comẽ valde demeruerunt. Animaduertentes Christum neminem ad bonam vitam aspirantem submouere, ipsum ad sua prandia concire sunt ausi. conciunt. philanthropos adest, conuescitur, & omnia quæ humanitatis veræ esse poterant, illis exhibuit officia. Iudæi qui publicanis amicitiam renunciauerant omnem, videntes Christum erga homines eos adeo eutrapelon, id est, facilem, illi indignabundi succensuere. Discipulis itaque eius dixerunt: Quare vester magister publicanos & peccatores non solùm ad colloquendum, verumetiam ad conuescendum recipit? Matthæi nono. Saluatorem quoque ipsum (Lucę septimo.) amicum publicanorum & peccatorum vocant. Obserua hic, Apostolum à Christi exemplo nihil dissidere, primæ Corinth. quinto. vbi ait: Scripsi vobis ne commisceamini cum scortatoribus, & cætera. Non stat hic Apostolus à pharisæis, vnde locum eum circunspecte declarauit ipse, dicens: Non omnino cum scortatoribus mundi huius, aut rapacibus, aut auaris, & cætera. alioqui videlicet è mundo exissetis. Sed si quis cùm frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, & cætera. cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. Ecce tibi eos qui CHRISTO nomen dederant, si præuaricentur, vitandos secundum

Publicãis quibus Christus comis adeo extiterit.

Apostolum. Idé & CHRISTVS docet Matthæi decimooctauo. Qui ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Obserua ex verbis CHRISTI, etiam extraneos publicanos & nocentes fugiendos. Sed neque CHRISTVS hoc loco sibi pugnat. Nouit pastor suas oues, nouit quos pater elegerit, & propter quos in hunc mundum venerit. Et aliud est, cum flagitiosis familiaritatem habere, vt eos tua consuetudine ab erroribus abstrahas: & aliud, commercia cum illis inire, vt in ratione dandi & accipiendi illis fruaris. Clemens & alij historiographi testantur, primitiuam ecclesiam hæc commercia & mutuæ commoditatis consortia infidelium & sontium, anxiè vitasse. Et sancti canones etiámnum hoc ipsum fidelibus seriò præscribunt. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, & alij eius temporis scriptores, historiographis catholicis suffragando, impiorum omnium, maximè hæreticorum, necessitudines pestilentissimas planè ostendunt. Vnde & sanctus Ioannes Euangelista Cerinthum non secus atque viridem lacertam aut Getulum vitauit leonem: Et Polycarpus Marcionem vt Satanæ fugit primogenitũ. Sed de hac re alias. Nũc ad CHRISTVM reuertamur. CHRISTVS venerat perdita quærere & saluare: nouit item quos quæreret: vnde non minus familiariter vti voluit Zachæo & Matthæo publicanis, quàm Nicodemo & Simone pharisæis. Mariæ Magdalenæ æquè amicus esse voluit, atque Marthæ. Peccatrici diffami Lucæ septimo. & mulieri Samaritidi ei quæ quinque viros habuit, & etiam tum non suum virum habenti, iuxta fuit humanus ac Mariis Iacobi & Salomæ. Quid pharisæis aduersus eam suam clementiam oggannientibus responderit, vides Matth. 9 Marci 2. Lucæ 5. Bene habentibus, inquit, non est opus medico, sed ægrotis. Discite quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium. Ac si dicat: Vos de vestra vobis placetis iustitia: hi miseri, opus manuum patris cælestis, iustitia omni sunt vacui, peccatis omnigenis pleni: hic opus est medela, hic opus cura. Horum suspiria, horum lachrymæ, horum vota & eleemosynæ pluris sunt

Quare Christus publicanos, quos ipse fugiẽdos docuit, non vitauerit.

apud patrem meum cæleſtem, quàm omnia veſtra ſacrificia templaria, matutina & veſpertina. Hoc tandem ex Oſea diſcite. dicit enim: Miſericordiam vult Deus magis quàm ſacrificia. Sed iterum atque iterum obſeruãda ſunt hæc verba Chriſti: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores: & maximè hoc quod ſubdit, ad pœnitentiã, Matthæi 9. Marc, 2. Luc. 4. *εἰς μετάνοιαν*. Audiant Dominũ hic ſibi obuiam ire, qui vano huic ſeculo placentia prædicant, euangelici noui. Vulgus auribus pruriẽs, hodie ſuo ingenio aptos nactus eccleſiaſtas, nihil de pœnitentia agenda, ſed plurima de indulgentia audit ſperanda atque credenda: Chriſtum ſiquidem veniſſe peccatores quærere, Matth 9. ſaluos facere, 1. Tim. 1, Colligit ergo, quatinus & ſic euangelizatur: Peccemus ergo, vt peccatores quæramur & ſaluemur. Faciamus mala, vt veniant bona. Reſpondet verò illis Apoſtolus: Quorum damnatio iuſta eſt, Rom. 3. Item cap. 2. An diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatíſque contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Ad pœnitentiam ait, ſubſcribens euangeliſtis dicentibus, *εἰς μετάνοιαν*. Quod repeto, propter abrogatores canonum pœnitentialium, hoſtes pœnitentiæ, ebuccinatores vanæ & inanis indulgentiæ. Miſericors Deus: ſed vt miſericordię eius multitudine vincaris & compellaris intrare. Vincit te bono, vt tu deſiſtas à malo. Sentiendum de Domino in bonitate, nempe ſic: Eia tantis te proſequitur beneficentiis, ſui facit tibi copiam, ſe amicum tibi offert: age ergo reuertere, reſipiſce, noli amplius peccare, quieſce agere peruerſe, diſce agere bene. Fac dignos fructus pœnitentiæ proferens, tantis te chariſmatibus gratum exhibeas. De pœnitentia poſtea. Nunc quid Chriſtus parabolicos dixerit, videamus.

Peccatores ad pœnitẽtiam, nõ peccandi licẽtiã, Dominus venit vocare.

Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?

Prouerbium eſt: Aut eſſe inſanum, aut maleuolum, qui ſuarum rerum iacturã rideat. Cuíque ſua res chara eſt: vnde dolet, ſi quid inde pereat. Præcipuè animalia, quorum humana vita indiget, mortalibus ſunt curæ. Vnde

Pythagoras

Pythagoras putabat iniquum, si homo eorum vescere-
tur carnibus. Agricolæ & milites equos vel liberis suis
plùs curant. Scytha iurauit se hinnitum equi præferre
cantui citharārum. De venatoribus ait Horatius:

Manet sub Ioue frigido
Venator, teneræ coniugis immemor,
Cùm visa est catulis cerua fidelibus.

Sunt apud Poëtas & historicos tot nobiles equi, atque
inter cęteros Aschetos, Cambasos, Lampon, Panchates,
Podarces, Stirinos, Thoës. Sūnt tot nobiles canes, atque
inter cæteros Agliodos, Alce, Dorceus, Dromas, La-
bros, Lachne, Leucon, Menelius, Thous. Pastores item
quo sunt magis humani, hoc plùs cura gregum & ar-
mentorum tanguntur, quod miro artificio plerique poë-
tarum in Eglogis exprimunt. Quòd si animantia bruta
mortalibus ita vel gaudio sunt vel dolori, maximè verò
si bonos pastores pecudes ita afficiunt suæ, vt eos nocte
dieque super eas excubare non pigeat: Seruator gno- *Seruator*
men ex pastorali ea cura & affectu proponendam nobis *pastor ma*
duxit, qua suam erga nos curam nobis delinearet. Bonus *luit dici,*
Dominus non se venatorem cruentum, non equitem *qui vena-*
strenuum, sed pastorem simplicem, atque eum vpilio- *tor aut e-*
nem, se vocare maluit, Ioan. 10. Ezec. 37. Zach. 13. Nos *ques, &c*
quoque suæ benignitatis imitatores esse volens, non ca-
rum liuidorum, neque equorum superborum schemate
suos significat, Psal. 43. 48. 73. 76. 77. 78. 79. 94. 99. 106. *Centena-*
Esa. 11. 53. Eze. 34. Zach. 13. Centenarius numerus signi- *rij numeri*
ficat ecclesiam vniuersalem, totúmve genus humanum. *significa-*
Immò etiam secundùm Bedam, numero istoc profectò *tio.*
æquè angeli atque homines comprænduntur: vt per-
dita ouis, genus humanum referat. Amissio est præua- *Amissi*
ricatio. Perditi sunt, quibus non licet Aue dicere. Erra- *& perdi-*
re, est eò peruenire, vt tenebras luci præferas. Pastor, *ti qui.*
quæ sua est bonitas, suo officio non deest. Christus verò
pastor bonus patris electos noscens omnes, etiam mun-
do deploratos & desperatos quærit. Quærit in genere, *Dimitti*
quærit in specie: quærit vniuersos, quærit singulos. Di- *99 oues*
mittit alias, non vt eorum curam ponat, sed vt affectum *quid.*
eum, curamque quam erga perditam gerit, nobis decla- *Desertum*
ret. Desertum est vanitas huius seculi, in quo etiam mi- *quid.*

ſerè errauit ipſe Salomon, qui Eccleſiaſten de hac huius eremi vanitate conſcripſit. Sancti item patres frequenter de fuga ſeculi, de vita ſolitaria, deque contemptu agunt mundi. Mirum ergò, vndè ſe euangelicos poſsint iactare, qui tantas res non diſsimulent modò, ſed & probent, profeſſam monaſticen omnibus mundi nugis poſthabentes. Si qui Chriſti ſunt, fures & latrones eos nè audiant, ne ſequantur. Tu hic ô mortalis homo, vide, quàm tuam reſipiſcentiam bonus paſtor cupiat. Vide quàm nitatur vt ſe ſequaris. Audi ergò & ſequere bonum paſtorem. Caue ne tuapte culpa eius reſiſtas voluntati, prædaque lupis infernalibus fias.

Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos, gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Faſtidioſi phariſæi Chriſto vitio dederunt, quòd cum publicanis & cæteris peccatoribus, ob palàm admiſſa infamibus, biberet & manducaret. Chriſtus verò oſtendit hoc ſuarum eſſe partium, exemplo paſtoris, de inuenta pecude errabunda gaudium magnum habentis. Inuentam in deſerto ouiculam paſtor non malè accipit, non delumbat, ſed ad gregem ſuis humeris impoſitam portat. Sic & ſeruator peccatorem auribus audiendi audientem, & ad ſe redeuntem, humaniſsimè tractat, & maioribus ſubindè chariſmatibus reficiens. Beda ait: Ouem in humeris ſuis imponit, quia humanam naturam ſuſcipiens, peccata noſtra ipſe portauit. Theophylactus: Infirmitates noſtras & peccata noſtra ipſe portauit, idque ſponte & libenter. Et propheta dicit: Cuius liuore ſanati ſumus. Ioannes ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, paſtorem agnum faciens. Bonus paſtor afficitur ſenſu noſtrarum infirmitatum, vndè & ouis dicitur. Satisfacere item pro portare ſcriptura accipit Eſaiæ 53. Ezech. 18. 1. Pet. 2. Obſeruat Beda, non dici, Congratulamini angelis, ſed, mihi. Ipſe paſtor eſt, ipſius ſumus oues.

Cõmunio gaudij & luctus in eccleſia, i. in corpore Chriſti.

De tonſa inuenta, gaudia paſtor habet.

De filio ſuo prodigo recepto gaudet pater. Vult & ſuos ſua gaudere gaudia. Dicit ergò, Gaudete mecum, congratulamini mihi. Hoc dicit, volens eccleſiam flere cum flentibus & gaudere cum gaudentibus. Vndè Corinthio

rum ecclesia de incesto contristabatur, & de eiusdem conuersione & satisfactione gaudium accepit. Tertullianus, exomologesin docens faciendam, ait: Quid vereris fateri quasi tibi insultaturo, qui tecum flebit & lamentabitur, qui pro te Deum exorabit & precabitur? Hoc Apostolus omnibus præscribit, Rom. 12. Et sic rectè alius ait:

Vt ridentibus arrident & flentibus adsunt.

Et quare homo non moueatur cum homine, quum hoc bestiæ faciant? Et in sequentibus seruator ostendit, etiam angelos, qui spiritus sunt, de hominis conuersione moueri.

Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiã agente, quàm super nonagintanouẽ iustis, qui nõ indigent pœnitentia. Deus mortem peccatoris nõ vult, sed magis vt conuertatur & viuat, Ezec. 18. Voluntas Dei, sanctificatio nostra. Dicit ergò: Sanctificamini, quoniam ego sanctus sum, Leuit. 20. Probat atque adeò lætatur Deus, quotiès sua fit voluntas. Angeli in Dei amore perpetuati, cum Deo & velle & nolle habent cõmune: Hoc & nos rogamus fieri in nobis, dicentes: Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Denique & angeli omnium eorum, quæ in ecclesia fiunt, testes adsunt. Tertullianus dicit eos ratum habere coniugium, quod sacerdos in sacris mysteriis confirmat. In tremendis mysteriis angelorum exercitus adesse, Chrysostomus & Gregorius locupletes sunt testes. Angeli denique orationes nostras Deo offerunt Apoc. 5. Adeò angelis nobiscum est diuinę dispensationis necessitudo quædam. Nam & ipse Christus ait: Angeli eorum vident faciem patris eorum semper. Item: Si quid solueritis in terra, erit etiam solutum in cælo, certè etiam angelis. Sic etiam ad institutum, Ecclesia gaudet hominem à laqueis diaboli solutum, gaudent & angeli: & è contrario Deus videns hominem suæ voluntati pugnare, dolore afficitur, dolent & angeli, luget quoque ecclesia. Vide ergò ô homo, nè contristes spiritum Dei. Vide ne longanimitate Dei ad pœnitentiam te inuitanti, abutaris, & iuxta duritiam cordis tui pœnitere nescij, thesaurizes tibi iram, Rom. 2. Comitatem Episcopi animæ tuæ æstima. Si in pœnam pro

Benignitas Dei ad pœnitẽtiam nos inuitat.

tuæ culpæ merito iret,& si toties sua in te fulmina,quoties tu peccas, mitteret, olim in inferni profundum esses protrusus.Nunquid ob tantam gratiam conueniet tibi, Dei clementiæ tali illudere,iterùm peccando? Velit hoc ille,qui tuam perditionem expectat & cupit,satanas.Tu verò fac voluntatem eius qui bonus est,& qui tibi optimè vult. Quid autem bonus ille atque bonitatis fons de te requirat, & quidnam existat quod tibi commodare possit,ipse profatur,dicens se peccatores vocare ad pœnitentiam:& hæc dicit, gaudium esse angelis cæli super vno peccatore pœnitentiam agente.Et secundùm Ezechielem vult, vt conuertaris & viuas. Vult vt derelinquendo malum,& præstando bonum,sanctificeris.Hoc vbi præstiteris,voluptati illi es,gaudio eum afficis:& sic non exprobrauerit tibi tua commissa, post tergum suum reiecta omnia.Hierem.31.Esaiæ 38.Heb. 8. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,1. Pet. 2.Esaiæ 53. Remittuntur nobis peccata propter nomen eius,1.Ioan.2.Nec item ecclesia,quod Tertullianus ait, tibi exprobrauerit, tibi insultando: sed quæ te cadente fleuit,tecum gaudebit resurgente,1. Ioann. 4. Eia ergò opus dignum pœnitentiæ fac dum dies est, & dum operari licet.Instat nox,quandò nulli opus facere integrum erit.Matt.25.Pœniteas ergò subitò, ne nox ea præueniat te. Qui habet aures audiendi, audiat spiritum Dei in ecclesiis clamantem, & vocem suam instar tubæ exaltantem, peccata sua ecclesiis annunciantem, Apocalyp.1.2.3.Esa.58.Clamantem autem,pœnitentiam agite, Matthæi 3.Marci 1.& 6.Pœnitentiæ fructus dignos facite,Matthæi 3. Lucæ 3. Quiescite malè agere, discite benè facere, Esaiæ 1. Absistat iniquus à via sua praua, Esaiæ 55.Item cap.56.Facite iustitiam, quia iuxta est salus mea vt veniat,& iustitia mea vt reueletur. Euangelista nouus videat,quem hic tropum comminiscatur.contra hoc quod sequitur: Beatus vir qui faciet hoc. Qui spiritum Domini ad opus pœnitentiæ præstandum non audierint,vt in facto suo beatificentur, sed spiritui nequissimorum nouorum euangelistarum acquieuerint, Domino de neglectis bonis operibus pœnam dabunt, vocemque audient, Ite vos maledicti.Placet huius gno-

Iustitia ex opere bono æstimatur.

mes ſummam colligere, nempe eam: Primò, aberrare peccatorem, certè volentem: quia ſecundùm Senecam, nemo peccat inuitus. Et ſanctus Auguſtinus ait: Omne peccatum adeò eſt voluntarium, vt aut peccatum nullum ſit, aut ſit voluntarium. Huc pertinet peccandi conſuetudo. Secundò, alienum eſſe huiuſmodi peccatorem ab eccleſia Dei, Aue illi dicendum non eſſe. Tertiò, quę rendum tamen, & tantiſper pro eo orandum, donec à diaboli laqueis liber euadat. Hæc eſt voluntas Dei. Quartò, contriſtat ſpiritum Dei peccator, Epheſ. 4. Oneri eſt Deo, Eſa. 43. Seruire me feciſti in mandatis tuis, Eſaiæ 1. Hiere. 6. Laboraui ſuſtinens &c. Non ergò verè pœnitet, niſi conteratur, hoc eſt, niſi doleat, pœnamque huius culpæ teneat. Nam Deus (Pſalm. 93.) fingit laborem in præcepto. In quem locũ ait Hieronymus: Vera pœnitentia fugit delicias. Pœnitentia ſaluandis eſt neceſſaria, iuxta textum lectionis præſentis. Sequitur porrò in parabola: Quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Ouis perdita paſtorem plurimùm diſcruciat, & multum negocij facit. Derelinquit ergò nonagintanouem oues non errantes, & plùs gaudet de vna ouicula perdita & recepta, quàm de nonagintanouem non amiſsis & recuperatis rurſum. Plùs gaudet de vera pœnitentia mulieris peccatricis, Lucæ 7. quàm de Simone hoſpite ſuo & omnibus cõuiuis. Beda: Hi qui ſe nullis peccatorum molibus oppreſſos ſciunt, ſtant quidem in via iuſtitiæ, nulla illicita perpetrant, ſed tamen ad cæleſtem patriam anxiè non anhelant. At contrà qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerunt, plùs ad Dei amorem exardeſcunt, ſeſeque in bonis operibus magis exercent. Dicit ergò: Cui minùs dimittitur, minùs diligit. Sunt qui nonagintanouem iuſtos, accipiunt de angelis beatis, pœnitentia opùs non habentibus. Sequitur:

Peccatum voluntarium, eſt ergò excõmunicandum, peccator verò ſpe pœnitentiæ ſeruandus.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Satis optimo magiſtro viſum non fuit, pœnitentiæ ſalubritatem vna ſaltem parabola declaraſſe: nam & alteram ſubdit, vt tantum ſacra-

Peccator Chriſto multum facit negocij.

Pœnitentiæ ſalubritatem

multis parabolis Christus nobis proponit.

mentum nobis redderet commendatius. Quare age quoties ouem errantem, quoties pastorem oues aut pascentem, aut quæritantem videris, fac tibi, secundùm primam similitudinem, pœnitentię operum succurrat. Dein secundùm alteram, videns viduam, videns pecuniam, videns quam rem amissam quærere, fac eius sacramenti tibi subeat. Pecunia, vt huius mundi se ferunt res, homines miseri egent. Nam sine pecunia mundus nulli sua præstat obsequia. Eccle. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Vndè dicit poeta:

Pecuniæ in hoc mũdo obediũt omnia.

Si nihil attuleris, ibis Homere foràs.

Et alius:

Et genus & formam regina pecunia donat.

Propter miseros ergò reseruanda, etiam acquirenda, exemplo deniquè viduæ, duo minuta sua in gazophylacium proiicientis, liberè expendenda, Lucæ vigesimo primo, Marci duodecimo. Nec vidua ea, tanquàm rem vilem sua ea minuta in gazophylacium proiecerit, à Domino commendatur. Pecunia item res est preciosa, aliquando magis ex æstimatione superscriptionis, quàm materiæ. Apta ergò parabole. Mulier tam charam rem quærit, vt quæ diligentissima: & quo magis in inquirendo fuit solicita, tanto lętior est effecta de nummo suo inuento. Mulier significat ecclesiam, quæ Apoc. 12. amicta sole & luna dicitur. Pecuniæ satis diues est mulier hæc. Nos verò denarij sumus, ad Dei similitudinem & imaginem conditi & regenerati. Vndè non tam propter conditionis materiam, quàm propter nummisma genitrici nostræ sumus chari. Anxiè nos curat, solicitè seruat. Verùm quæ huius seculi errorum est vorago, & qui casus sunt, nonnunquàm tam charæ rei aliquid amittit. Amittit autem potissimùm, dispensatoribus domus diaboli susurrationibus soporatis, rem tantam sibi commissam non satis cautè custodientibus. Gnome habet: Inueni drachmam quam perdideram. Quasi dicat, quam accuratiùs custodiuissem. Hoc de pastore non legitur. Quærit pastor ouem quæ perierat, & inuenit tonsam quæ perierat. Et hoc obseruandum, quòd mulier drachmam non dicit suam: sed simpliciter dicit, drachmam quam amiserum. Pastor verò ait, Ouem meam quæ perierat.

Mulier quæ drachmam perdidit, significat ecclesiam.

Denarij quomodo nos simus.

Mulier amissæ drachmæ culpam agnoscit.

Quod ita descriptum est, vt alteram parabolarũ de Christo, alteram de ecclesia acciperemus. Sponsa se & omnia quæ habet, Christo refert acceptam. Illius verò est orbis terrarum, & vniuersa quæ sunt in eo. Nos oues pascuæ eius, Ioann. 10. & 21. primæ Petri capite quinto. Sponsa tantum habet, quantum accipit. Vndè & Apostolus ait: Quid habes quod non accepisti? Sponsa animas fideles accipit custodiendas, vulneratum à latronibus accipit curandum. Huc pertinet quod Lucas dicit Acto. 2. Dominus addebat, qui salui fierent, quotidiè congregationi. Idem dicitur 11. 16. Harum si quæ amittitur, mulier sua culpa id factũ esse fatetur. Quærit ergo hoc diligentius, quo suam culpam accusat vehementius, æmulando sponsum, qui neminem vult perire. Quærit pastor, quærit mulier: ille Dominus, hæc ancilla. Quanquam si dona, quibus vt acies ordinata, lemuribus infernalibus est formidolosa, quibus inter hæreses opiniones & sensum scripturæ orthodoxum iudicare habet, spiritum sanctum ex capite suo Christo (Psa. 44. 132.) possidens, attendas, reginam cæli dixeris. Candelam quam accendit, studiosam scripturarum discussionem accipe. Lumen est illustratio veritatis. Nam & in prophanis literis lux siue lumen, intelligentię habet significationem. Elucidare siquidem & dilucidare, declarare significant. Domus verritur & tota euertitur, postquam abusus varij & superstitiones subortæ, schismaton & hæresion causæ corriguntur. Grossus perditus, non solum peccatorem, sed & hæreticis opinionibus hominem deprauatum designat. Neque talem materna viscera auersantur. Hęreticos, inquam, ecclesia exemplo Christi, Petrum post fletum negationis recipientis, etiam hæreticos materno sinu ad se redeuntes libenter & gaudens amplectitur: quod Lucifer solus damnat, infernalis Luciferi victima opima. Non pudeat ergo errorem suum fateri, non vereatur palinodiam cantare, si quis à catholico sensu exorbitauerit, hæreticorum persuasione seductus. Non timeat Smyrnensem illum episcopum Luciferum: de lucifero vero matutino, Christo Iesu, occasum nesciente, benè sentiat, & ecclesiæ gremium sibi expansum inueniet, simulac erroribus recantatis, ad tantam dominam redierit.

Ecclesia ancilla & domina.

Cãdelam quam mulier accẽdit, scripturã accipe.

Domum verrere quid sit.

Hæretico rũ etiã cõuersionem ecclesia expectat.

Vtinam ecclesię optimates ecclesiam referant. Accendē dæ lucernæ tempus adest, totus ferè grex miserè palat: sed qui requirat, quotusquisque est? Hoc periculū Ezec. 24. deplorat. Sed de Dei bonitate nemini desperandum. Nouit enim suos è quouis discrimine eripere, Prou. 25. Beda mulierem diuinæ sapientiæ mysterium referre ait. Sacerdos & ipsum Bedam legat. Sequitur:

Ita, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Attendite vnam atque eandem vtriusque gnomes collectionem. Gaudet pastor, exultat mulier, lætantur angeli. Hic tu noue euangelista, qui beatos suo merito defraudādo, negas, cum impassibiles existant, etiam protinus esse incompassibiles: attende angelos stare ante patrem cælestem, nobiscum tamen & lætari & contristari. Quod ita vult Dei sapientia, nè se extollat humana insipientia. De qua re alias. Hic videmus opera pœnitentiæ etiam ipsas cælestes exhilarare mentes. Sed rudibus totius huius loci de pœnitentia methodum subiiciendam puto, nempe istam: Primo, pœnitentiæ locum esse in ecclesia, nec septies, sed septuagies septies peccatores quoscunque recipiendos, neque hæreticis misericordiæ locum denegandum. Secundo, pœnitentiæ tres partes esse, contritionem, exomologesin, & satisfactionem. Satisfactionem, id est, fructus dignos pœnitentiæ, esse necessariam. Opus habent pœnitentia peccatores, ait Christus. Ex præmissis sequitur, Luderanos, hoc est, scurriles declamatores esse, fucum pœnitentiæ docentes, has tres partes negligentes, cum totus huius lectionis status nihil aliud velit, quam vt inter verè pœnitentes & iustitiarios, de fide ociosa sibi plaudentes, discriminet. Tertio, pœnitentiam veram catholicæ doctrinæ, non modo in terra, sed & in cęlo esse efficacem. Rectè enim dicit Beda: Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Quarto, peccatores impœnitentes, aut citra veræ pœnitentiæ tres partes, metanœam aliquam noui euangelij mentientes, nihil commune habere in ecclesia. Dicunt euangelistę noui: Christus venit peccatores saluos facere. Rectè hoc. Sed & addendus modus

Pœnitentiæ methodus.

pœnitentiæ, cuius ſymbolon eſt baptiſmus. Sic venit Chriſtus propter peccatores, vt eos ſanctificaret: hoc eſt, vt peccatores ad pœnitentiam vocaret. Sic & medicus pius viſitat ægrotos, non delectatione morbi, ſed eius odio. Per medicinam pellitur morbus, & ſic curatur ęgrotus. Per pœnitentiam concipitur odium iniquitatis, concipitur amor pietatis, & ſic ſaluatur peccator. Mentitur blaſphemus, qui dicit Chriſtum peccatores eſſe velle. Sic piè dixeris: Chriſtus vult vt peccatores conuertantur, vt è peccatoribus pœnitentes reddantur. Diuerſa ſunt hæc: Peccator peccans, & Peccator pœnitens. Super hoc gaudent angeli cæli, ſuper illo angeli Tænarij. Pœnitentes Chriſtus dorſo ſuo impoſitos, ad regna cælorum portat, impœnitentes diabolus cauda ſua inuolutos vel è cælo ſecum in profundum laci rapit. Super hos lugent angeli cęli, exultant ſpiritus Auerni. Peccator ergo qui damnari non vult cum diabolo, pœniteat, idque cito. Hoc vt præſtemus omnes, quia & peccatores ſumus omnes, [redacted] nobis omnibus, qui ſolus eſt bonus paſtor anim[redacted] quo nihil, & per quem omnia poſſumus. Huic ſoli vero, viuo & immortali Deo, ſit honor & gloria, vna cum patre & ſpiritu ſancto in ſempiterna ſecula, Amen.

Peccator peccãs & pœnitens, diuerſi.

DOMINICA III. POST TRINITATEM, Luc. 15.

Erant appropinquantes ad Ieſum publ. &c.

¶ Senſus literalis idem etiam eſt Myſticus & Moralis.

¶ Eius partitio eſto.

1 *Phariſaiſmus peccatorum remiſſionem aut negans, aut fermẽto acerbo contaminans, hic præcipuè confutatur.*

2 *Simulatores pœnitentiæ, dignos fructus pœnitentiæ non proferentes, erroris inſimulantur.*

3 *Veri pœnitentes glorificantur, adeo vt etiam angeli cæli de illis gaudium capere dicantur.*

¶ DECLARATIO.

1 *Erant appropinquantes ad Ieſum publicani, &c. Et murmurabant phariſæi & ſcribæ. Phariſaiſmus qui ſit, ex Nonati &*

Luciferi hæresi permiscetur. Luciferiani & Nouatiani habendi, qui supercilio phariſaico inſoleſcunt, citra iudicium, non niſi in certis locis & per certas perſonas peccata remittenda dicentes. Eccleſia iudicium habentem ſacerdotem magis dicit quærendum, 4. lib. diſt. 17. ca. 5. Vides qualis confeſſor ſit eligendus, nempe is qui cum poteſtate habeat iudicium.

2 *Vt audirent illum. Item, Super vno peccatore pœnitentiam agente. Simulatores pœnitentiæ item ſunt hæretici, Nouatianis & Luciferianis contrarij, nempe Iouiniani: quorũ hæreſes noui euangeliſtæ hodiè excitant egregiè, neq; contritionem, neq; confeſſionem ad pœnitentiam neceſſariam eſſe affirmantes, ſatisfactionem pro peccatis penitus damnantes. Contra huiuſmodi pſeudoprophetas facit hoc, quod ſ uator hic ſubindè dicit de peccatoribus pœnitentiam agentibus. Sic dicitur etiam Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Hæretici videant vt verba, Agere & Facere, interpretentur ſolum credere.*

3 *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo, &c. Verè pœnitentes non ſolum veniam merentur, ſed & coronam. Veniam, id eſt, diſſolutionem pœnæ, Num. 14. Annus pro die. [redacted] Gloriam, quia Maria lachrymas Chriſtus pluris facit, quam fercula Simonis Phariſæi. Zachæi pœnitentia item prædicatur vſque in finem huius ſeculi. Nullus pœnitentiæ ſimulator vſquam eſt, de quo aliquid ſcriptura ita prædicet. Latroni in cruce defuit facultas, ſuffecit ergo illi voluntas.*

Myſterium.

¶ *Si myſterium hic requiras, paſtorem eſſe Chriſtum accipe. Eſt enim paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus ſuis impendere non dubitat. Per mulierem, intellige Eccleſiam, pro peccatoribus orare non ceſſantem, & penes quam veritas eſt clauium, vt alibi ſæpè diximus. Lucerna eſt Dei verbũ, ſinè quo eccleſia nihil tentat.*

DOMINICA IIII. POST TRINItatem, Rom. 8.

EXiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, &c.

PRAEFATIO.

O Conſolationem ingẽtem & præſentem. Quis non ardeat deſiderio martyrij, audita tali conſolatione? Vide ſanctæ matris eccleſiæ ſedulitatem. In ſupe-

riori die Dominica nonnihil de tribulatione fideles manente, nobis in lectione epistolæ sancti Petri adumbrauit: nunc quidquid id est, expressius nobis declarat, idque per testimonium sancti Pauli. Sectio lectionis est: Primo monemur, vt tribulationem vitæ præsentis sustineamus patienter. Dein appetere beatitudinem hortatur. Tertio declarat, tribulationem præsentis vitæ, respectu promissæ gloriæ, nullam esse. Quarto, tribulationis magnitudinem, præmij gloriæ extenuat amplitudine.

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. In præcedentibus paulo antè dixerat, fideles hic Christi passionis participantes, post etiam Christi gloriæ fore consortes. Nè itaque nobis vana subrepat cogitatio, quasi tribulatio tanta sit, cui meritò tanta debeatur gloria, præsenti lectione ostendit, passionem huius vitæ omnem nihil esse, si conferatur ad gloriam nobis promissam. Apostolus Paulus similia ferè dicit 2. Cor. 4. Momentanea leuitas afflictionis nostræ, mirè supra modum æternę nobis gloriæ pondus parit, dum non spectamus ea quæ videntur, sed ea quę non videntur. Nam quę videntur, temporaria sunt: at quæ non videntur, æterna. Instar plumæ, leuis est omnis huius mundi tribulatio & anxietas: sed beatitudo promissa, omnem omnium metallorum antecedit grauitatem. Nulla siquidem comparatio est caducæ & momentaneæ rei, ad perpetuam atque stabilem. Gaudia felicitatis eius, Petrus vocat ineffabilia: vbi etiam apostoli Pauli sui collegæ sententiam approbat, 1. capite primo, dicens: Salus parata est, vt patefiat in tempore supremo, in quo exultabitis, nunc ad breue tempus afflicti in variis experimentis, si opus sit, quo exploratio fidei vestræ multo precioſior auro, quod perit, & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem & gloriam & honorem, tum cum reuelabitur Iesus Christus: quem cum non videritis, diligitis: in quem in præsentia, cum non videatis, credentes, tamen exultatis gaudio ineffabili & glorificato, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. Apostolus Paulus gaudia hæc tanta adhuc apertius describit, primę Corinthiorum capite secundo,

Gloriæ magnitudo vt oēm superat pœnam, ita etiam est supra omne meritū.

dicens: Quam (gloriam in nobis reuelãdam) nemo principũ huius mundi cognouit. Nam si cognouissent, haud quaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quemadmodum scriptum est, Quę oculus non vidit, & auris nõ audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligẽtibus se. Locus hic acceptus est ex Esa. cap. 64. Obserua Apostolorum concordantiam. Petrus fidem extollit, tanquam fidẽ beatitudinis: apostolus Paulus dicit gloriam paratam diligentibus Deum. Quanquã Petrus quoque, priusquam fidem fidem diceret beatitudinis, primò charitatem extulerit. Soli fidei summam felicitatis adscribi non posse, vides Mat. 25. Sed ad apostolum Petrum redeũtes, æternam salutem dicimus esse ineffabilem: eius figuram vides delineatam Apoca. 12. Ipsa ciuitas est aurum mundum, simile vitro mundo: & fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata. Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertiũ calcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysopasus: vndecimũ hyacinthus: duodecimum, amethystus. Et duodecim pórtæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, &c. Sẽsus est: beatitudinis futuræ gaudia laboribus & patientiæ nostræ promissa, esse supra captum rationis humanæ. Hic, vt apostolum Paulum hic intelligas, considera, quęnam sint nostra (vt hic vocat) pathemata, passiones, contumelia, exilium, carcer, tortura, mors, &c. Hæc cùm omnibus diabolicis tentationibus, quibus sanctum Iob, Antonium, & alios exercuit, & in summam vnam coegeris, in infima linea vt maneas necessum est. Si verò minimũ gaudiorum ritè æstimaueris, supremam lineam nulli vnquam hominum satis perpendendam, inuenies. Paruus labor, immensa quies: breuis contumelia, æterna gloria: momentanea tribulatio, solida & perpetua consolatio. Sed in patris regno hęc parata sunt, non in hoc mundo, Mat. 25. In tempore extremo, quando filius hominis in sua quoque maiestate omnibus apparebit. 1. Thessal. 4. Tunc quando dicit, Venite benedicti patris mei, qui de me tot pietatis officiis estis bene meriti, Matth. 25. Certam vero horam & temporis punctum ne angeli qui-

Apostoli in prædicatione fidei & charitatis sibi cõsentiunt.

Gaudia cæli ineffabilia.

dem norunt, Matt. 24. Futurum est, sed spe expectãdum, Esa. 64. Heb. 2.

Nam expectatio creaturæ, reuelationẽ filiorum Dei expectat. Quasi dicat, Quid? tu homo nõ expectabis gloriam instantem, qui ratione es præditus, & cui tãta & talia sunt promissa, cùm etiam reuelationem eam filiorum Dei, omnis expectet creatura? Ratio verò, quare etiam bruta creatura gloriam filiorum Dei præstoletur, est, quòd tunc quoque ipsa liberabitur à seruitute, cui nũc est deuincta. Intellige schematicè, creaturam ægrè malignis ad Dei offensionem seruire: hoc est, inuitam latronibus & homicidis administrare ferrum & chalybem: superbis, aurum, gemmas, purpuram: auaris, fruges & opes gulæ vitio deditis, vinum & obsoniorum tot genera. Augustinus dicit, hunc locum, quantum ad creaturæ expectationem, esse obscurum, cùm non expresserit Apostolus, de qua creatura dixerit, de rationabilíne, an de irrationabili. Ipse verò de rationabili intelligit Apostolum locutum, quæst. 83. cap. 67. Beda adstipulatur Augustino, nec item refragatur Hieronymus super epistolã ad Roma. Sedulius quoque in hanc sententiam pedibus it bona parte. Gregorius item de rationali creatura hunc locum accipit, Moral. 4. ca. 8. Origenes primo de rationali creatura interpretatur, sed tandem colligendo, etiam irrationalem infert, nempe solem, lunam, sidera, arbores, gramina, segetes. Ambrosius hic Origenem sequitur, tametsi sit Latinus. Chrysostomus de bruta saltè accipit creatura, dicens Apostolum imitari prophetas, qui & ipsi nõ infrequenter tribuunt brutæ creaturæ affectus & sensus rationales. Non subscribunt prophetæ philosophis, qui mundum & omnes alias brutas creaturas vsque ad spongiam, sensibiles esse dogmatizant: sed schematicè loquendo rei, de qua loquuntur, excellentiam nobis exprimere satagũt. Chrysostomo suffragatur Theophylactus. Quatuor hos ego quinque illis præferre ausim. Sed certius & simplicius esse puto, vt vterque sensus pari gloria approbetur. Opperitur creatura, sustinet & patitur tot blasphemias & ingratitudinem: ingemiscens itaque, dissolui cupit. quasi dicat: Mirum non esset, mundum cõtra tot mala clamitare: nam & peccata in cælum vocife-

Creatura oĩs expectat reuelationẽ filiorũ Dei,

rare dicuntur. Cæterùm etiam elementa omnia dissoluentur, & innouabuntur, 2. Pet. 3. Rationē expectationis atque desiderij nunc porrò prosequitur Apostolus, dicēs:

Vana sūt oīa huius mundi.

Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eū qui subiecit eam in spe. Audis causam, quare creatura finem suum expectet. Vani eam laboris piget. Vanitas primo significat inanitatem & leuitatem, hoc est, rem nihili, corruptibilem & perituram. Hieremias vidit onia huius mundi, & ecce nihili omnia. Tali vanitati seruit creatura, non volens, malens seruire perpetuis & stabilibus. Exempli gratia: Verni flores pereunt, nec aurum (quanquam hoc appareat) perpetuum esse potest. Nam & elementa suum habent senium. Hanc caducam mundi instabilitatem, Apostolus hic vocat vanitatem. Ambrosius huc adfert Eccle. capite. 1. & psal. 38. Cæterùm etiā vanitas accipitur pro fallacia & mendacio, atque adeò pro improbitate. Dicit ergo ille apud Maronem:

Nec si miserum natura Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget.

Et alius quidam ait:

Vanus homo vanas de vano pectore voces
Profert.

Hic quoque mundus seruit inuitus. Sed quoniam pater cælestis, misericors est & longanimis, eius iussu sol etiam super inimicos Dei splendet. Creatori creatura obsequitur & paret: vnde etiam Dei hostibus, iuxta atque cultoribus, opum omne genus parit. Sol fouet & illuminat, & omnia suis partibus funguntur: perfungi tamen malint. propediem plasma compos voti liberabitur: tunc mare piscium copiam non edet, syluæ feras non proferent neque educabunt, arbores & gramina fruges & fructus non dabunt, nempe in die illa horribili maiestatis Christi. Rogas, quid machinam seu fabricam ex ea apparitione filiorum Dei lucri maneat? Audi quid sequatur:

Creaturæ lucrū imminet ex mūdi resolutione.

Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Lucrum hocce creaturam manet. Asseretur in libertatem, ne porrò corruptionis inseruiat: adde quòd etiam innouabitur, secundæ Pet. 3.

Non solùm vindicabitur immunitati operum, verumetiam longè meliorem statum induet, nulli iam mortalium notum Chrysostomus dicit hic, creaturam futuram incorruptibilem æquè atque corpus humanum, simulac cum corpore humano sit facta corruptibilis. Item affert simile nutricum regij infantis, quas alumni demum in regium fastigium euecti, sui honoris solent participare. Sic dicit, creaturam propter alimoniam & omne seruitutis genus, quo filiis Dei iam inseruit, in illa die quoque talis operæ præmium suum accepturam. Iam si creatura tali spe est suffulta, quare nos, quorum ministra est creatura, diffidamus? Nobis gloria Christi merito est parta: nostrum ergo est, redemptionem instantem in multa patientia expectare: quod nisi fecerimus, creaturam nos accusatricem faciemus.

Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Schema sensuum atque effectuum creaturæ Apostolus prosequitur, in consolationem omnium piorum, qui in hoc mundo affliguntur. Mundus ingemiscit & parturit. Mulier, cùm parit, item ingemiscit: sed sustinet spem partus. Nos quoque tam vanitatis, quàm peccati & mortis, immunes propediem constituemur. Parere periculosum esse nemo nescit. Creaturæ hinc collige anxietatem, quæ vanitati seruit. Tu quoque homo fidelis, considera & te hic manere afflictionum varia genera. Taceo hic, quòd tam cælestis quàm terrestris creatura, etiam innumeris, maiori puta parti hominum, ministrat ad eorum perniciem. Sentit quodammodo hoc creatura, atque adeò seruit inuita: seruit tamen, quia est æmula bonitatis Dei, qui longanimitate sua etiam bene facit indignis. Hæc omnia eo dicta sunt, vt filij Dei, qui iam parturiunt, hoc est, qui in afflictione ipsa vndique sunt circumuallati, exemplo tali consolationem sumat. Dicit creatura illis: Bono animo estote: ego non minus, quàm vos, expecto immunitatem & vacationem seruitutis tristis eius, quam iam inuita suffero. Sed sufferendo vincenda omnis anxietas. Ego patior propter vos: facite, sitis, & vos propter Deum quid sufferatis. Tibi merces parata magna, Matth. 5.

Creatura non citra dolorem parturit.

Creaturæ brutæ sensus tribuit apostolus per pathopœiam.

Sensum hic atque affectum tribuit Apostolus creaturæ brutæ, nempe desiderandi, ingemiscendi, parturiendi, &c. Possumus dicendi illum tropum vocare pathopœiam, iuxta grammaticorum illam prosopopœiam. Angelicæ creaturæ hic non excluduntur, de quibus alibi.

Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri, In Christo Iesu Domino nostro.

Releuatio nem pij omnes anxiè expectant.

Omnis creatura ingemiscit & parturit, resolutionem vniuersitatis expectando, vsqueadeò, vt etiam apostoli & apostolici viri, ad ingemiscendum & parturiendum prouocentur. Cupio, ait, dissolui, & esse cum Christo, Phil. 1. Quis in vegastulo corporis peccati non ingemiscat, cum Apostolo dicens: Infelix ego homo, quis liberabit me ex hoc corpore morti obnoxio? Apostolus dicit 2. Corin. 5. In hoc (corpore) gemimus, domicilio nostro quod è cælo est, superindui desiderãtes. Et paulò suprà in eodem cap. Scimus quòd si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus domicilium non manufactum, æternum in cælis. Vtinàm veniens è cælo Dominus Iesus, transfiguret corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso, Philip. 3. vt appareamus, quales futuri sumus, 1. Ioan. 3. Apocalypsin eam Apostolus vocat manifestationem filiorum Dei. Quatuor hic, quæ desideremus, potissimùm subscribuntur. Primum, vt futura gloria magnificetur in nobis: secundum, vt veniat libertas: tertium, vt hæreditas nobis contingat: quartum, vt ex hoc corpore mortis liberemur. De adoptione vides in epistola ad Galatas. De liberatione corporis, vide dominica secunda Aduentus. Atque hæc oratio, est finis omnium dogmaton de Christo. Propter illum, qui currit, currit: qui seminat, seminat: qui precatur, precatur: qui patitur, patitur. Primitias spiritus Apostolus hic vocat præcipua charismata spiritus sancti, quæ in primitiua ecclesia apostoli præcipuè acceperunt. Apostolici ordinis maiestas, primitiis istiusmodi est declarata. Apostolos siquidem Dominus primos posuit, 1. Cor. 12. Meritò ergò prima laus ipsis refertur accepta. Vide Origenem & Hieronymum. Discipuli Domini plerunq; potiora.

tiorá Dei dona receperunt, quia missi erant in vniuersum orbem prædicare euangelion Christi. De hac legatione gratias agimus Domino Deo æternas, per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

EADEM DOMINICA IIII. POST Trinita. Euange. Luc. 6.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.

PRAEFATIO.

PErquàm necessàriũ est Christigenis omnibus, vt nõ solùm promissionum lenitate subindè demulceantur, verùm etiam præceptorum calculis vrgeántur. Vtrunque enim & Christum & prophetas fecisse constat. Pseudoprophetæ blandissima saltem & placentia cùm regibus tum populo proposuerunt. Hos potiùs quàm illos, noui euangelistæ nostrates sequi malunt, vt populi plausum & principum gratiam venentur. Viderint verò tam auditor quàm prædicator, quis eos maneat exitus. Noster Dominus & magister Iesus Christus, non meram fidem & vanam credulitatem ponit iustitiæ fundamentum, sed vt peritus medicus, fidei dulcedini mandatorum miscet amaritudinem, vt olei lenitas & vini acrimonia mista, pharmacum efficiant euangelicum: nempe hoc, Homo baptizandus in remissionem peccatorum, Acto. 2. Rom. 2. 3. credat Christum Iesum filium esse Dei viui, Matt. 16. hominem factum ad saluandum genus humanum, Matt. 18. Mar. 16. Acto. 1. 4. 10. Rom. 3. 10. Ephe. 1. In hac fide præbeat membra corporis sui, iuxtà atque animam, seruituti iustitiæ, quæ in vitę nouitate consistit, Rom. 6. item in sanctitate sita est, Luc. 1. 2. Pet. 3. Hanc nouitatem vitæ Dauid duobus pedibus pulchrè incedere facit, dicens: Declina à malo, & fac bonum. Et Esa. 1. ait: Dediscite malè facere, & benè agere assuescite. Euangelium sub vno præcepto charitatis vtrunque complectitur, Ioan. 13. 15. Rom. 13. Gal. 5. Porrò charitatis præcepta multa tradit. Hoc potissimùm loco quinque saluator nobis commendat: quæ nisi custodierimus, amicum illum habere non poterimus, Ioan. 13. 1. Cor. 7. Credere saltem (1. Cor. 13. Iaco. 2.) & dicere: Domine Domine, Luc. 6. est stultè in arenam non profutu-

Olei lenitate & vini acrimonia pharmacum euãgelicũ

ram ædificare domum, Mat. 7. Quatè præsentem lectionem, tanquàm veræ Dei sapientię certam & locupletem institutionem subacerbam, melicis Sirenarum hæresion illecebris, mortem præsentem illaturis, præferendo, audite & custodite.

Christus vult nos primò bonos esse, & deinde bona operari.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Hic primò nobis, esse præscribit: in sequentibus, facere. Hic vult nos esse bonos, posteà mandat vt bonos edamus fructus: quod præstare non poterimus, nisi boni extiterimus. Quidquid enim corde non puro protulerimus, boni speciem mentientes operis, hypocrisis est & fucus. Simulator iustitiæ quærit, sed nescit quid: currit, sed nescit quò. Bonitatis Christianæ præcipuum argumentum est misericordia: vndè mandat hic primò, vt simus misericordes. Deus bonus & bonitatis fons, ex misericordia præcipuè dinoscitur. Misericors & miserator Dominus, patiens & multæ misericordiæ, Psal. 85. 140. Et Christus filius Dei hoc potissimùm argumento comprobatur: nam mansuetudo Christi apud omnes ferè prophetas celebratur. Misericordia autem in duobus

Misericordia in duobus propriè consistit.

propriè consistit: in affectu nimirum, & effectu. Illud δικτιρμὸν vocat Apostolus, Phil. 2. hoc ἐλεημόσυναν euangelista Matt. cap. 6. Illud est ægritudo cordis ex miseria aliorum iniustè laborantium: hoc (licet & ægritudo sit ex aliorum incommodis suscepta, æquè atque illud) auxilium magis atque opus importat. Alterum ex altero profluit. Dominus hic radicem quærens, bonos nos esse volens, primò vult, vt cor super miseros & egenos intendat atque commoueatur, quia Psal. 41. habet: Beatus qui intendit super egenum & pauperem. Et Apostolus ait: Si dedero omnes facultates meas pauperibus, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest. Exemplum miserationis petamus ex ipso Christo Mat. 15. Mar. 8. Luc.

Commendatio misericordiæ.

7. 10. 18. Item Matt. 9. Marc. 6. Commendatio eius virtutis amplissima exprimitur. Ose. 6. Matt. 9. Misericordiam volo, & non sacrificium. Et satis magna eius virtutis prædicatio vel in hoc relucet, quòd similitudinem & instar Dei præsentissimum referre perhibetur. Huc facit & illud Poëtæ:

Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis.

Ad hanc virtutem exhortantur nos & euangelistę & apostoli, Mat. 18. 23. Ephe. 4. Col. 3. 1. Pet. 3. Commendatur nobis hic à fine & mercede, teste Theophylacto. Mercedem pollicetur, dicens nos fore similes Deo. Latè se hæc virtus exerit, fons est diues riuulorum, arbor felix frondium & ramorum, quod sequentia illucidant.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Charitas & misericordia vetant, ne suspicemur & temerè fratrem iudicemus: immò magis omnia benè interpretemur, multitudinemque peccatorum operiamus. Meum est iudicium, ait omnipotens cardiognostes rectè iudicans. Contra maligna nostra iudicia, quæ saluator hic prohibet, dicit Apostolus Roma. 2. Inexcusabilis es ô homo, quisquis es qui iudicas. Nam hoc ipso quòd alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim facis quæ iudicas. Contra detractorium iudicium dicitur Rom. 14. 1. Cor. 4. Iac. 4. Contra friuola, Col. 2. Contra dubia & falsa, Ioann. 7. Domino ergò omne iudicium permittendum, Psal. 49. 2. Tim. 4. Heb. 12. Iustus se prior accusat, Pro. 18. Iniustus ergò, quisquis alterum dente rodit Theonino. Verum est vetustissimum Iudæorum prouerbium 1. Reg. 24. Ab impiis egredietur impietas.

Charitas non est suspiciosa.

E proprio cantu volucris dignoscitur omnis.

Sic Nabal iudicauit Dauida, dicens: Hodiè increuerunt serui, & fugerunt dominos suos. Dicis: Non licet mihi dicere id quod res ipsa est? Item: Nónne licet fugere hæreticum hominem? Item, Quare concionatores subindè iudicant & damnant alios è suggestis publicè? Respondeo: Iudicare Dominus prohibet, magis vetat scriptura calumniari, 1. Cor. 5. Admonere verò & amice arguere fratrem errantem, inter te & ipsum solum, remotis arbitris, salutare est & meritorium, Matt. 18. 2. Thess. 3. Ephes. 5. Si nihil sic profeceris, dic ecclesiæ: Si nec ipsam audierit ecclesiam, tum demùm vita non minùs quàm ethnicum. Verùm caue nè & hic temerè iudices. Audi Apostolum 1. Cor. decimoquarto. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Interim tu sic cogitabis: Domino suo aut stat, aut cadit. Tu quid iudicas alienum seruum,

Iudicare & calumniari scriptura vetat, non arguere.

Rom.14? Teipſum potiùs incuſa, neq; te quæſieris extrà. Quantùm ad hæreſin attinet, fac tu ſenſum, quem è matris eccleſiæ ſuxiſti vberibus, teneas. caue matrem irrideas eccleſiam. Si ab eccleſia aliquos deficere obſeruaueris, atque eccleſiam eos ferre videris: tu quare hic hęreticum non ſolùm, ſed & eccleſiam traduxeris, illum erroris, hanc lenitatis? Vitandi hæretici, ſed non ſugillandi, non proſcindendi. Denique eccleſiaſtæ officij eſt, arguere & increpare tempeſtiuè, intempeſtiuè: ſed & hoc cum omni animi lenitate. Tu qui priuata perſona es, vſurpationem partium eccleſiaſticarum fuge. Neque item iudicium eſt aut condemnatio, quòd preco verbi Dominici, in flagitioſos quoſlibet ſtrenuè inuehitur, ſed paſtoralis eſt cura & ſalutaris caſtigatio. Et hic officium, in quo Chriſti ſpiritus operatur, atteudendum, non præconis perſona.

Calumnia non eſt, è ſuggeſto in vitia intonare.

Condemnamus alios tam verbisquã factis.

Nolite condemnare, & non condemnabimini. Condemnamus primò, cùm dicimus, Dignus eſt ille quem carnifex patibulo ſuſpendat, cui terra dehiſcat, quem diabolus diſcerpat. Indignus in quem ſol reſplendeat. Secundò, fit facto, cùm eum quem indignum noſtris officiis iudicamus, aut non iuuamus, aut moleſtamus. Condemno, ſiquidem tantundem eſt, atque, Damno officio. Sic indemnis dicitur, qui eſt ſine damno. Vtraque harum condemnationum charitati pugnat. vtranque Chriſtus hic vetat. Abraham, Iſaac & omnes alij patres, cùm indigna paterentur, non condemnauerunt errantes, ſed magis excuſauerunt, magis ſua illis officia exhibuerunt. Quod vnquàm Dauid contra Saul verbum condemnatorium protulit? Et quibus non proſequebatur officiis? Et Moſes etiam iratus, non dixit: Domine, dignus eſt populus ille quem perdas. Sed ait: Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum. fecerunt enim ſibi deos aureos. verùm tu Domine dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti, Exodi 32. Et Apoſtolus optabat anathema eſſe Deo pro Iſrael. Chriſtus quoque ipſe factus eſt pro nobis maledictum, noſtram in ſe recipiens culpam. Verùm cui charitas deeſt, quid aliud faciat, quàm vt verbis & factis fratrem offendat, pugnetque illi qui dicit: Quod tibi non vis, alteri

ne feceris? Tuo tu iudicio, tuaque temeraria censura, nihil efficies: Deus viuorum & mortuorum iustus iudex, iustè iudicabit. Soluit & ligat in ecclesiæ officio. Viderit quisque vt suo officio ritè defungatur. Sunt peccata iudicium Dei præcedentia: sunt & quę sibi iudex viuorũ & mortuorum reseruat. Nemo iusti iudicis effugiet iudicium. Supereſt ergò vt ea quæ pacis sunt, sectemur.

Ferendæ iniuriæ etiã ethnicorum authoritate.

Dimittite, & dimittetur vobis. Si quid in te admissum est, forti animo suffer. Pertinet fortitudo ad scientiam perferendarum iniuriarum, teste Cicerone 4. Tusc. quæst. Præsta ergò te virum fortem, non ad vindicandum iniurias, sed ad præferendas eas. Melior siquidẽ (Pro. 16.) est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Magistratus nouerit, vt secundùm legem sontes, plectat, nec ipse in legem impingat. viderit vt citra omnem animi concitationem gladio vtatur, ne apud Deum reus homicidij teneatur. Certè priuatus ad remittendum hoc euangelico cogitur præscripto. Et qui in potestate est, si suam ipsius iniuriam vlciscatur, præuaricatur. Tam seruus quàm Dominus, facilè proximo in se delinquenti iniuriam, quantumuis magnam, condonauerit, si rectè secum reputauerit, quis & quantis ipse Deũ quotidiè erratis offendat, memor scripturæ q̃ dicit: Septies in die cadit iustus. Indulgere hoc, Græco verbo dicitur ἀπολύω, id est, absoluo. Poterit & meo iudicio hic legi: Absoluite, & absoluemini. Videtur enim hic locus propriè prolatus in hypocritas phariseos, qui foris se lauabant, iustosque arbitrabantur, intùs pleni inuidia & latrociniis. Sed per nos suo quisque abundauerit sensu. Et nos nostro abundantes, faciamus hic textus habeat ἀφίεμαι, id est, dimitto, libero, absoluo. Nam & hoc vocabulo quotidie vtimur in oratione Dominica, dicentes: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos absoluimus debitores nostros. Vult paria facere Deus tua debita cum debitis illis, quæ tu fratri tuo dimittis. Magna in oratione diuina (teste Chrysostomo) certitudo nobis remissionis peccatorum proposita est, si modò nos dimiserimus. Contrà quo ore Deum (vt cum Ambrosio loquar) conuenimus, vt nobis dimittat, si non absoluimus nos? Dicis te certum esse, tua peccata tibi

Remittẽs debita fratri, mereberis remissionem peccatorum.

Deũ remittere. Rogo ergò ego: quomodò tibi tua commissa remittat sine pœnitétia, sine pœnitétiæ dignis fructibus, sinè fratristui in te cõmissorũ remissione? nónne vt pœnitétia ad peccati remissionẽ opùs est peccatori, sic etiã opùs est vt ꝓximus ꝓximo in se peccanti sua errata dimittat? Obseruandũ hic quod S. Aug. dicit in Psal. 143. Vis vt dimittã? Dimitte. Est aliud opus misericordiæ. Vis vt dẽ? da. Da, & do. Et quæ dimittit? q̃ dat? Nõne charitas? Et vndè charitas, nisi per spiritũ sanctũ qui datus est nobis, &c? Adeò cor nostrum vel iræ, vel indulgentiæ Dei testimonium nobis profert. Breuiter: sola condonatio Dei bonitatis nobis est argumentum. Neque enim Deus vllam pœnitentiam recipit, hac misericordiæ parte neglecta, Matt. 5. Atque hæc hactenùs.

Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefffluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Eleemosyna habet multas promissiones.

Postremum hoc Domini præceptum, magnam habet appendicem, puta promissionum, quia in maiori versatur negocio, nempe in dando. De eleemosyna experientiam habemus, neminem ea depauperari, vel iuxta prouerbium Germanicum. Hoc & ethnicis (quod non immeritò cui mirum videbitur) certum fuisse, ex hoc poetæ constat, dicentis:

Vilia qui quondàm miseris alimenta negabat,
Nunc mendicato pascitur ipse cibo.

Eleemosyna ditat, non depauperat.

Sed nostros nos potiùs audiamus. Prouerb. decimonono. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Aeterna tabernacula parat eleemosyna Lucæ decimosexto. Satiùs est dare quàm accipere, Acto. vigesimo. Largire igitur, & dabitur tibi. Porrò largire citò, da sponte, da ex certa commiseratione, vt donum tuum eleemosynæ nomen mereatur. Qui citò dat, bis dat. Et hilarem datorem diligit Deus. Et verum est quod 1. Offi. capite trigesimo dicit Ambrosius: Nulla est beneficentia, vbi nulla est beneuolentia. Hospitales estote, ait Petrus, sine murmuratione, 1. cap. quarto. Non tam munus, quàm manum æstimat Deus. Qui parcè sementem facit, is & parcè messurus est. Potens est Deus (ait Apostolus) facere, vt totum beneficium in vos exuberet, vt

in omnibus omnem ſufficientiam habentes,exhuberetis in omne bonum,quemadmodum ſcriptum eſt:Diſperſit, dedit pauperibus,iuſtitia eius manet in ſeculum,2.Cor. 9.Pſal.112.Hoc vult & Saluator,hic bonæ menſuræ métionem faciens. Nec moueat aliquem quod dicat, Dabunt. Non enim dabunt, quicunque illi retributores ſunt,niſi ſecundum noſtrum bonum propoſitum, quod ex ſequentibus euinci poteſt: Dabunt menſuram bonam,confertam,coagitatam,&c. Obſerua,menſurę vocabulum, hic tam liquida quam arida compræhendęre. πεπιεσμένον,id eſt,preſſam.σεσαλευμένον,id eſt,concuſſam, Menſura,qua res metiundas premimus,concutimúſque, certè aridarum eſt rerum.Sequens dictio,ad liquida magis pertinet, ὑπερεκχυνομένον,id eſt, ſupereffluentẽ.Interpres græcam vocem ſatis expreſsit: nam & Latinum, Fundo fundis,de liquidis propriè accipitur. Significatur autem hoc loco opus miſericordiæ cibandi & potandi: ſed per tot epithera magis nobis paſtio commendatur.dicitur enim,concuſſam,confertam,&c.Magis cibatione quam potatione opus habent miſeri. plures ſiquidem inedia quam ſiti pereunt.In vtroque cæterorum operum miſericordiæ ſignificatio continetur. Promittit ſe Deus pro noſtra clementia fore clementem: neque enim (teſte Theophylacto) eadem qua nos elargimur, menſura nobis reddi poteſt,cum maiora promittantur: pro noſtro ſiquidem affectu dabunt nobis, Dabunt vobis,ait. Qui autem ſunt datores illi? Pauperes qui à nobis acceperunt. Nam & ſic infra dicitur 16. Recipient vos in æterna ſua tabernacula. Menſuram bonam, ſuffertam,conquaſſatam, & ſupereffluentem Lazarus diuiti ſuppeditaſſet, hac à damnationis ſententia liberaſſet, ſi ex vera compaſsione illi vel micas ſuæ menſæ cupitas dediſſet. Antimetron erit poſthac, ſimulac gloria filiorum Dei manifeſtatur. Immo & chœnix modiusque, quo plus capiat,cõcutietur.Omnia ſiquidem quę in hac vita malè patrata ſunt, illic in memoriam reuocantur. Recordare,ait,quia recepiſti bona,&c.De hac viciſſitudine habes infra 14.Col.3.De mercede habes Matt.5.10. 1.Corint. 3. 2.Ioan.omnia tamen ad Dei miſericordiam referenda, quod huius lectionis præcipuum eſt caput.

Menſuræ vocabulũ.

Pauperes retributores.

Pauperū retributio ad Dei misericordiā referenda est.

Nam statim dicitur: Sicut pater vester misericors est. Vnde euangelista circunspectè hoc quod dixit, Dabunt, quodammodo declarat atque corrigit, subinferēs, Dabitur vobis: vt discamus, ad Dei bonitatem referenda omnia. Et Dominus sibi acceptum fert, quidquid in miseros contulerimus: quo fit, vt etiam per manus inopum nobis in cælo thesaurizemus. Non alius baiulus, non alius currus, nec alia nauis oneraria nobis esse potest, quo nostra illa præmittamus, nisi pauperum ventres Chrysostomus vocat pauperum ventres horrea æternitatis: Hunc locum de antimetro, vti Matth. 7. & Marc. 4. describatur, operæ precium est. vt sacerdos studiosus sedulo videat.

Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Duæ hæ parabolæ, altera de cæcorum duce, altera de discipulo perfecto, disiunctim leguntur: quasi ad ea quæ supra dicta sunt, non pertineant. Sine negocio vero possunt superioribus adiici. Cohærere videbis, si ita accipias, quasi Christus vtrunque dixerit in temerarios iudices, qui alios fastidiunt & diris deuouent, eadem committentes, de quibus alios condemnant. De cęcis illis dicitur Rom. 2. Confidis te ipsum esse ducem cęcorum, lumen in tenebris versantium, eruditorem insipientium, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris, &c. Iaco. 4. Qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Qui iudicat legem, non est factor legis, sed iudex. Sal fatuum nihil prodest, Matth. 5. Luc. 14. Si lumen quod in te est, tenebricosum est, ipsæ tenebræ quantæ? Luc. 11. Si ecclesiastes delirat, si magistratus ineptit, plebs incipiēs non esse non potest. Si corruit sacerdos, qui stare poterit laicus? Labascente principe, cadat & populus oportet. Ignorantia ducis, est calamitas populi sequentis. Corrúpunt magis exempla, quod poeta ait, magnis authoribus orta. Hæc ad primam similitudinem. Sequitur secunda: Non est discipulus supra magistrum. Hoc est: Si vocatus es ad prælatum & magistratum, agè imitare & tu magistrum

Cæcus dux catus, casus certus.

Magistrū Christum imitari habemus.

eum, cuius te discipulũ esse iactas. Cœpit Iesus facere & docere. Tu quoque Christi exemplo prius vita ipsa, quam doctrina, docere. Durum est, inquit Gregorius, vt qui nescit ferre moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ. Si magistrum Iesum sequeris, nihil operis boni omittis, nihil mali committis, omnibus te submittis, nulli te præfers, amas omnes, etiam infimos, quoscunque perditos amicè quærens. Si magistrum audis, etiam si omnia quæ tibi præcepta sunt, præstiteris, seruum te inutilem dices. Sic secundum tuam mensuram similis magistro tuo euades. Græcum κατηρτισμένος, Theophylacti interpres vertit, elaboratus. Sensus est. Perfectus erit & elaboratus, qui tam vita quam doctrina, hoc est, qui & exemplo vitæ & religionis præceptis magistrum suum imitatur. Quisquis fecerit & docuerit, hic magnus, expolitus & perfectus vocabitur in regno Christi, Mat. 5. minimus qui docet, & non facit. Petẽti da, cupienti mutuum accipere, nè auerseris, inimicum dilige: & pro tua capacitate eris perfectus, quemadmodum pater cęlestis, Ibidem. Breuiter: Sequere & audi Magistrum tuum, & ecclesiasticæ perfectionis gradum continges. Si alterum neglexeris, hoc est, si doctrinam Christi plurimi feceris, eamque verbis subindè exornaueris, aliisque eam studiosè commendaueris, hæc, inquam, si omnia præstiteris, exemplum vero ipsum neglexeris, nullus eris.

Patricæ-lesti & magistro Christo vt similes fie ri possim.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non conspicis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

Vestra charitas audiuit, bonæ mensuræ similitudinem ad dandi & operandi præceptum pertinere. Præsens, quod iam audistis simile, ad præceptun de non iudicando & condemnando quadrare, nunc quoquè audiatis. Parabola cæci ducis, ad idem præceptum de non iudicando, facit. Repetit hic, vt inculcet. Inculcatum autem vult, quia mundus temerariis iudiciis est plenus. Festuca, est & arboris, & nouellæ omnino infantis, & cuiusque sati pullulus. Sunt qui pro puluisculo aut pro acere *quid-* *Festuca*

Trabs quid.

accipiant. Trabs, vel trabis, dicitur à trahendo, quod in altum trahatur. Propriè, secundum Festum, sunt duo ligna ædificij simul compacta. nam cum simplicia sunt, non trabs, sed tigna dicuntur. Hic maximum aliquid significat, quemadmodum festuca minimum quiddam. Hanc Saluator aliorum peccatis confert, eorum nimirum qui iudicantur: Illam cuiusque oculo proprio, eius nimirum hominis qui alios iudicat, inesse dicens, maximæ culpæ temerarios iudices insimulat. Non comparat alterum alteri, sed iudicantis culpam, longè grauiorem apud Deum esse ostendit culpa iudicati: vt sit bis terque malus, qui alios iudicat & condemnat, ipse non innocens. Prim malus est in se, quia eadem facit quæ in aliis reprehendit: secundo peior, quod aut leuitatis, aut superbiæ aut inuidiæ vitio temerè de fratre iudicat: tertiò pessimus est, quod ante tempus iudicans, ecclesiæ sibi officium vsurpat, & Dei maiestatis honorem sibi vendicat: quasi sibi frater magis, quam Deo, aut stet, aut cadat. Et quis poterit crimen maligni iudicis satis peruidere? Certè immensam esse, præsens parabola declarat. Et quid attinet hominem antè tempus iudicare, cum Deus potens sit lapsum erigere, sic vt eum qui hodiè sit Saulus, crás aut perendiè faciat Paulum: & eam quæ iam peccatrix est infamis & abiecta, actutum compunctam corde, Christus filiam agnoscat dilectam Luc. 7. Et nihil attinet nos præiudicare, cum omnes ante Christi stabimus tribunal, iuxta hoc quod scriptum est: Viuo ego, mihi flectetur omne genu. Et hoc, Datũ mihi omne iudicium. Et hoc, Quem Dominus constituit iudicem viuorũ & mortuorum. Mirum quam aliorum iudices illi, sint sagaces & lyncei in odorandis & videndis aliorum erratis. Ad olfaciendos aliorum pedores, nasum habent rhinocerotis, omni vertago sagacioré: sed quid in suo sinu fœtorem virusque odorent, magis simi sunt quam capellæ, odoratuque magis sunt priuati, quam ij qui coryza laborant. Et in videndis aliorum turpitudinibus & mendis, lumina habent aquilinis magis clara, quibus vel lyncas & serpentes Epidauri vincant, ad sua vero vitia agnoscenda talpas dixeris. Hic lamias poëticas penitus referunt, nihil n in aliis videntes, nihil nisi oculus: verum quo

Maximũ crimẽ est alios iudicare.

Euãgelista noui veraq; lamias.

ſua flagitia videant, ne vnum quidem oculum habentes, Quadrat in eos, quod (iuxta Sophoclis dictum) πόῤῥωθεν (i. eminus) acutè videntes, ſed ἔγγυθεν (id eſt, cominus) cęci exiſtãt. Lamias eas Theocritus in hęc deſcribit verba:

Quas lamias dicunt, quibus eſt exemptile lumen,
Quas vigiles aiunt extra ſua limina lyncas
Eſſe, domi talpas, &c.

Iterum idem:

Lynceæ quæ paſſim circumuertuntq; feruntq;
Lumina, per plateas, per agros, per rura, per vrbes
Omnia ſcrutantur, penſant, rimantur, &c.

Pertinet & huc illud poeticum:

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Temerariis iſtiuſmodi iudiciis omnia ſunt hodiè plena: nihil vndique auditur, niſi inuectiuæ & lœdoriæ. Qua in re excellunt præcipuè noui euangeliſtæ, qui ne ipſis quidem parcunt diuis, peiores omnibus retro ſeculorum hæreticis. Neque enim de Donatiſtis, qui præ cæteris hæreticis eccleſiaſticos maximè vitiorum traducere ſolebant, vſquam legas, quod & diuos ſiue beatos ipſos tanta peruicacia diiudicare auſi fuerint. Apoſtoli noſtrates illi, quid non faciant viuis, cum etiam beatis graues & moleſti eſſe non vereãt? Non ſat habẽt, quod alios quoſcunque, cuiuſcũque itidem ordinis & dignitatis, Papiſtas & priapiſtas appellando, omnibus verborum etiam ſcripturæ inſectentur conuiciis, niſi etiam canticis & picturis infandum de honeſtent. Et nè quis dubitet, quid trabs in oculo eius qui alios condemnat, exiſtat: vſque adeo ſunt vitiis omnibus dediti, diaboli hi & Belial filij, vt quiuis bonus eum ſibi potiſsimum cõmendatum habere poſſit, quem illi damnant. Quid enim virtutis apud eos ſperes, qui meritis potiſsimũ detrahunt? Saltem ſe aliis meliores ducunt, quia plus quam alij credunt, nempe tredecimum articulum fidei, Sola fides iuſtificat: decimũquartum, Opera quantunuis bona, ſunt peccaminoſa & gehennæ meritoria: decimumquintum, Deus facit malum. His & aliis hoc genus Luteranæ ſcholæ articulis, ſanctiores ſe cæteris haberi volunt, atque ex iſthac luce oculum ſe cæcorum & lumen totius mundi obtrudunt.

Prælati eccleſiis, nimium in alterã partem declinant.

Sunt ex altera parte, qui ocia, inertiam, luxum, concubinatum, furta & raptus, simoniam, sacrilegia, & talium vitiorum lernam dissimulant in se & in suis: hæreticos verò & præcisos subinde condemnant eos, qui in quadragesimalis ieiunij tempore, lactariis vtuntur & ouis vescuntur. Anathema item illis sunt, qui cucullos nõ gestant voto gestandos susceptos: item eos qui Breuiarium rariùs attingunt, biblia vero frequentius legunt. Anathema maranatha habent eos, qui verbum Dei canonicæ scripturæ commissum, decretis præferunt iuris pontificij, quíve veritati consuetudines posthabent. Ocioſe illis scriptum est: Non est regnum Dei cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Non mediocriter illis hallucinatur Hieronymus, dicens: Non mediocriter errat, qui minus bonum maiori præfert. Cessent hi tandem camelum deglutiendo, colare culicem: quin hoc potius iudicent, ne ponatur offendiculum fratri. Summa summarum: omnes temerarij iudices, vel poetas & ethnicos audiant:

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem:
Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse quod hic est.
Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cùm culpent alios, nemo sine crimine viuit.
Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, quem culpa redarguit ipsum.

Seruator vitia parua ea, quæ hic festucam vocat, alibi, nempe apud Matth. cap. 23. appellat muscam: crassa vevera, camelum. Ad quod poeta alludit, hæc tubera, illa verò appellans neuos. Væ nobis, qui in euangelica luce, eò tenebrarum deuenimus, vt ethnicorum institutione opus habeamus.

Christiano magistratui in cũbit animaduertere in sontes.

Chrysostomus timet plerosque hoc loco opinionem concepturos, quasi non liceat Christiano magistratui animaduertere in sontes. Sed non poterit is sensus hic elici. Dicitur enim hic contra hypocritas, & non cõtra veros episcopos & iudices Dei timentes. Et hoc obseruandum quod dicit, Eiice trabem ex oculo tuo, vt possis deinde festucam ex fratris tui oculo eximere. Huc adducendum, quod de iure gladij dicitur Roma. 13. Ité, quod Timotheo præscriptum est: Argue seueriter, vt cęteri ti-

morem habeant. Exẽplum eius correptionis ſeueræ habes in vtraque Corinthiorum epiſtola. Item Phil. 3. vbi ait Apoſtolus: Nunc autem flens dico, inimicos crucis Chriſti. Quod ad feſtucam & trabem attinet, Matthæus graphicè proſequitur cap. 7. Conferat hæc loca inter ſe ſtudioſus ſacerdos. Nos ſummã huius loci in pauca conferentes, dicimus iram Dei manere omnes ſeueros hypocriticos tyrãnos, temerarios, leues, ſuperbos & inuidos aliorum iudices & condemnatores omnes: Item eos qui dare remitteréque ex animo nõ ſatagunt neque volunt. Faxit Deus hypochriſin omnem corrigentes, ipſum magiſtrũ veritatis Ieſum Chriſtum audiamus, lucémque ſanctam ſequamur. Amẽ. Huic cum patre & ſpiritu ſancto ſit par laus & gloria per æterna ſecula. Amen.

DOMINI. IIII. POST TRINITAT. Lucæ, 6.

Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter, &c.

Senſus literalis eſt etiam myſticus & moralis, præcipuè verò Epiſcopos & ſacerdotes locus hic clementiæ & manſuetudinis admonet, iuxta hoc Apoſtoli: Si implicitus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi admonete modeſtè, conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris. Cohæret ſuperioris diei Dominicæ lectioni, in qua Chriſtus potiſſimum taxauit inſolentiam phariſæorum. Dein & in hac lectione admonemur miſericordiæ in cæteris rebus omnibus.

¶Sectio lectionis eſto.

1 *Præceptum miſericordiæ affirmatiuum exemplo patris, & negatiuum miſericordiæ duplex. Iterum affirmatiuum duplex.*

2 *Promiſſio præmij pro miſericordiæ operibus & cõminatio ſupplicij pro ijſdem neglectis.*

3 *Admonitio cautionis ad eos, quorum intereſt alios errati corrigere.*

Verſiculi Euangelion complectentes.

Sis miſerans, non index, condemnare caueto:
Condona: da: menſura metietur eadem:
Exoculatus nemo poteſt bene ducere cæcum:
Ex oculo proprio fac ipſe trabem tibi demas.

¶EXPOSITIO.

1 *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter, &c. Nihil eſt quod Chriſtus peius odio habeat, atque faſtidioſos illos hypocritas atque*

*phariſæos, regnũ cælorũ * aliis claudentes, nec * ipſos ingredientes. Petro dicit: Amas me plus his? & ſubdit, Paſce oues meas. Petrum item paſſus eſt labi, teſte Leone, vt lapſis poſſet compati. Vi de. 26. quæſt. 7. Alligant. Verba Chryſoſtomi: Melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem. Miſericordia maximà pertinet ad nouum teſtamentũ: in veteri iuſtitia fuit magis rigida, in qua omnes patres vſque ad Ioannem Baptiſtam, in limbum deſcendere cogebantur. In nouum teſtamentum quadrat illud Pſal. 33, Miſericordia domini plena eſt terra. Quantum ad canonum rigorem attinet, ſynodus ſancta ſanctè obſeruetur. De qua re viderint epiſcopi & Eccleſiæ correctores.*

2 *Non iudicabimini. Nõ condemnabimini. Dimittemini, Dabitur. Eadem menſura, &c. Menſura conferta, &c. præmiũ non ſolùm æquum, ſed & ſuperfluum ſignificat. Pſalm. 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Pſalm. 102. Qui replet in bonis deſiderium tuum. Matth. 19. Centuplum accipietis. Eſa. 64. Quæ oculus non vidit, &c. Exemplum, Sanctus Martinus, qui dedit partem chlamydis. Immo etiam vidua, quæ dedit aſſem. Non perdit mercedem qui dat aquæ frigidæ hauſtum. Contra, Lucifer ſuperbus ineffabiliter torquetur, Eſa. 14. Nam & miſericordia potiſſimum reges decet, Prou. 20. Eccle. 4.*

3 *Nunquid poteſt cæcus cecum ducere? Qui alios corrigere habet, primo ſe lapſorum offendiculum credat, cæcum ſe cæcis ducatum præbuiſſe, ſe lucem & ſal aliorum eſſe oportere: magiſtrum ſe, alios diſcipulos eſſe: fieri non poſſe, niſi ipſe præcellat, plebem frugi eſſe poſſe. Dein ſua peccata coram Deo trabem eſſe conſideret, & ſubditorum commiſſa eſſe feſtucam. Grauius ſiquidem peccata magnum Deum oſtendunt. Summa: Neque vinum ſine oleo, neque oleum ſine vino vulnera animæ curat. Scriba doctus, noua & vetera vt depromat, nouerit.*

DOMINICA V. POST TRINITATEM, 1. Pet. 3.

OMnes vnanimes in oratione eſtote, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis, &c.

PRAEFATIO.

VT compendioſè, ita etiam affatim & ſanctè ſummam Chriſtianiſsimi complectitur & explanat apoſtol⁹. Nec eſt vt preſens laconiſm⁹ vlli tediũ faſti-

diúmve inferre posſit. Qui hæc perlegit & relegit, ad legendum inflammatur. Sectio esto: Primò mores fideliũ format. Secundò patientiam nobis & perseuerantiam in bono opere commendat. Persanctè suadet: vtinam persuadeat. Ipsum apostolum audiamus:

Omnes vnanimes in *oratione estote, cõpatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.* Ethicam præsentem quinque nobis tradit articulis, dignis qui quotidie quinque digitis, qui & ipsi articuli sunt, dinumerãdo, memoriæ commendentur.

Ethicam quĩque articulis cõprehensam, digitis connumeratam, memoriæ mãdamus

Pollici tribuatur homophrones, hoc est, concordia & vnanimitas doctrinarum & disciplinarum sanctarum. Hac virtute cauentur schismata. Aurea vnitas, diuina vnitas. Infamis numerus vnitatem auferens. Vnus Deus, vna fides, vna Ecclesia, vnus baptismus, Ephes. 4. Vnus ergo debet esse cultus, vnum altare, vna doctrina, vt cũ psalmista dicere possimus: Ecce quam bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Apostolus identidẽ charitatem & vnitatem nobis commendat. 1. Corinth. 1. ait: Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idẽ loquamini omnes, & non sint inter vos disidia, hoc est, hæreses & schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententia. Primitiuæ Ecclesiæ vnum erat cor & anima. Act. 4. In commendationem concordiæ beatæ, vsi sunt aptis vocabulis Petrus & Paulus apostoli. Volunt nos esse homothymos, hoc est, vnius animi, Roma. 15. Item sympsychos, hoc est, vnius animæ. Q. d. Fideles ita se debent gerere, tanq̃ omniũ vna existat anima, Philip. 1. Isopsychos, Phil. 2 quod item parem vel similem animam significat. Ad præmissa Paulina vocabula, pertinet præsens vocabulum Sancti Petri, homophrones: quod vult, vt omnium vnũ sit velle. Homophrosyna est, nullum alium scripturæ sensum velle seu requirere, quàm eum, qui hactenus fuit in Ecclesia, per tot seculorum chiliades receptus, atque adeò approbatus. Vbi talis est homophrosyna, ibi procul dubio etiam inuenietur euphronia & harmonia vitę, professionis, & disciplinarum.

Cõcordiã variis vocabulis apostolus nobis cõmendant.

Index notandus est per sympathen. Sympathes compassionem significat, qua alter alterius sentit afflictio-

Sympathes, id est, compassio, inditi tribuenda.

nos. Vnum corpus sumus, vndè oportet vt & alij alijs, ram onera portemus, & cum gaudentibus gaudeamus. Rom. 12. 1. Cor. 12. Gal. 5. Ephe. 4. Breuiter proximum suum quisque tanquàm seipsum diligere iubemur, Matt. 22. Rom. 13.

Philadelphiæ medius nos admonet.

Medius, nos philadelphiæ admoneat. Est virtus hæc media, quoniam in cæteris aliis omnibus continetur, & omnes alias ipsa in vnum cogit, omnes complectens. Philadelphia significat dilectionem fraternitatis, de qua agit Apostolus Roman. 12. Et seruator ait: Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos mutuò, quemadmodùm ego dilexi vos, Ioan. 15. Hac charitate Christus animam suam pro nobis tradidit. Maxima est huius vis: quippe quæ non micas, & stipes largitur, sed seipsam quanta quanta est, Ioann. 15. 1. Ioann. 3. Quotusquisq; est nostrum hodie, qui pro fratre mori sustineat? immò quis non fratrem pro se mori malit? Eò peruersitatis ventum est, vt nulla vspiam fraternitas in mundo præsentiùs videatur, quàm vbi accipiendum sit. Fratrem qui iuuet, & sua propter fratrem qui perdere gaudeat, vix è mille vnus inuenietur, Luc. 17.

Eusplanchnos nos esse debere, digitus annularis admonet.

Annularis, eusplanchnos nos vult, hoc est, benignos. Benignitatis habet figuram. in eo est vena, quam cardiacam vocant. In eo itaque debemus huius quintæ virtutis nos admonere, der guthertzigleit misericordiæ, clementiæ, bonitatis. Hæc virtus sese exerit, vt in visceribus appareat, quid in cordis penetralibus latuerit. Sic euangelista etiam dicit, Deum nostri esse misertum per viscera eius misericordiæ. Scriptura internos affectus & motus misericordiæ, Hebraicè solet vocare *Rehem*, hoc est, miserationem. Affectus is parentum est erga filios, qualem vides 3. Reg. 3. Item Iosephus talis affectus potest esse exemplum. Benlamin siquidem fraterculum suum (quem Septuaginta vocant homometrion, hoc est, vterinum) videns, commota sunt eius præcordia. Hebraicus habet: *Nichmeru Rahemaf*, hoc est, Viscera eius inflammata sunt, Gene. 43. Mater quoque illa apud Salomonem, sic dicitur inflammata fuisse. Viscerum misericordiæ commendationem vides Lucæ 1. Philip. 2. Colos. 3. In cantico Zachariæ plura de hac re vides.

In au-